Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Liebenthal

Christiani Liebenthals ... Collegium Politicum, In Quo Tum In Genere Rerum-Publicarum Omnium Constitutio, Tum In Specie Status Imperii Romano-Germanici Hodiernus Per Theses Et Communiores Quaestiones Accurate Explicatur, Prout Indiculus Operi Praemissus Docet

Editio Decima, Nova ..., Giessae Hassorum: Dietericus, 1668

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0003
DFG

Ex Bibliotheca
Dr. Alberti Willebrandi
compar: 1694

+

1 R 10 sk.

Ex donatione Willebrandiana

cont. 16 M

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768663202/phys_0005
DFG

~~Pr. 362 p~~
731 p
~~2. 5.~~
41b 45
JIb - 3036.
Lodes ~~Je' 3037.~~
~~3086~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn768663202/phys_0006
DFG

CHRISTIANI Liebenthals/
MARCHICI, U. I. D. ET IN INCLYTA
ACADEMIA GIESSENA QUONDAM
ELOQUENTIÆ PROFESS.

COLLEGIUM POLITICUM,

IN QVO

TUM IN GENERE RERUM-PUBLICARUM OMNIUM CONSTITUTIO, TUM IN SPECIE STATUS IMPERII ROMANO-GERMANICI HODIERNUS PER THESES ET COMMUNIORES QUÆSTIONES ACCURATE EXPLICATUR, PROUT INDICULUS OPERI PRÆMISSUS DOCET.

EDITIO DECIMA,

Nova, & ab innumeris maximè allegationum erratis emendata, pluribusque remissionibus aucta,

OPERA

HIERONYMI THOMÆ,
JUR. LICENT.

GIESSÆ HASSORUM,
Typis & Sumptibus JOSEPHI DIETERICI
HAMPELII, Acad. Typogr. Ordin. 1668.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0007
DFG

Illustris Reipublicæ

AUGUSTANÆ,

PATRIÆ DULCISSIMÆ

Fulcro, Firmissimo, Splendidissimo,

IOH. CHRISTOPHORO AMMANO,

Septemviro Admodum Magnifico,
Ærarii Præfecto Amplissimo,
Senatori Gravissimo,
Patricio Nobilissimo,

HANC GRATITUDINIS ARAM ERIGIT,

Ineaque se, sua, suos, ad perpetua servitia

Devovet & offert

HIERONYM. THOMÆ,
Jur. Lic.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0009
DFG

ELENCHVS

DISPUTATIONUM.

Disputatio Prima.

DE Constitutione Politices.

Disp. II. De familiis in genere & in specie de societate conjugali.

Disp. III. De Domino & Servo.

Disp. IV. De patre & Liberis.

Disp. V. De Civitate & Republicâ.

Disp. VI. De Magistratu in genere.

Disp. VII. De juribus Majestatis, & legibus fundamentalibus.

Disp. VIII. De Imperatore & Rege Romanorum.

Disp. IX. De Statibus Imperii.

Disp. X. De Nobilitate & Equestri dignitate.

Disp. XI. De Consiliariis, Legatis & Officiariis.

Disp. XII. De legibus & executione legũ.

Disp. XIII. De Administratione religiosa, jure Episcopali & patronatus.

Disp. XIV. De Jure Belli.

Disp. XV. De Subditis eorundemque ordinibus, nec nõ virtutibus & oneribus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0010
DFG

DEO DIRIGENTE ET AUSPICE:

COLLEGII POLITICI

DISPUTATIO I.

DE

CONSTITUTIONE POLITICES.

Resp. *Henrico Heisen, Adelebsiensi, Brunsvigio Sax.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

CVM disciplina Politica tanta sit præstantia, tanta utilitas, tanta dignitas; ut homo in hac vita præstantiorem assequi non possit, Plutarch. in Cat. Major. Socrates apud Xenoph. *Est enim maximè architectonica, omniumque augustissima*, Aristoteles 1. Ethic. 1. & 2. & Politic. 2. Petr. Gregor. Tholoss. lib. 18. cap. 1. n. 6. Keckerm. in præcog. polit pag. 4. *Ars regia & regina scientiarum*, Tholos. lib. 10. cap. 4. n. 1. *Quæ urbes parit,*

Cicer. 5. Tuscul. *Homines à ferocitate revocat,* Isocrat. orat. parænet. *eosque ad vitam socialem & constituendam & colendam & conservandam consociat,* Johan. Althus. c. 1. polit. in definit. pol. *Hæc est disciplina, quæ beatas & florentissimas respub. efficit.* Plat. 5. & 6. de rep. *Quæ sola hodie mundum universum regit,* Patrit. 1. de reg. *Quæ cœtus humanos constituit, gubernat & tuetur, omnibus disciplinis occasionem & leges, quibus tradi doceri & ad humani generis usum accommodari possint, demonstrat, ut tuto & in pace excoli & ad posteritatem propagari queant; hospitium & patrocinium præbet, & ut* Senecæ *verbis utar, est vinculum per quod Respubl. cohæret, imò & spiritus vitalis est, quem tot millia trahunt. Quamobrem cùm generosum & omni favore dignum sit ingenium, cui hæc disciplina politica curæ & cordi,* Socrat. apud Xenoph. *dignissimam eam judicamus, ut ab omnibus studiosis per quam diligentissimè cognoscatur & tractetur. Et quamvis tanta sit ejus varietas, ut certis cancellis & metis persici, certisque præceptis comprehendi & methodo curta vix tradi possit; dissensus enim hic est maximus, qui & magnorum virorum animos vacillare facit, neque hactenus consentientibus suffragiis res de quibus in Politicis disquirendum, sunt definitæ,* Tholos. 1. de rep. c. 1. & Lipsi. 5. polit. 1. Dan. in pr. Polit. *Non tamen abs re nos facturos arbitramur, si ad priscorum*

rum Philosophorum inventa, ex recentioribus Politicis ea, quæ ad hodiernam Politicam spectare videntur, ex præceptis juris civilis, jure publico, & recessibus imperii, quantum pro materiæ ratione satis, & pro tenuitate ingenii nostri possibile, addamus, & aliquot deinceps disputationibus hac methodo subjiciamus.

1. Præcepta doctrinæ Politicæ ex bonis authoribus θετικῶς proponemus.

2. Quæstiones controversas pro & contra tractabimus & certificabimus.

3. Ζητήματα quædam παρεργῶς adjiciemus:

THESIS PRIMA.

DISCIPLINARUM secundùm Peripateticos tractatio omnis distinguitur in procem. & tractatum, Zab. *l. 2. Met. c. 4.* Procemium autem absolvitur consideratione objecti adæquati. De constitutione sive de natura vel præcognitis disciplinæ Politicæ nobis primò omnium est dispiciendum.

2. Cùm autem imprimis vocis alicujus usum cognoscere debeamus, à quo *teste* Scal. *exerc.* 1. *s.* 1. in ipsam rerum cognitionem provehimur, meritò nos idipsum in Politicis sequemur. Dicta est igitur Politica ἀπὸ τῆς πόλεως à civitate: Unde etiam dicitur ὁ πολίτης civis, & ἡ πολιτεία ipsa Forma, secundum quam respublica adminis-

stratur: hinc etiam dicuntur πολιτικαὶ πράξεις civiles actiones item οἱ πολιτικοὶ homines, qui in Reipub. administratione rectè versantur, vel hac civili scientiâ præditi sunt, Gol. *in prol.* Pol. *in pr.* Schönb *in Pol. l. 1. c. 2. in pr.* Besold. *class. 1. Pol. disp. 1.* Timpl. *l. 1. Pol. l. 1. quæst. 1.*

3. Porrò, quia Politicæ vox ambigua est, illius ergò ambiguitas evolvenda, & primò omnium ὁμωνυμία excutienda. Nihil enim magis rerum intelligentiam impedit, quàm vocabulorum varia significatio, Scheck. *in Top. p. 98.* Vocabulum igitur Politices sumitur dupliciter; *Abstractivè & Cõcretivè. Abstractivè* nihil aliud denotat, quàm gubernationis formam, seu ordinem & constitutionem cœtus publici in genere humano, exempli gratia: si quærerem de Politia, quæ est *Giessæ*, tunc nihil aliud vellem, quam qualis esset ordo, quæ ratio ac forma publici cœtus in administranda Repub. Et hac ratione distinguitur in *Civilem & Ecclesiasticam. Civilis* est per quam societas humana dirigitur ad honestum. *Ecclesiastica* per quam cœtus Politicus dirigitur ad salutem & cultum Deo præstandum. *Concretè* accepta non tantùm denotat formam administrandæ reipub. Sed & certam hominum societatem in certo loco habitantium. Ut cum quærerem, quænam esset Politia Germanica, intelligo gentem, una cum forma regiminis. Atque sic pro ipso hominum cœtu certo

certo loco habitantium & certo ordine gubernantium. Et hac ratione rursum usurpatur *Populariter & Philosophicè*. *Populariter* sumitur pro omni eo, quod ad civitatem & vitam civilem pertinet. Sic Politicus non distinguitur ab Ecclesiastico. *Philosophicè* rursum bifariam sumitur, *Generaliter & Specialiter*, *Generaliter* sumitur pro tota Philosophia practica unde etiam ἀρχιτεκτονικὴν καὶ κυριωτάτην Arist. *l. 1. Eth. 2.* eam nominat. *Specialiter* accipitur pro tertia Philosophiæ practicæ parte, Politica videlicet specialiter sic dicta. Atqui hoc modo dupliciter sumitur. *Systematicè & Habitualiter*. *Systematicè* notat legitimam Præceptorum comprehensionem. *Habitualiter* notat habitum rempub. bene administrandi & gubernandi.

4. Estque porrò Politica duplex: *Generalis & Specialis*: *Generalis* est, quæ de statu publico generaliter tractat, qualis est Politica SS. Romani Imperii. *Specialis* est, quæ de statu Politico in accommodatione ad certa & definita loca, tempora & personas tractat, qualis est *Ungarica*, *Bohemica*, *Belgica*, *Saxonica*, *Hassiaca*, *&c.*

5. Definitur: Quod sit prudentia bene de repub. judicandi, eamque rectè constituendi, & sapienter ad publicam salutem administrandi.

6. Genus ergò Politices non est scientia, neque ars, sed prudentia, non enim in contempla-

platione aut effecto aliquo materiato, sed in actione consistit.

7. Objectum adæquatum perfectionis Politices, non est civitas neque respub. neque societas, aut hominum mores, sed homo quatenus civilis.

8. Finis Politices est bene beateque in republica vivere, quod consistit in recta ratione gubernandi & obtemperandi.

9. Finis ergò omnium imperantium alius esse non debet, quàm justitia & publica omniũ subditorum salus, Lipſ. *l. 2. Polit. 6.* Bornit. *de Majestate cap. 6. & 12.* Instrumentum enim debet se regulare secundum suum finem: Dei enim instrumentum & minister est, qui imperat, *Roman. 13. v. 4.* Populi ergo bonum, hoc est, ejus directionem non ipsummet principaliter propositum sibi habere debet, Ferd. Vasq. *illust. contr. 1. cap 1. n. 10.* Besold. *class. 1. dist. 1. pag. 21. Ut enim gubernatori cursus, medico salus, Imperatori victoria: sic Principi beata civium vita proposita esse debet.* Cicer. *l. 5. de Rep.* Hinc per omnia secula laudata vox Principis Hadriani *se videlicet rempublicam gesturum ut sciret, rem populi esse non suam.* Huc referenda sunt egregia Tiberii verba in pleno prolata senatu: *Dixi & nunc & sæpè alias P. C. bonum & salutarem Principem, quem vos tanta & tam libera potestate instruxistis senatui servire debere & universis civibus,*

bus, sapè ac plerumque etiam singulis : neque id dixisse me pœnitet.

10. Ex quo fine rectissimè infertur imperantes non propter semetipsos, sed propter subditos præfici Reipublicæ. Hinc Mærio Salonius, *l. 3. de Principatu. Nolite existimare à Deo creatum mundum & in eo homines, ut Principum servirent emolumentis, Absurdum enim est & supra quam dici potest, propter Principes homines factos opinari.*

11. Impium ergo & impudens est Machiavellistarum dogma, quo asserunt subditos simpliciter esse propter magistratus, Dan. *l. 1. Pol. Christ. c. 4.*

12. Non enim unum & idem sunt imperium civile & dominium: Sed toto genere differunt. Imperium enim civile, quod sponte in imperantes collatum, libertatem, quæ unicuique naturalis est, non tollit, sed ne ab æquo & bono vacillet, vel deflectat, dirigit, Bornit. *de Majest. c. 12. &* Besold. *d. d. thes. 36.* Dominium verò quod olim cives Romani in servos habebant, omninò libertatem tollebat in tantum: ut nec minimam juris civilis communionem habuerint, *l. quod attinet. 32. ff. de R. I.* Imò pro mortuis habebantur, *l. servitutem. 209 ff. eodem. & l. interdict. 59. §. 2. de cond. & demonst. l. 32. § si donator. 6. ff. de donat. inter vir. & ux.* Item rebus aliis in dominio, utpote pecudibus annumera-

bantur, *l. 1 ff. de Rer. Div. & l. 2 ff. ad L. Aq.* Quod dominium in homines, quia optima ratione in universo ferè terrarum orbe sublatum, Bod. *de Rep. c. 6.* amplius locum habere non potest.

13. Dividitur Politica ad modum reliquarum disciplinarum practicarum ratione finis in duas partes: quarum *Prior agit* de iis rebus quæ rempublicam rectè constituunt & administrant: *Posterior* de iis, quæ constitutam sartam tectamque conservant.

14. Quamvis Politica in specie sic dicta tantùm societatem civilem publicam, non verò privatam & domesticam, quam Oeconomica instruit, spectat: attamen, quia methodi lex perpetua, ut illa prius tractentur, quæ ad cognitionem meliorem faciunt. Quare antequam disciplinam tam nobilem, tam beatam & florentem particulatim in suis membris singulis dispiciamus, quædam de statu Oeconomico, quæ ad meliorem cognitionem Politices omninò faciunt, & ad publicam salutem spectant, utpote sunt, societas conjugalis, patria & herilis. Item de familiis, jure sodalitatis & vicinitatis præmittemus.

15. Quibus præmissis & prælibatis, ut eò expeditiùs & luculentiùs ea, quæ ad rempublicam constituendam, gubernandam & conservandam pertinent, tractari possint, de civitate, quæ

quæ subjectum sive materia reipublicæ est, Arist. *l. 4. Pol. c. 11. & de Repub.* in genere simul ac de civili societate agemus.

16. Quibus expeditis partes Reipublicæ in disquisitionem venient, ex quibus videlicet respublica constituitur, ubi status geminus sese nobis offert: unus imperantium, & alter obedientium. De utroque diligenter dispiciendum; & quidem *primò* de statu imperantium, ubi de summa potestate, de juribus Majestatis, de regalibus, de Ecclesiastico, de majestatis jure est inquirendum.

17. Porrò, quia proximum locum sibi vendicant Ephori, Vicarii, & officiales, de his etiam particulatim erit tractandum.

18. Quibus tractatis species reipublicæ in collationem venient, ubi latissimus erit docendi campus, de *Monarchia, Aristocratia, Democratia, &c.*

19. Et quia omne imperium legibus debet esse armatum, dicendum etiam erit de legibus, de jure belli, de fœderibus, de pace publica & religiosa, de ærario, &c.

20. Et sic omnibus illis, quæ ad statum imperantium spectare videntur expeditis, ad statum obedientium transitus erit instituendus, & disquirendum, de subditis, item de ordine subditorum, de subjectione & contributionibus subditorum.

21. Quam primum Reſpublica ſic ex partibus ſuis erit conſtituta, ad ſecundam Politices partem nos conferemus, quæ erit de conſervanda Republ. ubi de corruptionibus & remediis contra corruptiones diſſertatio inſtituenda. Quibus laboribus exantlatis, illa expedita erunt, quæ ductu convenientis methodi Politicus præſtare debebat. Et tantùm de præceptis, ſequuntur quæſtiones.

QUÆSTIO I.

Vtrum Politica certis quibusdam præceptis comprehendi poſſit?

Anſam dubitandi præbet 1. quòd omnium rerum, de quibus tractatur in Politicis, mira ſit varietas. 2. quòd omnia in operatione & exercitatione conſiſtant, quæ cum ſint contingentia omnia, præcepta etiam contingentia & non certa ſint, neceſſe eſt. 3. Quod qualis ſit res extra mentem, talis etiam ſit earum cognitio. Atqui extra mentem ſunt contingentes. Ergo earum cognitio & præceptio contingens tantùm erit. Ratio conſequentis eſt, quòd intellectus res alias facere non poſſit, quàm quales ſunt extra intellectum.

Contrà certa poſſe tradi præcepta rerum Politicarum, aſſeritur his rationibus. 1. *ab adjunctis*

Eis bonæ definitionis. Omnis definitio certa debet esse. Atqui pleraque præcepta Politices sunt definitiones. Ergo: Majoris evidentia patet ex Arist. 4. *Phys. text* 31. Ubi asseritur, quòd per definitiones omnia dubia, quæ circa rem incidunt, solvi possint & debeant. Item probatur major ex Arist. 7. *Met. c.* 12. quòd videlicet definitio debet esse conjuncta cum veritate. Item, quod definitio sit principium syllogismorum. 2. probatur *ab effecto*, quia præcepta debent Politicum reddere certum & immutabilem. Ergo. Ratio est evidens, quod ex effecto judicetur de causa, & quod effectus non possit esse præstantior sua causa.

Pro decisione quæstionis distinguitur primo inter modum Politicè vivendi & inter actiones secundum modum constitutas. 2. inter res ipsas & propositionem universalem definitivam de rebus. Quibus distinctionibus præsuppositis facilè patet, quid de proposita quæstione sentiendum, & quomodo ad contraria argumenta respondendum.

QUÆSTIO II.

Vtrum Politica per se sit utilis & necessaria?

Invenies ex Philosophorum cœtu quosdã, qui tradunt libros Politicorum non ob necessitatem

tem artis, sed tantùm hominum pravitatem esse conscriptos. Ex quorum numero est *Mirandula*, cujus verba hæc sunt:

Si homines secundùm virtutem viverent, non opus esset, leges condi aut magistratus creari, quia verò homines, non virtutis amore ad honestum ducuntur, ex accidenti factum est, ut traditæ sint leges, & creati sint magistratus, ut ita formidine pœnæ ad bene agendum compellantur. Verùm, hæc sententia Mirandulæ erronea est, & meritò rejicitur, propterea. 1. quia virtus, de qua Mirandula suam probat opinionem, non sufficit ad bene beateque vivendum in republica. Idque probatur ex inductione earum rerum, quæ ad rempublicam pertinent, utpote sunt: ut respublica sit optima, constituta secundùm materiam & formam, secundum materiam cognoscendus est urbis situs, ut videlicet ejus locus sit perpetuus, commodus, fertilis, aquis abundans, spatiosus, salubris. Deinde cognoscendæ sunt ejus partes, quarum aliæ sunt publicæ, aliæ privatæ; publicæ ut sunt: Platea, ædificia & spatia publica &c. Privatæ quarum possessio & usus privatorum est. Quoad formam, ut habeat optimum regimen, & quænam sunt sexcenta alia, ad quæ perficienda sola virtus non sufficit; Deinde in Rebuspub. non tantùm pœnæ infliguntur malis, verùm etiam præmiis mactatur virtus. Tertiò à diversitate hominum in

Re-

Republ. degentium. Non enim omnes, qui in republ. vivunt, idonei sunt ad virtutem, idcircò legibus sunt admonendi & coërcendi. Quamobrem, quia de his omnibus & singulis non in Ethicis, sed in Politicis, tractatur: Sequitur Politicam maximè esse necessariam & utilem.

QUÆSTIO III.

Vtrum virtutes Ethicæ & Politicæ differant?

Dubium alicui facere potest. 1. quòd Arist. 1. *Eth.* 2. asserat his verbis: Virtutes idem esse bonum & hominis, & civitatis; item: eandem esse singulorum & civitatis felicitatem *lib.* 7. *Pol.* 2. 2. Item per easdem res & virum probum & civitatem bonam constitui, *lib.* 3. *Pol.* 12. 3. Item quòd leges nihil aliud sint quàm virtutes armatæ pœnis, *l.* 5. *Eth.* 1. & 2. Ex quibus textibus constat, quod sint idem civis bonus & vir bonus. Cùm ergò civis bonus à viro bono nihil differat, sequitur virtutes Politicas ab Ethicis nihil differre.

Contra quòd Ethicæ virtutes & Politicæ differant probatur his fundamentis. 1. Quòd in virtutibus Ethicis imprimis spectetur προαίρεσις & voluntas. Politicæ verò ab invitis etiam fiunt, quin imò maximè interdum metu pœnæ ab homini-

minibus invitis extorquentur. 2. Ethicæ virtutes comparantur crebro usu & exercitatione & proficiscuntur ab habitu : Politicæ verò contrà ex singulis æstimantur actionibus, sic unicum furtum sufficit ad furem, & unicum homicidium ad homicidam constituendum. 3. Ethica omnes virtutes, quæcunque rectæ rationis judicio virtutes nuncupantur pertractat & ordine persequitur. In Politicis non pertractantur virtutes, neque præcipiuntur omnes, quia non omnes virtutes omnibus rebuspublicis ex æquo congruunt, neque omnia tempora omnes virtutes Ethicas requirunt, sed eas duntaxat, quæ ad hujus vel illius Reipublicæ incolumitatem spectant.

Pro decisione quæstionis, & solutione argumentorum in contrarium oppositorum distinguendum esse putamus, inter virtutes Ethicas & Politicas, quatenus in specie & per se considerantur, & quatenus considerantur in usu Politices. Primo modo dicimus easdem ab invicem differre, non verò posteriori modo. Sic enim in bene constituta republica unum idemque sunt: ita, ut qui civis bonus, necessariò etiam sit vir bonus. Arnis. *in proœm. l. 1. Pol.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Vtrum Oeconomica ſpecialiter à Politica diſtincta nec ne?

Reperiuntur nonnulli Philoſophi, qui vulgatam & bene tritam illam diſtributionem, qua Philoſophia practica diſtinguitur in *Ethicam, Oeconomicam, & Politicam*, improbant & rejiciunt his fundamentis. 1. Quia teſte Ariſtot. *l.* 1. *Oecon. c.* 1. Domus eſt pars civitatis. Ergo Oeconomica eſt pars Politicæ. 2. A toto ad partem. Ubi agitur de toto, ibi etiam agendum de partibus. Atqui in Politicis agitur de toto. Ergò ibi etiam agendum de partibus. Totum autem in Politicis eſt reſpublica ad quam familiæ & ſocietates tanquam membra & partes omninò ſpectant. 3. A ſimili: Uti familia non poteſt diſtrahi à civitate; ita neque Oeconomica à Politica; veluti urbs non poteſt eſſe ſine ædificiis: ita Politica non poteſt eſſe ſine Oeconomica. 4. Ab authoritate Ariſtotelis, quia ipſe Ariſtoteles *lib.* 1. *Polit.* omnia illa explicat & tradit, quæ ſolent tradi in Oeconomicis, quo facto ipſe Ariſtoteles indicat: Oeconomicam ad Politicam referendam eſſe, Picol. *l.* 9. *in fine introduct. ad* 10. *grad.* Caſus *in præf. Oecon.* Timpl. *in Oecon. quæſt.* 2.

Contrà quod diſtincta ſit diſciplina Oeconomi-

nomi-

nomica à Politica probatur his fundamentis. 1. Ab authoritate Arist. *l.* 1 *Oecon. cap.* 1. Ubi distinguit inter Oeconomicam & Politicam, tanquam inter diversas Philosophiæ practicæ partes, & docet quod differant. 1. Subjectis, quòd in Oeconomicâ sit domus, in Politica verò civitas. 2. Numero imperantium: multi enim sunt imperantes in civili societate; in domestica verò unus tantùm. 3. Fine, qui in Oeconomica est rectè constituere domum & administrare familiam; in Politica verò rectè constituere Rempublicam, & ea constituta rectè uti. 4. Ordine generationis: nam Oeconomica secundum ordinem generationis prior est Politica. Hinc aliqui, ut Giph. *in arg. l* 1. *Pol.* nec nõ Keck. *in præc. Pol. & in pr. synops. pract. Oec.* videntur Aristotelem arguere erroris, propterea quòd *lib.* 1. *Polit.* Oeconomica tractarit; Sed absit, ut summum Philosophorum huic illigemus errori, ac si fines disciplinarum discernere non potuerit. Quia non agit de iis, quæ ad Oeconomiam spectant absolutè & simpliciter, sed quatenus ad rempublicam, & publicam spectant salutem. Ideoque *l.* 1. *Pol. c.* 1. subjicit statim, non posse expediri civitatem, nisi ea præmittantur, ex quibus componatur, ut sunt familiæ & familiarum societates. Quamobrem ex istis Aristotelis verbis planum fit de familiis *lib.* 1. *Pol.* non alio agi respectu, nisi quatenus sunt partes civitatis seu subjecti,

jecti, quod ex *lib.*1. *Pol.*1. etiam patet, ubi de re domestica, patre, liberis, conjugibus, servis, dominis non aliter se tractare proponit, nisi quatenus domus sunt partes civitatis, & hæ societates, domus. Id, quod expressiùs adhuc *eodem in lib.c.ult.* exprimit, ubi de virtutibus mariti & uxoris se acturum proponit, quatenus subordinantur Reipubl. Nam addit: cùm omnis domus sit civitatis pars, illa autem pars domus, partis autem virtus ad totum respicere debeat, necessarium est respicientes ad rempublicam filios & uxores instituere. Quamobrem non omnia, quæ de familiis dicuntur, pertinent ad Oeconomicam, sed ea tantum, quæ ad sustinendam familiam spectant, quòd verò in his publicum est, uti est jus dominorum in servos, Patris in filios, & quæ sunt his similia, ad publicam disciplinam pertinent.

Distinguendum proinde inter diversum modum rem considerandi & tractandi. Tractantur quidem eædem quæstiones in diversis disciplinis. Verùm, diverso, uti dictum est, respectu, Non secus ut medicus, qui disputat de qualitatibus herbarum quod idem facit & Physicus; verùm diverso respectu. Nam medicus id facit, quatenus diriguntur ad salutem; Physicus, quatenus sunt corporum naturalium affectiones. Ita etiam hæ quæstiones quatenus simpliciter considerantur, & tantùm ad sustinendam familiam

pertinent, sunt considerationis Oeconomicæ: contrà, quatenus non absolutè & simpliciter, sed respectivè, videlicet cum respectu ad civitatem considerantur, ad Politicam meritò referuntur. Arnis. *in proœm. ad Polit.* Ex quibus dictis jam facilè est respondere ad Argumenta opposita, & quidem ad 1. Domus dupliciter consideratur: uno modo absolutè, quatenus constat ex familia sine respectu ad civitatem, altero modo quatenus est pars civitatis. Ad 2. negando familias simpliciter considerando esse partem civitatis. Ad 3. est fallacia falsorum imparium. Ad 4. responsio patet ex suprà dictis.

QUÆSTIO V.

Vtrum Politica definiri possit.

Pro negativa sententia à Christ. Matth. *in Syst. Pol. in proleg. s. 2.* duo referuntur Argumenta 1. depromptum est è Schola Logica. Quia Politica est Ens collectivum sive aggregativum, quod definiri non potest, propterea quia istiusmodi Ens in prædicamentis poni non potest. Ergo nec definiri, ratio consequentiæ est, quia genera definitionum ex prædicamentis desumuntur. Quòd autem Politica sit ens aggregativum & collectivum, patet inde: quia objectum ejus est multiplex videlicet multæ societates tùm domesticæ

sticæ tùm Politicæ, seu civiles. Et ubi objectum multiplex, ibi quoque disciplinam ipsam multiplicem esse oportet, quia ab objecto disciplinarum unitas vel distinctio sive diversitas pendet. 2. à communi regula JCtorum, quod omnis definitio periculosa, *l.* 202. *de R.I.* Ergo definitio Politices periculosa erit, & per consequens certè definiri non potest.

Quas duas rationes non tantùm adfert, *Christ. Matth. d.l.* pro sententia negativa, verùm etiam ipse ibidem respondet ad primum distinguendo inter Ens collectivum & aggregativum materialiter & formaliter consideratum. Materialiter si consideratur, quatenus constat ex diversis societatibus tam domesticis, quam Politicis, Politica non definitur. Formaliter verò quatenus hæ societates omnes unione & consocietate seu certo ordine ad felicitatem Politicam obtinendam colliguntur, hoc respectu Politica non multiplex est, sed unum quid, atque ita rectè definiri potest, non secus ut sacramentum, ut Ecclesia, ut Collegium, quæ sunt Entia aggregativa, & tamen definiuntur, ratione unius & formalitatis, non verò ratione partium, ita etiam vocabulum Politices, *Vide* Keck. *in Syst. Pol. in præc. ad objectum prud.* Ad 2. distinguendum inter definitionem ὀργανικῶς & πραγματικῶς acceptam. JCtis enim eo loco definitio non est definitio organica sive Logica, sed regula &c. Posse autem Politi-

cam sic definiri probatur ulterius. 1. quia est in prædicamento qualitatis. 2. habet genus & differentiam specificam. 3. ab effecto, omnes ferè Politici illum definiunt ab *Arist. 3. Pol. 1.* πολιτεία τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἐςὶ τάξις. Politica est ordo inhabitantium civitatem. A *Caso l. 1. c. 1.* quod sit scientia bene administrandi civitatem. *A Keck. Timpl. Golio. Althusio & aliis*, quòd sit ars vel disciplina practica, vel doctrina hominis ad vitam socialem constituendam & conservandam consociandi. Timpl. 1. *Pol. c. 1. quæst. 2.* duodecim recensèt definitiones politices variorum autorum. Nobis placet illa, qua definitur: quòd sit prudentia bene de republ. judicandi, eamque rectè constituendi & sapienter ad publicam salutem administrandi.

QUÆSTIO VI.

Vtrum Politica sit scientia; vel ars, vel prudentia?

In assignando genere Philosophi non consentiunt, ut passim videre est, pro conciliatione ergo diversarum opinionum, nos has adferemus. 1. Distinguendum est inter Politicam habitualiter & systematicè consideratam. 2. Distinguendum inter genus essentiale & accidentale. Quòd si Politicam habitualiter considera-

re,

re, prout meritò considerari debet, & genus essentiale eidem assignare velis, tum dicimus quòd verum, proprium, legitimum genus Politices sit prudentia. Est enim habitus practicus & non theoricus. Non enim in contemplatione, sed in operatione acquiescit. At si systematicè non quatenus est in mente Politici, sed tantum quatenus est in libro, considerare velis, Ars nominari potest.

QUÆSTIO VII.

Quodnam sit verum & adæquatum objectum Politices.

In hac quæstione magnam invenies apud Politicos dissensionem: nonnulli dicunt esse Rempubl. alii civitatem; alii societatem civilem, alii consocietatem hominum, alii statum publicum; alii modum bene administrandi civitatem, alii modum bene vivendi in societate civili, alii mores hominum quatenus civiliter quispiam iis instituendus, pro objecto adæquato venditant. Nos maluimus statuere objectum Politicæ hominem, quatenus civiliter informandus. Idque à natura & conditionibus objecti. Nullum enim objectum ingreditur constitutionem ejus, cujus est objectum, sed extra illud est & existit. Deinde omne objectum correspondet toti Po-

liticæ. 3. non debet demonstrari & tractari in ea scientia, in qua est objectum. 4. est radix, à qua omnia ea, quæ tractantur in ea disciplina oriuntur, Zab. *de tribus præcog. c. 2.* Atqui hæc singula competunt homini quatenus est civilis, vel moribus civilibus informandus. Ergo. Pro conciliatione diversarum opinionum & sententiarum distinguo inter objectū cognitionis Politicæ & inter objectū operationis? Respublica enim sive civitas, consociatio vel status publicus possunt nominari objectum cognitionis, si videlicet intelligamus modum & formam civiliter vivendi & administrandi rempublicam, operationis objectum est homo quatenus civilis.

QUÆSTIO VIII.

Quinam revera Politici nominandi?

Cùm nihil magis intelligentiam rerum impediat, quàm vocabulorum varia significatio, Scheck. *in Topic. pag. 98.* & Politici vocabulum admodum sit ambiguum, ne quid erroris aut confusionis nobis hic pariat, placet illud ab æquivocationis vinculo liberare. Usurpatur autem potissimum triplici ratione. 1. Pro quolibet homine seculari in latissima significatione sæpiùs accipitur, quo sensu omnes, qui ab Ecclesiastico ordine distincti sunt, Politici nominan-

nantur. 2. Sumitur non rarò pro eo, qui instructus est cognitione præceptorum Politicorum, 3. Sumitur pro eo, qui comiter, amicè, & decorè, cum hominibus conversari potest. 4. Pro eo, qui optimè simulare ac dissimulare potest qui omni genere nequitiarum, qui fraudibus, & versipelli astutiâ instructus, qui optimè alios potest circumvenire, mendacia comminisci, alios criminari, & taxare optimè didicit. 5. Pro eo, qui longo usu & exercitatione prudentiam Politicam sibi acquisivit: Reipublicæ tractandæ omnes vias tenet, ejusque naturam optimè perspectam habet, & omnia ad publicam salutem dirigit. Hisce significationibus notatis ordine de singulis breviter dicemus. Et ad primam significationem quod attinet tantum abest, ut omnes Politicos nominemus, cum vulgò notum, in quantum vita civilis distet à clerico & ordine Ecclesiastico, & quantum etiam discriminis sit inter hominem civilem & Ecclesiasticam vitam agentem. Proinde neque illorum opinionem recipimus, qui statuunt illum esse Politicum, qui modum administrandæ Reipublicæ ex præceptis didicit; sequeretur enim omnes studiosos Politices, extra civilem vitam constitutos, Politicos esse nominandos. Neque temerè de quovis ardelione vel eo, qui comiter & decorè conversari didicit cum hominibus, qui in conversationibus suis cum aliis, tempori, lo-

co, & personis sese accommodare queunt, simulare & dissimulare norunt. Hi enim magis politi quàm Politici nominandi sunt, propterea, quod magna sit inter eos Politicos differentia, quippe quòd omnia agant & faciant ad proprium commodum & emolumentum. Politici verò non tàm proprium, quàm Reipublicæ commodum & salutem publicam quærunt. Quarti generis Politici tam exosi & tam viles sunt, ut dubitetur, an in Christianorum numero habendi nec ne? *Thomas Stapleton. Anglus in Orat. Acad.* Non ergò tàm temerè judicandum est de Politicis. Restat igitur, quòd nomen Politici tantum mereantur illi, qui & modum rempublicam gubernandi tenent, & jam prudenter in eadem versantur & degunt, & omnia ad publicam salutem dirigunt.

QUÆSTIO IX.

Vtrum soli Principes dicendi Politici?

Negamus hoc primò, quia non solùm Principes, verùm etiam haud exigua subditorum copia, habitum prudentiæ sibi comparavit. 2. Non solum in imperando, verùm etiam in obtemperando prudentia Politica locum habet. 3. Respublica non à solis Principibus, sed ab horum consiliariis, senatoribus, prætoribus, consulibus, &c. administratur.

Pro-

Proinde distinguendum est inter subjectum principale & minùs principale. Principaliter quidem Princeps quatenus reipublicæ tractandæ & gubernandæ omnes vias tenet, ejusdemque naturam probè habet perspectam, rempublicam prudenter administrat, & omnia ad publicam salutem dirigit, est Politicus nominandus. Deinde & Ephori; & Vicarii, & Officiales, &c. hoc nomine sunt digni. 3. Minùs principaliter & subditi quatenus civilem prudentiam sibi compararunt, & in civili vita publicam salutem spectant, hoc nomen merentur.

QUÆSTIO X.

Vtrum Politica constare possit absque virtute?

Florentinum illud monstrum, quod citat & refutat, *Casus in præf.* suæ sphæræ civitatis, dicere non erubuit. Politicam sine ulla virtute, fide & religione feliciter posse administrari. Verum falsa est, imò impia & blasphema hæc Machiavelli sententia, & non tam refutatione quam relegatione digna. Quòd autem nulla politia efficax esse queat absque virtute & fide, probamus his fundamentis. 1. A caussa efficiente. Quemadmodum enim omnia Entia esse suum dependens & participatum habent à summo

Ente, ita & Politiæ & omnia imperia ab unico hoc fonte, Fr. Patricius *de Reg. l. c. 11. Hæc omnia sunt referenda, ab iis, qui aliis præsunt; ut qui eorum subierunt imperio, sint quàm beatissimi.* Cicer. *ad Q. F. Epist. 1.* hoc est, quemadmodum *Xenoph. l. 1. Inst. Cyr. f. 26.* explicat: universi, ut tales sint, quales esse convenit, vel ut, *D. Paul. 1. Tim. 2. 2.* interpretatur ut pietas & honestas inter homines cum pace vigeat. Unde Homer. Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, curam populorum quod Rex subjectorum habere rationem debeat, veluti Pastor ovium. Deoque summo Principi de singulis non secùs ac pastor suo domino rationem reddere debeat. Est enim imperans Dei minister, ergò secundum voluntatem Domini sui administrare debet. 2. A causâ materiali. Est enim Politia multitudo bene beateque viventium sub uno eodemque imperio cohabitantium. 3. A forma, quia Politica consistit in prudenti administratione. 4. A fine, qui pax, honor, & ipsa beatitudo civilis est. Quamobrē quia ex his enumeratis causis tantū constat, quæ solummodo ipsam virtutem amplectuntur & sequuntur, sequitur sine virtute nullam florentem & beatam rempūb. constare posse.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Vtrum honestas publica, an verò cura religionis sit verus Politices finis.

Sunt nonnulli qui opinantur Aristotelem perfectissimam Politiam eamque solam beatam facere, in qua Philosophia & contemplationes sublimes vigent, atque adeò inde concludunt, quod illa non sit vera Politia, ubi tales contemplationes non sunt, imprimis unitas religionis, sive communis & uniformis ad Deum devotio. Hinc propterea sic argumentantur. Ubi nullus finis, ibi nulla felicitas. Finis autem est vera religio & Dei cultus unanimis. Atqui in tali Republica ubi si hanc plateam ingrediaris, sic Deum invocari audias, si alteram, si tertiam, si quartam, alio, atque alio modo Dei cultum institui videas, ibi nullus est finis verus, ac proinde nulla respublica. Super hæc ergo fundamenta pernitiosissima struunt dogmata Jesuitæ. 1. Quòd, ubi talis permittatur Reipublicæ species, ibi regens non sit verus & legitimus magistratus, sed Tyrannus & per conseq. è medio tollendus. 2. Quod cives sub istis Tyrannis sint fures & latrones, ideoque supplicio afficiendi. Verùm enim vero si Reipublicæ finis contemplatio esset, vel vera religio uniformisque ad

Deum

Deum devotio, eaque ad esse civilis societatis absolutè pertineret, ubi tandem locorum veram rempublicam inveniremus? sic nulla fuisset *Assyriorum, Persarum, Græcorum Politia*, sic Imperatores Romani nullam habuissent Politiam, sic nulla esset in Romano Imperio Politia, quod cùm sit contra expressam sacram scripturam, *Matth. 22. vers. 21. Marc. 12. vers. 17. Luc. 20. v. 25.* Ubi dicitur, quod Evangelium non aboleat Politiam. *Et D. Paulus* ex lege imperii Ethnica pulsatus appellat Cæsarem, *Actor. 25. vers. 10.* Imò contra rationem est. Nam cives honestos quidem facere potest Politica, non vero Christianos & religiosos.

Quamobrem confundunt Jesuitæ regimen Politicum cum regimine Ecclesiastico & inter honestatem & exercitia pietatis non distinguunt: Errant igitur Jesuitæ, dum super falso & arenoso principio, speciosa sua dogmata struunt. Hac enim ratione finis hominis, quæ est vera Dei agnitio cum fine Politicæ conversationis confundetur. Caditproinde scelestum Jesuitarum decretum de Principibus hæreticis solio deturbandis, clamvè ac palàm ferro vel veneno à quolibet privato è medio tollendis. Keck. *in præcog. Polit.* Besold. *class. 1. disp. 1. thes. 22.* Manet proinde, quod finis Politices absolutus, sine quo respublica salva esse non potest, sit publica honestas, quæ in omnibus reipublicæ civibus

quam

quam strictissimè urgenda, tanquam res sine qua respublica nullo modo esse, ne quidem mediocriter potest. Contrà contemplatio puræ religionis, cum non possit in omnibus & singulis reipublicæ civibus obtineri, sic urgenda, tanquam, quæ non ad esse, sed ad præclarè esse requiratur. Distinguit ergo *Keckerm. dict. loco* inter finem absolutum Politices, & cum gradu eminentiæ. Et dicit, quod olim fuerint multæ respublicæ uti respublica *Spartana*, *Athenienſis*, Item, *Romana & Venetorum*, & aliæ quam plurimæ, quæ verarum rerumpublicarum laudem omnino habuerunt, quamvis ad illum excellentem finem non pervenerint.

QUÆSTIO XII.

Vtrum differat Politica à Doctrina Evangelii?

Conqueritur hac de re Philip. *in com. Pol.* multos esse in hac opinione, Evangelium nihil esse aliud, quàm doctrinam Politicam; ac proinde inventi sunt, qui legibus aliis abrogatis, juxta Evangelium rempublicam constituendam duxerunt. Quamobrem breviter hic monstrabimus, quomodo ab invicem distent. Differt proinde doctrina Politica, à doctrina Evangelii. 1. Causa efficiente: Evangelium enim, quoad

ad causam efficientem proximam, est immediatè ab ipso Deo, à Spiritu S. in corda hominum implantatum. Doctrina Politica, quoad causam remotam est quidem à Deo, sed quoad proximam est ab hominibus doctis, prudentibus, & experientia confirmatis. 2. Differt fine & effectis. Nam doctrina Politica ad hoc unicè inventa, ut benè & civiliter in republica vivamus. At Evangelium nobis est ad salutem æternam datum. 3. Objectis: Quia Politica agit de rebus humanis, quippe de causis Rempublicam constituentibus & administrantibus. Evangelium vero agit de rebus ad salutem & felicitatem æternam spectantibus. Quamobrem nullo modo Politica cum Theologia vel Evangelio confundenda; Siquidem illa externam disciplinam, videlicet honestatem publicam duntaxat curat: hæc vero, quæ ad vitam æternã faciunt impertit.

QUÆSTIO XIII.

Vtrum Politica rectè distribuatur in duas partes?

Invenies pene multos, qui hoc etiam nostro seculo de Politicis scripserunt. Verùm, qui de accurata ejus distributione solliciti fuerunt, perpaucos. Quidam ea, de quibus tractat Politica, ad capita referunt, quemadmodum faciunt

Thom.

Thom. Aquin. & Gol. Quidam ad libros certos referunt; utpote *Tholoſ. & Danæus.* Omiſſis ergo aliorum partitionibus, illa videtur omnium optima & commodiſſima quâ Politica in duas diſtribuitur partes: quarum prima dicitur συσατικὴ, hoc eſt, conſtitutrix Reipublicæ & altera διοικητικὴ, hoc eſt, ejuſdem adminiſtratrix. Quam diviſionem ideo legitimam eſſe cenſemus. 1. Quia conſentit cum natura diſtributi. 2. Quia conſtat ex partibus diſſentientibus & oppoſitis. 3. Quia eſt diſtributio adæquata. 4. Eſt ſecundùm regulas Logicas bipartita. 5. Ab auctoritate Ariſtot. *l. 1. Oecon. cap. 1.* Ubi inquit. Quòd Politicæ ſit, & civitatem ab initio conſtituere, & conſtitutâ bene uti.

QUÆSTIO XIV.

Quâ methodo Politica tradi debeat?

Quia in qualibet diſciplina à principiis incipiendum & atteſtante Philoſopho, *l. 7. Eth. 8. & Met. ſ. 23.* & in practicis diſciplinis finis obtinet rationem principii; ideoque hanc diſciplinam, uti & alias diſciplinas practicas non poſſe alia, quàm reſolutiva methodo tradi; Urſit etiam hoc ipſum non tantùm *Averroes in pr. coll. & tr. 1. Polit.* & Gal. *1. de conſtit. artis med.* Verùm Ariſtoteles id docet, ſuo proprio exemplo.

Exem-

Exempla si desideras, dirige oculos & mentem ad topica; ubi à syllogismo topico, item ad analytica attende; ubi à syllogismo apodictico, item ad Ethicam, ubi à summo bono; Item ad Politicam, ubi à republica exorsus est. Cùm ergò nullum possit monstrari vestigium, quod in contrariam partem directum, concludimus non posse alia methodo disciplinas practicas tradi; quàm analytica. *Keck. in præcog. Polit.* Interim tamen distinguendum esse putamus, inter methodum universalem; qua tota disponitur disciplina, & inter particularem, quâ partes disciplinæ ordinantur. In his posse observari syntheticum ordinem asserimus, quamvis disciplinæ systema in se totum, suo principio ac fine non nisi analyticè disponatur, Besold. *class. 1. th. 47. in fin.*

QUÆSTIO XV.

Vtrum ante lapsum in statu innocentiæ Politiæ futuræ fuissent:

Utrum ante lapsum, seu in statu innocentiæ futuræ Politiæ fuissent, non ineleganter hîc quæritur. Et ab affirmativa multos Politicos simpliciter stare deprehendo, quorum rationes hæ sunt. 1. Quia, etsi homo mansisset in statu innocentiæ, tamē propagato genere humano, necessariò ex diversis familiis seu societatis domesticis

sticis hominum, hinc inde per totum terrarum orbem dispersis, fuissent constitutæ diversæ societates civiles ad vitam civilem meliùs & commodiùs inter se agendum. 2. Quia Deus non immediatè rexisset singulos hominum cœtus, sed mediatè per magistratus cuilibet societati præpositos. 3. Quamvis leges & magistratus non fuissent opus ad coërcendam improbitatem & injustitiam hominum; tamen opus fuissent ad regendam societatem humanam, in hunc finem, ut eò meliùs unusquisque scire potuisset, quid sui fuisset officii, & ad id præstandum & faciendum magis magisque excitaretur. In quem finem Deus primis nostris parentibus adhuc in statu innocentiæ constitutis legem tradidit, de non comedendo fructu vetitæ arboris. 4. Quia homo natura est animal congregabile & Politicum. 5. Quia Politiæ constitutio est res per se & absolutè bona. 6. Quia propterea Deus in paradyso matrimonium inter *Adamum & Evam* instituit & ordinavit, ut illud esset primordium familiæ & societatis civilis. 7. Quia & inter angelos bonos locum habet aliqua Reipublicæ forma. Ergò & inter homines, quamvis in statu innocentiæ mansissent, locum habuisset.

Contra beatus Lutherus, *in cap. 2. Genes. p. 25.* inquit. *Politia ante peccatum nulla fuit, neque ea opus fuit. Est enim Politia remedium nostræ*

corrupta natura. Oportet enim jam in hoc statu cupiditatem constringere vinculis legum & pœnis, ne liberè vagetur: Ideoque Politiam rectiùs regnum dixeris peccati, sicut Paulus Mosen *vocat ministrum mortis & peccati. Hoc enim unum & præcipuum agit Politia, ut peccatum arceat. Hinc* Paulus *dicit: potestas gerit gladium in vindictam malorum. Si igitur homines per peccatum non essent mali facti, Politiâ nihil esset opus, sed Adam vixisset cum posteris suis in summâ & perpetuâ tranquillitate, & plus effecisset, uno digito, quàm nunc omnes gladii, cruces, secures possunt efficere.* Idem statuit etiam Hunnius *Tom. 3. pag. 1441.* Argumenta aliorum Politicorum in hanc sententiam hæc sunt. 1. Quia in statu innocentiæ totum genus humanum à solo Deo fuisset gubernatum, sine humanis legibus & consiliis. Hinc Plato in Politicâ suâ disertè scribit: *in prima illa felici hominum ætate*, quæ aurea ætas & seculum Saturni ab eo nominatur, *nullas esse constitutas vel constituendas fuisse Respublicas.* Cui etiam suffragantur Poëtæ, inprimis verò Hesiodus *l. 1. oper. & dier.* Item Ovid. *l. 1. Metamorph. qui mentem Hesiodi his expressit verbis:*

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte suâ sine lege fidem rectumq; colebat:
Pœna metusq; aberat: nec vincla minantia fixo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti.

2. Quia

2. Quia in statu innocentiæ homines sponte feciſſent ſuum officium neque opus fuiſſet, ut metu & pœna ad id fuiſſent compulſi. 3. Quia tunc nulla fuiſſet impietas & injuſtitia, quæ à magiſtratu Politico fuiſſet coërcenda & punienda. 4. Quia Politiæ talis conſtitutio, eſt juſta peccati pœna, &c. Quæ poſterior ſententia, quia auctoritate magnorum Theologorum eſt comprobata & rationibus firmior, à nobis approbatur. Neque putamus ſuperiora argumenta in contrariam opinionem allata, aliquid facere contra noſtram ſententiam, qua diſtinguimus inter Politiam qua talis, & inter naturalem ſocietatem hominum, quam Deus hominibus implantavit. Nam ut plurimùm laborant vitio petitionis principii, partim etiam inconſequentiæ. Vide Keckerm. *in præcog Pol.* Item Danæum *lib.* 1. *Pol. Chriſt. cap.* 3. Tholoſ. *lib.* 1. *de Repub. cap.* 2. Timpler. *in quæſt. Politicis lib.* 1. *c.* 3.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Oeconomica ante Politicam tradenda?

Negatur hoc à quibusdam his rationibus. 1. Quia Ariſtot. *l.* 1. *Polit.* 1. ait, πρότερον τῇ φύσει πόλις ἢ οἰκία καὶ ἕκας@ ἡμῶν, ἔστι τὸ γὰρ ὅλον πρότερον

πρὸν ἀναγκαῖον εἶναι ἢ μέρος. 2. Quia perfectum natura prius est imperfecto *lib.* 1. *de Cœlo. cap.* 2. Semper enim natura id intendit, quod perfectius: Politicam perfectiorem esse Oeconomica, patet ex *Arist. lib.* 1. *Ethic.* 1. & 2. ubi nominat eum κυριωτάτην αὐλῶν ἐπιστημῶν καὶ ἀρχιτεκτονικήν. 3. Quia Oeconomica est Politiæ subjecta, partim quòd leges administrandi domum, ab ea accipit, partim, quòd illius finis ad hanc referatur, tanquam subordinatus & ultimus. 4. Auctoritas Aristot. *qui lib.* 10. *Ethic. ad Nicomach.* scribit, post Ethicam, se non de Oeconomica, sed de Politicâ acturum esse.

Verùm contraria opinio verior est, & confirmatur his rationibus, 1. Quia Oeconomica ordine naturæ est prior, versatur enim circa familias, quæ fundamentum sunt reipublicæ. 2. Quia domus absolutè considerata prior est civitate, eique prima principia & fundamenta suppeditat. 3. Quia finis Oeconomicæ habet se ad finem Politicæ tanquam intermedius ad ultimum, quia verò intermedius præcedit ultimum. *E.* &c.

Ad contraria argumenta *Resp.* ad 1. Esse fallaciam ambiguitatis in phrasi naturâ prius esse, quæ duobus intelligi modis potest. 1. absolutè. 2. respectivè, intentione videlicet naturæ. *Ad* 2. Similiter esse ambiguitatem in vocabulo perfectionis. *Ad* 3. Quod sit petitio principii, *Ad* 4. Quod

Quòd sit fallacia consequentiæ. Aristoteles enim sub finem Ethices facit mentionem Politices tanquam principalis partis totius Philosophiæ practicæ, ad quam & Ethica & Oeconomica respiciunt: Sed inde colligi non potest: Politicam ante Oeconomicam statim post absolutam Ethicam esse tradendam.

QVÆST. XVII.

Quomodo Politica differat à Iurisprudentia?

Quanta est cognatio & affinitas Physicæ scientiæ cum Medicina; tanta, imò major & arctior est Politicæ cum Jurisprudentiâ. Hinc etiam sæpe contingit ut ea, quæ propriè pertinent ad Jurisprudentiam, tractentur in Politicis, & contrà: quæ pertinent ad Politicam tractentur in Jurisprudentia. Differunt tamen in hoc: Quod in genere Philosophus Practicus docet, id Jureconsultus specialiter & particulariter per circumstantias personarum, rerum, locorum & temporum, perque distinctas partes & processus actionum atque judiciorum deducit, *Besold. d. l.* Quòd cùm ita, Politicam futuro JCto maximè necessariam concludimus.

Ζήτημα παρεργῶς adjectum.

An futuro Iurisconsulto Philosophiæ cognitio sit necessaria?

Studio Philosophiæ homines ad prudentiam acriores fieri testatur Aristot. *lib. 2. Rhetor.* & eandem quoque in consiliario requirit. Cicer. *declar. orat.* Peripatheticam disciplinam idem alibi commendat, quòd & rebus gerendis sit aptissima, & ab ea claros viros instructos sæpiùs & rempublicam feliciter gessisse, *lib. 5. defin.* Verùm tantum abest, ut hæc de Philosophia, quæ in contemplatione acquiescit, intelligi possint, à qua quid emolumenti in Rempublicam redundare potest vix animadverto, cum neque Politiam constituere, neque sauciatam ad integritatem reducere queat. Unde non immeritò speculatores istiusmodi, si ultra cathedram sapere, & Politices circulos turbare ausint, cum Phormione Hannibali sibilo excipiendi, & cum Thalete Thracensium risu eludendi sunt, ut animadvertant, aliam esse rationem altercationum in scholis, & aliam rerum gerendarum. Proinde per Philosophiam intelligimus illam, quæ in actione posita & in Ethicis, Oeconomicis, & Politicis consistit. Plura hac de re vide apud Thol. *l. 17. de Repub. cap. 7. num. 16.* Alberic. Cont. *lib 3. de Leg. cap. 9.* Tilemann. *in præfat. disc. pol.* Crug. *in clav. reip. disp. 1. & 4.*

Proinde

Proinde Thol. *l.17. de Repub. cap.7.n.16.* seriò urget. Practicis Philosophis clavum Reipublicæ concredendum esse; simul ac deridet Philosophos speculativos, quòd ultra cathedram sapere & Politiam administrare velint, proinde similes Thaleti eosdem judicat, qui cœlum suspiciens in foveam incidit & Thracensibus risum movit, ergo in ἀυτοχειρίᾳ sua, quam in se habent, maneant, nec circulos Politices turbent. Qua in sententia & nos acquiescimus.

DISPVTATIO II.

DE SOCIETATE CONJVGALI.

Resp. *Iona Petrejo, Sueco-Smolan.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

QUANQUAM *pluribus modis differant subjecta scientiarum & artium*, uti ex Zab. de tribus præcognitis, cap. 2. videre est. Item Mercat. qst. procem. operis Med. ult. & ex ipsa rei evidentia patet, *cùm* Scientia *requirat subjectum, de quo demonstrentur affectiones*, ars vel disciplina practica *in quod finis per instrumenta inducatur, veluti aurū se habet ad aurifabrū: tu. in eo conveniunt scientia & ars vel disciplina Practica, quod ex ipsa subjecti natura prodit,*

ut videlicet præsupponantur & explicentur ante disciplinam. 1. post. t. 73. & 2. post. t. 42. *ea, sine quibus ad perfectam & accuratam cognitionem ejus disciplinæ pervenire non possumus.* Arnis. in Polit. in Principio seu procem. de rat. ordinis. *Quare cùm* civitas, *quæ subjectum Politices est, perfectè intelligi non possit, nisi præmittantur ea ex quibus componitur, ut sunt familiæ, & familiarum societates,* Arist. lib. 1. Polit. 1. *non alio respectu hic de familiis & earum societatibus, quàm quatenus ad cognitionem & declarationem subjecti pertinent; & partes ejusdem constituunt,* l. 1. Pol. exerc. 3. *agemus.*

THESIS.

SOcietatem civilem, non aliunde, quàm ab ipso Deo & natura provenisse, certum est, Arnis. *l. 1. c. 1 s. 1.* Besold. *class. 1. disp. 1. thes. 13. in Pol.* Kecker. *in præc. Pol. can. 1.* Schönb. *l. 1. Pol. c. 4.* Althus. *in Pol. c. 1.*

2. Quomodo verò una educatur ex alia ostendit Arist: *lib. 1. Pol. cap. 2. &* Cic. *lib. 1. Offic.* his verbis: *Cùm sit hoc naturâ commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas est in ipso conjugio, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis & quasi seminarium Reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum sobrinarumq; , qui cum una*

domo

domo capi jam non possint, in alias domus tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio est soboles, & origo Reipublicæ. Arist. *l.2. de anima t.34. & 3. Pol.4.* Cic. *1. off. paulò post pr.* Aug. *l.2. cont. Faust. c.5. Epist. in Enchir.* Arnis. *1. Pol. c.1. §.4.*

3. Prima igitur à naturâ monstratur *societas, Maris & fœminæ conjunctio*, quam sequitur secunda, videlicet *Procreatio sobolis, & cura illius, quod procreatum est.* De quâ prolixiùs Cic. *l.1. offic.* his verbis: *Ingenerat imprimis natura præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, impellitq; ut hominum cœtus, & celebrari inter se & sibi obedire velit, ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent & ad cultum & ad victum, nec sibi soli, sed conjugi, liberis, cæterisq; quos charos habeat, tueriq; debeat.*

4. Et quia Paterfamiliâs conjugi & liberis suis prospicere tenetur, nam qui suos negligit, deterior est Ethnico & publicano, 1. *Timoth.* 5. 8. Impossibile verò est, ut huic oneri ferendo solus sufficiat herus familiæ, ordo prodit, videlicet, qui manus Patrifamilias commodare debet, quorum originem Arist. *l.1. Polit. 5.* etiam ex eo deducit, quod imperans & parens se naturaliter appetant, propter salutem, quia neutrum subsistere potest sine altero. *Et* Cic. *l.2. offic.*

Omnis ratio & institutio vitæ adjumenta hominum desiderat.

5. Ex quibus constat: tres esse *Societates primas: Mariti videlicet & uxoris, parentis & liberorũ, Domini & servorum*, quas cum ambitu suo complectitur familia; ideoque prius quàm societates profundiùs intueamur, in genere considerandæ venit familia.

6. Ne autem ambiguitate à cognitione perfecta impediamur, priùs vocabulum familiæ ab æquivocatione liberabimus, Græcis familia dicitur οἶκος vel οἰκία quod vocabulum etiam variè accipitur. Nam interdum denotat universam seriem agnatorum, *ut apud Demosth. & Thucid.* Interdum universam possessionem & quicquid ad vitam utile, *ut apud* Aristot. *lib.* 1. *Polit.* & Xenoph. *in Oecon.* quo sensu Hes. *lib.* 2. *op. & dier.* jubet prius quærere οἶκον, quàm uxorem. Hinc etiam οἰκονομία usurpatur, pro gubernatione domestica & οἰκόνομος dicitur, qui rebus familiaribus præsidet. *In sacris* verò nonnunquam familiæ nominantur πατριαὶ, *ut Luc.* 2. ἐξ οἴκου καὶ πατρίας Δαβίδ.

7. Porrò familiæ vocabulum, quod Alciat. ℑCtus *l.* 195. §. 1. *d. V. S.* derivat à verbo *famulari*, & *Brechæus* ibidem à fama, variè sumitur. *Interdum* pro tota gente seu tota serie agnatorum, & pro certa aliqua stirpe, & sic cõmuniter & vulgariter usurpatur. Atqui hoc sensu dicit *Cajus*

ICtus

ICtus l.196.§.1.d.V.S. Fœminarum liberos in earũ familia non esse, propterea, quòd, qui nascũtur, non matris, sed patris familiam sequantur, *§.1.Inst.de leg.agnat.tut.& l.cum legitimæ, 19.ff. de stat.hom.* Interdum sumitur pro re familiari & possessione. Quo sensu Terent. *Decem dierum vix mihi erit familia: &* Cic *pro Cæcin. Unde tu, aut familia, aut procurator tuus*; Interdum pro societate secundum naturam, vel pro pluribus personis; quæ sub unius potestate sunt. Qua in significatione h.l. vocabulum capitur, & sic usus ejus sese extendit non tantùm ad servos & reliquam possessionem, verùm etiam ad filios, *d.l.195.§.3.* item ad matrem & patremfamiliâs *d.l.195.§.2.& l.189.in pr.ff.de V.S.*

8. Definitur familia à *ICto* Ulpian. *in l.195. §.2. in vers. jure proprio ff. de V.S.* hoc modo: *Quòd sit inter plures personas, quæ sunt sub unius potestate, & vel naturâ vel jure subjectæ.* Deinde ab Arist. *natura quotidiani usus gratia.*

9. *Partes* Essentiales familiæ duæ sunt. Uxor videlicet & servus, Idque patet ex fine. Nam cùm duplex sit finis ejus, qui instituit familiam, ex dictamine naturæ, videlicet, *procreatio sobolis & sustentatio ejus, quod generatum.* Ideoque duobus indiget Paterfamiliâs, qui caput familiæ dicitur, instrumentis, *uxore* videlicet ad procreandum, *& servo* ad prospiciendum liberis de victu. Uxor enim per naturam nata non est subire officia

officia servorum, partim pudore muliebri sexui innato, partim imbecillitate, partim curis domi peragendis prohibita, ad sedentariam verò operam est formata, ut domum instar testudinis servet, colum & lanam tractet, & educationi puerorum domesticæ operam impendat. Et quamvis gravioribus onerantur laboribus in quibusdam partibus Germaniæ, quam in Anglia, Italia & Gallia, qua de re Montec. *l.* 1. *Pol.* Helveticos reprehendit, quòd mulieribus utantur loco servarum: id tamen fit hoc temperamento, ne in servorum ordinem deprimantur, nisi apud infimam plebem, ubi cùm maritus serviat, quid mirum quòd idem faciat & uxor? *Personæ* autem in familia tres sunt, videlic. *Paterfamiliâs, uxor & servus.*

10. Liberi proinde non sunt familiæ partes essentiales, sed effectus & finis primæ societatis conjugalis. Non enim familiam constituunt, sed veluti, opes, divitiæ, facultates, constitutam sequuntur. Hinc etiam inter bona possessa collocantur in sacris, *Iob* 1. *v.* 21. *&* *c.* 42. 12. *seq.* Proinde quando Paterfamiliâs prima jacet fundamenta, ducta uxore & ministris locatis imperfecta familia dici nequit respectu essentiæ, sicut puer, quoad partes essentiales hominis, imperfectus homo dici non potest, quamvis per ætatem, ratione uti nondum queat.

11. Huc usque in genere de familiis, sequun-

tur

tur jam societates in specie. Cùm verò triplices sint societates generales, utpote *Domestica*, *Collegialis & Civilis*. De domestica, quæ alias privata & societas paucorum dicitur, prius agemus. Estque uti dictum rursum triplex: *Conjugalis, Patria & Herilis*.

12. Et quia societate conjugali, nulla vel dignitate præstantior, vel utilitate efficacior, vel jucunditate uberior; ideoque prius pertractanda erit. Ut autem tractatio ejus societatis certis cancellis includatur, dicendum nobis erit 1. De Sponsalibus. 2. De nuptiis. 3. De requisitis nuptiarum. 4. De impedimentis nuptiarum. 5. De officiis Mariti & uxoris. 6. De modis matrimonium dissolvendi.

13. Dicuntur *Sponsalia* à spondendo, quia moris fuit veterib. stipulare, & spondere sibi uxores futuras *JCtus Ulp. in l. 2. ff. de spons.* Hinc omnis stipulatio promissioq; dotis, sponsio appellatur, & qui puellam spondet *Sponsor*; & quæ spondetur *Sponsa*, & cui spondetur, *Sponsus*, Actus verò hic dicitur *Sponsalia*, & actus publicus *sponsalia. ICt. Flor. l 3. ff. de spons.*

14. Definiuntur Sponsalia *à ICto Flor. in l. 1. ff. de spons.* Quòd sint mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Mentio dicuntur sponsalia respectu ejus qui stipulatur, siquidem mos erat veteribus, stipulari & spondere sibi uxores futuras,

turas, ut antea dictum: repromissio dicuntur respectu ejus, qui spondet.

15. Canonistæ in decretalibus suis faciunt sponsalia duplicia. Alia *de præsenti*, & alia *de futuro, uti videre*, *in c. commissum. 16. & c. tuæ fraternitati 25. & c. ult. & penult. de sponsalib. & matrim.* Sponsalia *de futuro* dicunt illa esse, quæ per verba de futuro concipiuntur de futuro matrimonio, & nihil aliud sunt, quàm promissio aliqua seu spes de futuro matrimonio imposterum contrahendo, *cap. penult. de spons. & matr.* Sponsalia de præsenti: quæ per verba de præsenti concipiuntur, de præsenti matrimonio, ut duco te in uxorem, accipio te in virum. Hæc absolutũ important consensum & efficacẽ obligationem inducunt, ita, ut quod semel placuit, amplius displicere non possit, & in tantum obligant, ut uno dissentiente, vel etiam utroque dissentiente, & sic contrario consensu dissolvi non possint: Non enim militat in his regula, quæ posita est, *in l. 35 ff. d. R. I.* Illa verò, quia non absolutum important consensum; quia vel non fit absoluta futurarum nuptiarum mentio, aut vel ex parte alterius non fit absoluta & simplex repromissio, sed tantùm fit alicui spes, de futuro matrimonio imposterum contrahendo, vel partes pactum volunt esse ratum certis conditionibus, vel promittunt aliquo temporis spatio se iterum conventuros, & prout re latius considerata & deli-

deliberatâ postea visum fuerit, promissioni de futuro matrimonio factæ satisfacturos, non inducunt obligationem efficacem, nisi subsecuta fuerit copula carnalis, tunc enim inducitur præsumptum matrimonium, *c. is qui fidem 30. ext. d. sponsal.* alias impunè pars dissentiens ab ea promissione recedere potest.

16. Verùm distinctionem hanc Sponsaliorum *Jus civile* non agnoscit. *Jure enim civili* ea tantùm sponsalia appellantur, quæ sunt promissiones de futuro matrimonio contrahendo, quæ à Canonistis sponsalia de futuro nominantur. Addit ergò *Jus Canonicum*; Sponsalia de præsenti, quæ jure civili, nihil sunt aliud, quàm verum matrimonium. Sed quia jus Canonicum hac distinctione differentiam constituere voluit, inter *matrimonium consensu initum & consummatum*, attento communi usu loquendi, tolerari hæc distinctio potest.

17. Porrò sponsalia de præsenti duplicia sunt: Alia dicuntur *Publica* & alia *Clandestina*. *Publica* sponsalia sunt, quæ palàm contracta sunt in præsentia testium, quibus probari possunt. Et de istiusmodi, nullum est dubium, quin valeant nisi impediantur ratione consanguinitatis vel aliis causis de quibus paulò pòst in requisitis justarum nuptiarum agemus.

18. *Clandestina* sponsalia *in genere*, omnia ea dici possunt, quæ cõtra prohibitionem generalem

neralem vel specialem, expressam vel tacitam contracta sunt: Panorm. *in cap. cum inhibitio. 3. num. 8. ext. de Clandest. desponsat.* in specie duobus tantùm modis dicuntur clandestina sponsalia. 1. *Strictè & propriè* loquendo, quæ clàm, remotis arbitris & nullis testibus præsentibus contrahuntur, *cap. 1. 2. & 3. ext. eod.* 2. *Largè*, quando in præsentia testium, sed sine consensu parentum sponsalia contracta sunt, hæc Luther. *in libell.* Von Ehesachen / nominat propriè esse heimliche Verlöbniß / quod non valeant quamvis mille testes interveniissent.

19. In priore significatione prohibentur quidem fieri sponsalia clandestina à jure Canonico propter plurimas rationes, *de quibus vide t. t. de clandestin. desponsation. & cap. aliter. 1. caus. 30. q. 5.* Interim tamen contracta non distrahuntur, modo uterque confiteatur, se clam matrimonium contraxisse. Panorm. *d. c. 1. extr. eod.* Et in tali casu perinde est, ac si coram facie Ecclesiæ contraxissent.

20. Publica tamen sponsalia semper præferri debent clandestinis, *cap. 2. ext. eodem.* Nec refert, si sponsus & sponsa confiteantur se sponsalia clandestina prius contraxisse, modo copula non accessit, tunc enim clandestina sponsalia publicis præferēda esse; tradit D. Luth. *lib.* Von Ehesachen / ubi etiam rationes suas adfert. Et tantùm de sponsalibus; Sequitur matrimonium.

21. *Ma-*

21. *Matrimonium* dictum est vel à titulo matris, paulò pòst impetrando, Agell. *l.18.c.6.* cùm idcircò fœminæ nubant, ut matres fiant, August. *l.19.contr.* Menoch. *c.26.* vel à majore matris certitudine, *l.5.ff.de in jus vocando.* Homer. *Odyss.1.* Aliter vocatur *Conjugium* à communi jugo, quo vir & uxor junguntur. *Nuptiarum* quoque appellatio vulgaris est, à veteri velationis ritu *cap.nec.illud.8 caus.30. q.5. & cap. muliere si sine 3. caus.33.q.5.* Plura de nominibus conjugii, connubii, consortii. *Vide apud.* Heig. *ad pr.inst.de Patr.potest.num.14. & seqq.* Speckhan. *cent.2.class.2.q.6.* Alberic. Gentil. *disp.de Nupt.c.18. & 19.*

22. Sunt autem Nuptiæ seu matrimonium legitima conjunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio, *ICtus Modest.in l.1.ff.de ritu nupt. &* §.1. *Inst de Patr.potest.*

23. Legitima conjunctio dicitur illa, quæ neque natura, neque lege, neque Canone prohibetur. Estque proinde *viri & mulieris* conjunctio, *non marium nec fœminarum, d.l.1.ff.de ritu nupt.* Ex quibus verbis patet *Polygamiam omnino prohibitam*, non tantùm lege civili & voce majestatis terrestris; verùm etiam voce Jehovæ & ipsius majestatis cœlestis, *Genes.2.v. 24. Matth.19.v.5. Marc.10. v.8. 1.Cor.6.v.16.* Ad quam Jehovæ vocem Salvator ipse nos re-

vocavit, cum hæc controversia agitaretur, *Matth.19.* Nostrum ergo erit, ne latum quidem unguem ab institutione illa prima recedere. Legibus civilibus, plures ducens uxores, non tantùm fit infamis, *l.13.§.1.ff.de his qui notantur infamia*, *l.2.C.de incest. nupt.* Verùm etiam pœnâ stupri punitur, *l. eum qui duas 18.C. de adulteriis.* Quin imò *ex Constit. Caroli V.* capite puniuntur in der P.H.O. *a.121.* Item dicitur in definit. *viri & mulieris*, ad ostendendum, omnem aliam conjunctionem in diversa specie, *de qua loquitur text. in Levit. c.20.* esse detestandam, cùm & Sodomiticum peccatum jure civili sub pœna capitis prohibitum. *l. cum vir.31.C. de adult.* Hodiè verò igne concremari solent *ex Constit. Caroli V.* in der P.H.O. *a.116.*

24. Requisita justarum nuptiarum Imper. IV. ponit. Primum. Ut contrahentes sint cives Romani, hoc est, liberi homines: Sed quia hodiè ferè in universo orbe servitus desiit, hodiè etiam inter servos & ancillas matrimonium contrahitur, ut constat *ext. t. ext. de conjug. serv.*

25. Secundum requisitum est ætas contrahentium, quæ de *jure civili* ex annorum numero, *§.1. Instit. de nupt. de jure Canon.* ex coëundi potentia, æstimatur, *cap. puberes.3.& c. de illis 9. extr. de despons. impub.* ubi dicitur, quod malitia, hoc est, animi vigor, suppleat interdum ætatem.

26. Ter-

26. Tertium requisitum est consensus non tantùm eorum, qui contrahunt nuptias, verùm etiam, in quorum potestate contrahentes sunt. Et hoc in tantum valet de jure civili, ut omninò parentum consensus præcedere debeat. Consensus enim non concubitus legitimas nuptias facit, *l. consensus 30. de R. I.*

27. Quartum requisitum, ne consanguinitas & affinitas sint impedimento. Quod requisitum, quia & cognitu necessarium, & utile est, sequentibus membris declarabimus. Primò de differentiis linearum, secundo de supputatione graduum, & tertiò, qui gradus de jure prohibiti sunt, & qui non, agemus.

28. Est autem *consanguinitas* vinculum personarum ab uno stipite descendentium carnali propagatione contractum: Estque *duplex agnatorum & cognatorum.* Illi ex Masculina linea progenerantur. Hi verò ex fœminea. Sed plerumque hæc vocabula confunduntur & indifferenter accipiuntur. Ideoque cognati, agnati, sive consanguinei rectè dicuntur illi, qui ab eodem stipite & orti & propagati. *Stipes sive stirps* est persona à qua reliqui, de quorum cognitione quæritur, originem ducunt. Ducta est similitudo ab arbore. Nam quemadmodum ab uno stipite, plures oriuntur rami, à quibus alii ejusdem cum stipite naturæ propagantur: Sic ab uno Patre filii, & ab his nepotes, &c.

29. Distinguuntur autem (*consanguinei, & Li-*

neis & Gradibus: *Linea* est ordinata collectio personarum consanguinitate junctarum, ab eodem stipite descendentium diversos continens gradus & cognationes distinguens. Est proinde linea nihil aliud, quam ordo, qui servandus est in consanguinitate, ne confusio fiat.

30. Estque linea duplex. Alia dicitur *recta*, & alia *obliqua*. Recta linea continet in se & ascendentes & descendentes. Exempla passim invenies tam apud Theologos, utpote Chemn. *p.* 524. Hafenreff. *q.* 777. quam apud J. Ctos.

31. *Obliqua linea*, quæ alias *linea Collateralis* dicta est, complectitur illos, qui nobis ex latere juncti sunt, à quibus nos, non ducimus originem, neque ipsi à nobis & tamen ab una & communi stirpe & sanguine propagati sumus, ut fratres, sorores & eorum earumque liberi.

32. Estque *linea obliqua* sive collateralis rursum duplex: *æqualis & inæqualis*. *Æqualis linea* dicitur, quando gradus illorum, de quorum sanguinitate quæritur, æqualiter & pariter distant à communi stipite, veluti duo fratres & duorum fratrum filii. Inæqualis dicitur quando una persona præcedit aliam in gradu & non pariter à communi stipite distant, veluti frater & fratris filius. Et tantùm de lineis.

33. Gradus est intervallum, quo cognoscitur personarum, de quarum cognatione quæritur, propinquitas. Uti enim linea ordinem consanguini-

guinitatis tenet: ita gradus seriem seu rationem propinquitatis numerat.

34. *Supputatio* graduum duplex est. Alia est *Juris Civilis*, & alia est *Juris Canonici*, de utraque hoc loco videndum.

35. Supputatio juris civilis comprehenditur hac regula: *Quot sunt generationes à communi stipite tot sunt gradus, vel tot sunt gradus, quot numerantur personæ, stipite dempto.* Et hæ regulæ locum habent, tàm in linea inæquali, quàm æquali, tàm in obliqua seu collaterali, quàm recta. Exempli gratia, inter patrem & filium una est generatio. Ergò sunt in primo gradu. Inter patrem & nepotem sunt duæ generationes, quia ordine naturæ primò pater genuit filium, & filius nepotem. Ergò sunt in secundo gradu. Sic inter fratres duos, sunt duæ generationes. Ergo sunt in secundo gradu. Sic inter duorum fratrum filios numerantur quatuor generationes. Ergò sunt de jure civili in quarto gradu.

36. *Supputatio Juris Canonici* (quæ tantùm in nuptiis, non verò in hæreditatibus locum habet) consistit in diligenti observatione linearum. Et quod attinet, ad *Lineam rectam*, nulla est differentia à jure civili in supputatione graduum, sed eadem regula de jure Canonico adfertur, quæ supra ex jure civili posita, videlicet, *tot esse gradus, quot sunt personæ, unâ demptâ.* Porrò de linea *collaterali* æquali, talis est

regula supputationis: *Quoto gradu uterq; distat à communi stipite, eodem quoq; inter se distant*; veluti duo fratres, cùm distet uterque uno gradu à Patre. Ergò uno gradu inter se distant: Et per consequens de jure Canonico in primo gradu sunt, qui de jure civili erant in secundo gradu. Sic duorum fratrum filii, quia distant ab utraque parte, à communi stipite, nempe ab avo, duobus gradibus. Ergò inter se duobus gradibus distant, & per consequens duorum fratrum filii sunt *de jure Canonico*, in secundo gradu, qui *de jure civili* erant in quarto. Et sic consequenter. Tertiò in *linea inæquali* traditur hæc regula. *Quoto gradu distat remotior à stipite, eodem quoque gradu inter se distant.* Necesse igitur est hoc in casu, ut inter eos de quorum propinquitate quæritur, eum consideres, qui à stipite est remotior, nam quoto gradu ille à communi stipite distat, eodem etiam distabit à suo consanguineo de jure Canonico. Exempli gratia, si scire cupias, quoto gradu tibi conjuncta filia tui fratris, tunc numera à filia, quæ est persona à communi stipite remotior, gradus per regulam à jure civili & primam à jure Canonico traditam, & invenies, quòd filia tui fratris distet à communi stipite duobus gradibus. Ergò tibi erit in gradu secundo conjuncta. Et sic de cæteris est judicandum. Et tantum de supputatione graduum.

37. De jure civili, *in linea recta*, prohibitæ sunt

sunt nuptiæ in infinitum: *in linea collaterali*, inter eos qui parentum & liberorum locum inter se obtinent, prohibitæ sunt nuptiæ in infinitum. Et hinc cujus filiam non possum ducere in uxorem, propterea, quod parentum loco sim, ejus neque neptem ducere possum. Utpote cùm fratris mei filiam ducere non possim, propterea, quòd sim ei patris loco; sequitur, quòd neque ejus neptem ducere possim. *Id, quod de jure divino* etiam certissimum, *Levit. 18. v. 12. & 13.* Inde talem facio conclusionem. Si propter carnis propinquitatem patris mei sororem in uxorem ducere non possum, id quod ex *Lev. c. 18. v. 12.* certissimum. Ergo propter eandem rationem & gradus paritatem vice versâ, Patris mei frater nec sororem meam ducere in uxorem potest: vel quod idem est. Quæ mulier mihi prohibita est ob propinquitatem carnis, illius mulieris frater sorori meæ prohibitus intelligitur. Detestamur ergò Pontifices, qui contra expressam scripturam in istiusmodi incestuosis nuptiis dispensare solent. Aliàs & extra illum casum parentum & filiorum in linea collaterali; *de jure civili secundus & tertius gradus*, computatione civili prohibitus. Nam duorum fratrum filii, qui in linea, collaterali in quarto gradu sunt, de jure civili matrimonio conjungi possunt, §. *duorũ fratrũ 4. Inst. de nupt. l. 3. & l. non solum, 67. §. 1. ff. de ritu nuptiarum, l.*

celebrandis, 19. C. de nuptiis. Theodosius quidem Major hujusmodi quoque matrimonia improbavit & prohibuit, *auctoribus* Aurelio Victore, & Paulo Monacho *in Theodosio, &* D. Ambros. *lib. 8. Epist. ad Paternum,* ac constat id ipsum ex *l. unic. C. Theodosian. si nuptiæ ex rescripto petantur,* in qua lege Theodosius & Arcadius statuunt amissionem bonorum & pœnam deportationis in eum, qui contra legum præcepta, nuptias precum subreptione meruerint, exceptis his inquiunt, quos consobrinorum, id est, quarti gradus conjunctionem, lex triumphalis patris nostri, exemplo intultorum, supplicare non vetuit. Fuit hæc constitutio recepta apud Gothos, *teste* Cassiodoro *lib 7.* Variarum. Et ex Gothorum jure postmodum est negatio ad ICtum Cajum adscripta, *in 1. Instit. t. 4. ad* Ulpian. *in fragm. t. 5. ad* Theophilum *in* § *duorum, Instit. de nuptiis, & ad* Constantinum Harmenopolum *lib. 6. epit. t. 4.* Qui omnes scribunt, duorum fratrum aut sororum liberos conjungi non posse. Post mortem 2. *Theodosii* liberi ejus, utpote *Arcadius & Honorius,* patris constitutionem rursum abrogarunt, *d. l. celebrandis 19. C. de nuptiis.* Concilia vetustissima, prohibitionem illam de jure civili modo, & divino positam nullo coarctarunt, sed magis magisque ampliârunt, utpote, *Anno 490.* ad secundum gradum Canonicum in linea æquali, postea *Anno 577.* ad tertium gradum

dum Canonicæ supputationis in linea inæquali. *Anno* 619. ad tertium in linea æquali. Pontifex verò *Innocentius* *Anno* 1215. usque ad octavum gradum de jure civili computatum, vel quarto jure Canonico & quidem inclusivè, matrimonium contrahere prohibuit, *cap. non debet 8. Extr. de consang. & affin.* *Moribus nostris* quarto gradu exclusivè, apud nonnullos etiam tertio, & quidem linea inæquali matrimonium contrahere permittitur.

38. Gradus quidem in affinitate de jure civili nulli sunt, *l. 4. § 5. de grad & affin.* Ergò de jure civili ratione affinitatis inter eos tantùm nuptiæ sunt prohibitæ, qui parentum liberorumque locum inter se obtinent, uti ex *§. 6. & seqq. instit. de Nupt.* patet. Sed de jure Canonico quia eodem modo, uti in consanguinitate, gradus distinguuntur, juxta hanc regulam: *Quoto gradu quispiam est cognatus uxori, eo fit affinis marito, & contra.* Ergò de jure Canonico ratione affinitatis similiter in quarto gradu cõputatione juris Canonici nuptiæ erunt prohibitæ. Et tantùm de requisitis.

39. *Officium mariti* consistit *partim* in præstatione debiti naturalis: *partim*, in subministratione alimentorum, *partim* defensione, *partim* in gubernatione domestica.

40. *Præstationem debiti naturalis priore loco ponimus.* Parentes enim liberorum procre-

andorum animo & voto uxores ducunt, ut ex prole diuturnitatis sibi memoriam in ævum relinquant, *l.* 220. § 3. *de V. S.* Non ergo ad fovendam perpetuam virginitatem contrahendæ sunt nuptiæ. Paria enim sunt non habere maritum & habere inutilem, *gl. in l. plagiarii, C. ad l. Fab. de plag.*

41. *Alimentorum subministratio* succedit, quæ & exhibitio alimentorum à nostris dicitur, *l.* 1. § 4. *ff. de mun. & hon. l.* 34. *ff. de neg. gest. l.* 42. § 2. *ff. solut. matr.* alimenta autem sunt duplicia; quædam enim *nutritioni* & quædam *cultui* corporis inserviunt. Utraque præstare uxori maritus tenetur ex lege naturæ. Qui enim suos non alit deterior est Ethnico, 1. *Tim.* 5. 8. Et qui alimenta subtrahit, necare videtur, *l.* 4 *ff. de agnos. lib.*

42. *Defendere* etiam uxorem maritus tenetur. Nam uxores defendi à viris, non viros ab uxoribus æquum est, § 2. *Inst. de injur. l.* 2. *ff. eod.* Et si maritus, cum uxorem defenderet, aliquem aggressorem occiderit, observato moderamine inculpatæ tutelæ; pœnam non incurret. *Nicol. Vigel. Prosocer meus, in M. S. C. Gœddeus in expl. l.* 3. *de just. & jur. axiom.* 4.

43. *Administratio* denique domestici regiminis viro incumbit, ut suo consilio Oeconomica procuret negotia, mandet, jubeat, quid fieri velit, regimine a. illo non nimis asperum ostendat se maritus: Si immorigera est uxor, modica

modica castigatione uti poterit, non violenta aut tyrannica.

44. *Officium uxoris* consistit, *partim* in præstatione debiti naturalis, *partim* in exhibitione honoris & obedientiæ, *partim*, ut unum idemque habeat cum marito domicilium: *partim*, ut gratam viri defuncti memoriam retineat.

45. Quod debitum naturale attinet, constat maximum ac præcipuum fœminarum munus esse concipere ac tueri conceptum. *l. quæritur*, 14. §. 1. *ff. de ædilit. edict. & l. ambiguitates 2. C. de indict. vid. toll.*

46. Tenetur porrò Uxor Marito suo præstare obedientiam & honorem, verecundiam & timorem, *Eph. 5. v. 22. 1. Petr. 3. v. 1. 16. Esth. 1. v. 20. 17. 1. Tim. c. 2. 12.*

47. Convenit etiam Uxori, ut habeat cum marito idem domicilium, & sequatur maritum in omni fortuna, *Exod. 18. v. 2. 3. & 1. Sam. 27. v. 3. Gen. 29. v. 21. & c. 30. v. 25. 26.* experiatur miserias & calamitates, *1. Sam. 19. v. 11. 12. & 1. Reg. 14. v. 4.* Item ad mores mariti sese componat & accommodet, *1. Cor. 7. 3. seq. Prov. 31. 10. seqq.* Sine ejus consilio nihil agat *Num. 30. v. 7. 8. Eccl. 25. v 30. 31. 32.* Est enim uxor propter virum & adjumentum viri & ex viro condita, *Gen. 2. 18. 1. Cor. 11. v. 9.* pars mariti *Matth. 19. v. 5. Eph. 5 v. 28.*

48. Hinc accipit uxor quædam ratione matrimonii

monii *privilegia*, Mulieres enim maritorum honore eriguntur & genere nobilitantur *l. ult. C. de incol. l. 13. C. de dignit.* Hinc maritus nobilis nobilitat uxorem rusticam, & maritus ignobilis, uxorem nobilem facit ignobilem *Vult. 1. de I. R. 16. n. 15.* Maritus ergò communicat uxori suum nomen & familiam, dignitatem, statum & conditionem, quam vidua facta retinet tamdiu, quàm diu in eodem statu permanserit. *l. filii. 22. §. 1. ff. ad municip. & l. fin. C. de bon. quæ lib.* & ratio est, quòd defuncto marito, idem matrimonium nihilominùs durare intelligatur. Quæ autem ad vitam tantùm marito concessa immunitas, ad viduas non transit, *l. Archiatros 8. C. de metat.*

49. Solvitur matrimonium vel *ipso jure*, propter adulterium. *Matth. 19. v. 9.* vel per *magistratum*, propter malitiosam desertionem.

50. Adulterium, quod attinet variis modis semper est coërcitum Zaleucus *teste* Val. Max. *lib. 6. c. 5.* adulteros oculis privavit, *Diogenes* testium suspensione punivit. *Tiraq. lib. Connub 3. n. 12.* Ægyptii, narium mutilatione, Diod. Sic. *lib. 2. c. 3.* quæ pœna in regno Neapolitano est frequentata, in quo viro permittitur adulteræ mulieri præcidere nasum. Capitalis pœna in Repub. Rom. introducta est, lege Julia, *§. 4. inst. de pub. Jud.* Verberatione ignominiosa utebantur *Germani.* Tacit. *de morib. Germ.* Hodie plerumque

rumque capitis subeunt discrimen, aut fustigatione, aut pœna pecuniaria mulctantur. Et tantùm de præceptis, sequuntur quæstiones.

QVÆSTIO I.

Vtrum homo naturâ sit animal sociale?

Variæ sunt hominum opiniones, quomodo in Politias & societates homines primùm redacti. Nonnulli dixerunt temerè & fortuitò homines in societatem perveniſſe, perinde, ut atomi temerè confluunt: quam opinionem *Cicero* tribuit *Epicuro*, & eundem refellit, 1. & 2. *de natur. Deor. Vitruvius* persuadere nobis conatur, homines prodigio & miraculo quodam conveniſſe, cùm nempè primò ignem conspexerint, tanquam rem miram, quòd sint primò perterriti, postea verò, ubi propiùs ad ignem accesserint, & calorem ejus senserint, quòd tum demum ad eundem habitare cœperint, & societatem colere inceperint. Horat. *in lib de arte Poëtica*, conatur nobis persuadere: Homines beneficio Musices primum conveniſſe, Diodor. Sicul. *cum Herodot. & aliis*, est in ea opinione, quòd homines primum convenerint defensionis gratia Ovid. 1. *Metamorph.* existimat homines conveniſſe, ut pagos ac domos extruerent, & sic se adversus frigus, calorem & alias

alias Cœli injurias munirent. Alii propter religionem homines primùm convenisse putant, ut alter alterum de religione doceret; In qua opinione hodie sunt Jesuitæ.

Sed erroneæ hæ sunt opiniones & veritati quàm maximè adversantur, Quamobrem omnes illas opiniones graviter refutat Lambert. Dan. *lib.* 1. *Polit. Christ. c.* 3. ubi concludit, non alia causa, quàm naturæ instinctu & lege divinitus implantata Politias esse initio constitutas, quam sententiam, ut veram & sanam & nos retinemus & ulteriùs certis fundamentis probamus. 1. Ab auctorit. Arist. *l.* 1. *Pol.* 2. ubi hominem vocat ζῶον πολιτικὸν, item *l.* 1. *Pol.* 4. ab hominis appetitu, qui non debet finaliter frustrari, propterea, quod omni potentiæ in rerum natura respondeat suus actus, Sonc. *l.* 5. *Met. q.* 15. 16. Item ab auctorit. *Cic.* in pluribus locis, *l.* 1. *Offic.* 1. in verbis naturam vi rationis. Item *l.* 4. *de fin. & in Lælio in verbis:* à natura potius. Et paulò post ubi enim benefici, &c. item *in Lælio in verbis*, tum maximè &c. 2. ab auctoritate JCtorum, *l.* 3. *ff. de I. & I. l.* 2. *in fin. ff. de ll.* 3. Hominem ad κοινωνίαν, instinctu naturali trahi apertè indicat sermo; qui solitario omninò supervacuus est, & frustrà conditus. 4. Impellitur quasi natura ad hanc vitam Symbioticam amplectendam; quia omni auxilio destitutus, nudus ac inermis, quasi ex naufragio rebus omnibus

mnibus amissis, in hujus vitæ ærumnas ejicitur; neque etiam in adulta ætate, propriis viribus omnia vitæ subsidia sibi parare potest. Plures rationes, *vide apud* Timpl. *l.* 1. *Pol.* 3. *q.* 5. Althus. *l.* 1. *Pol.* 1. *in pr.* Arnis. *l.* 1. *Pol.* 1. *in pr. sect.* 1. Besold. *class.* 1. *disp.* 1. *thes.* 13.

Pro solutione argumentorum, *quæ* Plat. *3. de l. & 2. de Republ.* Machiavell. *lib.* 1. *disc.* Liv. *cap.* 1. Magir. *l.* 1. *de reg. instit. cap.* 1. Montec. 1. *Pol.* 4. *text.* 16. Pro necessitate adferri & *à Bodin. l.* 1. *de Rep. c.* 6. *& 4. c.* 2. *de vi* adferri solent, distinguendum putamus inter causam efficientem internam & impulsivam. Causam efficientem internam dicimus esse naturam, seu ipsum lumen naturale. Causæ verò impulsivæ possunt esse variæ, utpote, metus, indigentia, frigus, &c. de quibus hoc loco non agimus.

QVÆST. II.

Vtrum vita solitaria in bene constitutis Politiis sit toleranda?

Priusquam ad hujus quæstionis resolutionem accedamus, vitam solitariã ab æquivocationis & ambiguitatis vinculo liberabimus. Sumitur n. vita solitaria variè. Imprimis ponitur *pro vita cælibe*, & quatenus vitæ conjugali opponitur.

Porrò

Porrò *pro vita sordida & privata*, remota à conversatione hominum, quatenus opponitur vitæ sociali tàm domesticæ, quam civili. Tertiò, *pro vita contemplativa & studio sapientiæ ac eruditionis*, in hunc finem, ut postmodum prosint Reipublicæ consilio vel aliis modis. Quartò, *pro vita contemplativa tantùm, quatenus opposita est praxi.*

Illam ergò hoc loco libet excutere quæstionem? Utrum ea vita solitaria, in qua sunt homines μισάνθρωποι & ἀπόλιδες, & monasticum seu eremiticum vivendi modum amplectuntur & in latebris suis delitescunt, toleranda nec ne.

Argumenta quæ pro assertione hujus quæstionis adferri possunt: potissimum hæc sunt. 1. A scripturæ testimoniis, *Hebr. cap. 11. vers. 38. 1. Reg. cap. 19. Luc. 1. vers. 80.* in quibus textibus vita solitaria probatur & asseritur, quòd non tantùm multi ex fidelibus, olim in desertis erraverint, inque montibus & speluncis terræ vixerint, quibus mundus indignus, verùm etiam, quod Maria meliorem elegerit partem, & quod Salvator ipse in desertis in juventute fuerit. 2. A testimonio humano Hieronym. *Epist. 73. Mihi oppidum carcer, & solitudo Paradisus.* Item August. *in lib. de Singul. cleric. Minus voluptatibus stimulatur, qui non est, ubi frequentia voluptatum: & minùs avaritiæ molestias patitur, qui divitias non videt.* Item Chrysost.

super

super Matth. Sicut difficile est arborem juxta viam positam fructus ad maturitatem servare: Sic difficile est virum juxta hunc mundum viventem usque finem tenere, Recede ergò de via & planta te in loco secreto, ut nec mundus tecum habeat commune; nec tu cum mundo. 3. Quia hæc vita hominem avocat à tumultibus, à curis, & abstrahit ab improborum congressu, facit, ut homo omnibus cupiditatibus & voluptatibus mundanis valedicat & duntaxat rerum cœlestium cognitione delectetur. 4. à mandato & exemplo Christi: Christus enim quoties orare voluit, ivit ad montes, loca deserta, & ab hominum congressu remota. 5. ab exemplo multorum Philosophorum & divorum Patrum. Constat autem non tantùm Pythagoreos, verùm etiam Augustinum, Ambrosium, & alios plures, imò Eliam & Johannem Baptistam, monachos & eremitas fuisse.

Verùm in contrarium hæ sunt rationes. 1. Quia pugnat cum communi hominum natura, uti quæstione præcedenti est demonstratum. 2. Pugnat cum hominum fine. Non enim nobis tantùm nati sumus, sed ortus nostri partem Patria nostra vendicat, partem parentes, partem amici, Cic. 1. *Offic.* Aristot. *8. polit. 1. l. 1. §. 15. ff. de vent. in poss. mittend. l. 19. §. filius. 7. ff. de capt. & postlim. revers.* Hinc vir sapiens, qui operam denegat Reipubl. est thesaurus absconditus, qui

nemini prodest, *Syracid. c. 2. 3.* 3. Quia majorem licentiam peccandi homini concedit, & fenestram aperit tentationibus Diabolicis, uti exempla satis luculenter demonstrant. Hinc *Seneca Epist. 61.* rectè ait: *Omnia nobis mala solitudo persuadet. Nemo est, cui non sit sanctius esse cum quolibet, quàm secum.* Et Bernhardus *ad Sophiam virginem: Malum, quod nemo videt, nemo arguit: & ubi non timetur reprehensor, ibi securus accedit tentator, & sic licentiùs malum perpetratur.* 4. Quia vitam solitariam & Scriptura sacra refert inter maledictiones *Gen. 4. v. 14. Deut. 28. v. 64. & 65. Ps. 107. v. 4. & 5.* 5. Damnantur istiusmodi solitarii legibus civilibus, *utpote l. 26. C. de decurion.* ubi dicitur, quod debeant erui latebris suis, & ad municipia subeunda revocari. 6. Constat ex sacris, quod sanctissimi & pientissimi homines vitam politicam amplexi sint. 7. Quia solitudinem quærere; & locum mutare mentem non mutat: Loth sanctus fuit in Sodomis, in monte verò ubi in solitudine fuit, peccavit.

Cùm ergò vera ἐυθυμία, & securitas non sit sita in ecstasi & spirituali monastico gaudio; sed potiùs in carnis & affectuum victoria, istiusmodi Monachorum & eremitarum turpem solitudinem, ventri, somno, libidini, &c. addictam, omninò detestamur, & quæstionem nostram hâc disjunctivâ concludimus; aut præstantior

ſtantior eſt naturâ communi, aut cum Nebucadnezare, *Dan.*3. in beſtiam degeneravit, qui à ſocietate abhorret, utram arripiat partem Monachi, vapulabunt.

QVÆST. III.

Vtrum meliùs ſit vivere in cælibatu, quàm in ſocietate conjugali?

Portentoſæ & horribiles à veteribus hæreticis; de hac vitæ conjugalis ſtatu, ſparſæ ſunt ſententiæ. Primarium hujus ſectæ caput fuêre *Eſſeni*, qui contemptum conjugii fecerunt, Joſ. *lib.*2.*c.*12.*de bell. Iud.* Marcion, Severus, Lucan. Montaniſtæ, Novatiani, Gnoſtici, Adamiani, Priſcillianiſtæ, Albigenſes, in meras tandem proruperunt blaſphemias, *& ipſi Diabolo conjugii inſtitutionem nefariâ voce aſſcripſerunt*, Socrat. *lib.*1.*c.*8.*& lib.*2.*c.*33. Auguſt. *c.*74. *ad Deut.* Qui furor *in Concil. Nicen. an.*325. publico anathemate cœpit coërceri, Ruff. *lib.* 1. *hiſt.c.*1. Secundus quidam, à quo dicti Secundani, docuit: *mulierẽ totam, eſſe opus diaboli, viri itidẽ inferiores partes ab umbilico, proinde utẽtes conjugio, Satanæ opus implere*, Epiph. *l. hæreſ.*tõ. 3. Plato adhuc dubitavit, *quonam in genere animalium deberet ponere mulierem, rationalium.*

ne, an verò brutorum? Arnis. *1. polit. 9.* Quidam *ex* Arist. *lib. 2. de generat. an. c. 3.* Albert. *Magn. 2. Ph. tr. 1. c. 5.* conantur dicere : *Fœminam esse monstrum, & generari per accidens contra intentionem naturæ.* Non multum ab hac sententia absunt Papistæ, & quamvis verbis protestantur se honestè sentire de matrimonio , quatenus contrahitur à laico , interim tamen facto ipso contrarium asserunt , dum *conjugium vocant statum carnalem, in quo nemo possit Deo placere.* Idem dum scribunt, *quod pejus sit nubere, quàm uri.* Idem dum dicunt, *quod melius sit, si Sacerdos fornicetur, aut domi concubinam habeat, quam si matrimonium contrahat.*

A quorum genio parum abesse puto omnes in turpi cœlibatu viventes, celebrem mulierum malitiam prætendentes, vel multa onera & molestias vitæ conjugalis extimescentes , & quæ sunt alia plurima. Quibus reponimus: 1. Conjugium esse sanctissimam Dei ordinationem, ante lapsum adhuc institutam, in qua invenitur puritas, castitas & sanctificatio, 1. *Corinth. 7. 2. seq.* 1. *Thess. 4. v. 4. Hebr. 13. v. 4.* 1. *Petr. 3. v. 1. & 2. Eph. 5. v. 3. Vide part. 3. exam. Concil. Trident. D. Chemnit.* 2. Reponimus illis veteres constitutiones. Egregia enim vox est & multis laudata elogiis *Hadriani Imp. in l. cum ratio §. 3. ff. de bon. dam. Se malle hominum adjectione, quam pecuniarum copiâ ampliare Imperium.*

Intel-

Intellexit enim D. Imperator sine societate cõjugali, neque familiam, neque patriam, neque Rempubl. neque Ecclesiam, neque cultum divinum conservari posse. Non alieni erant ab hac sententia censores in Repub. Rom. quorum munus erat inter cætera, familias censere, & vitam cælibem prohibere, Cic. *3. de ll.* ita (*Camillus & Posthumius* censores æra, pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cœlibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt, Valer. Max. *lib. 2. c. 4.* Atque illud etiam in Republ. Rom. vigebat quod cœlibes nihil ex civium Romanorum testamentis capere possent. Gœdd. *ad l.* 128. *n.* 1. *de V. S.* & proinde neque ex mortis causâ donatione *l. 35. pr ff. de mort. caus. donat.* Deforme quippe erat liberos non habere, Ambros. *in Luc. c. 3.* 3. Reponimus illis oseribus societatis conjugalis, gentium nonnullarum usurpatas in cœlibes animadversiones. *Corinthii* cœlibes honore sepulturæ privabant. *Argivi* ex instituto Phoronei nullis muneribus præficiebant. *Lacones* rigidius eos plectebant: nam & media bruma ex magistratuum edicto, jubebant forum vestibus spoliati obire *Plut. in Lycurg.* & ita circumeuntes, cantione quâdam fatebantur, se justa pati, quod legibus non parerent. Apud Athenienses festo die quodam à mulieribus circum aram tracti cœlibes, cædebantur flagris, qua ex ignominia ad dandam liberis operam excitarentur, Scal. 3. *Poët. c.* 101.

Quamobrem licet quarundam mulierum malitia non sit excusanda, interim tamen non ad universalitatem est trahenda. Inveniuntur interdum fœminæ, quæ mares multis virtutibus, non tantùm adæquârunt, sed & superârunt. Neque molestiæ vitæ conjugalis usque adeò metuendæ: licèt enim istæ suo non careant tædio, interim tamen multis jucunditatibus curæ domesticæ temperantur & educantur, ut propterea intermitti matrimonium nullo modo debeat.

QVÆST. IV.

Vtrum liberi & res familiaris sint partes familiæ?

Ægidius 2. *de Regim. Princ. c. 6.* Multus in eo est, ut ostendat perfectionem familiæ dependere à liberis, nec id abnegat *Montecat. polit. text. 4. 9. 29.* 30. Quia imperfectas vocat familias, in quibus non sunt liberi, utitur hoc argumento. Quibus familiis aliquid deest, imperfectæ sunt. Atqui si liberi non adsunt, familiis aliquid deest. Ergò, &c. Nam quæ ad finem ordinantur, quamdiu eo carent, imperfecta manere certum est, quia perfectio eorum dependet à fine adepto. Familiarum verò primus finis est procreatio sobolis. Porrò argumentantur ex *l. 195. §. 2. in verb. jure proprio. ff. de V.S.* ubi liberi

liberi familiis annumerantur. Idem putant probari posse, *ex* Arist. 1. *polit. c. 3. &* 1. *Oecon.* 2. ubi Aristoteles familiam seu domum in tres minimas societates dividit. In qua opinione similiter est *Cas. in comm. cap.* 2. *Oecon.*

Verùm contraria assertio verior est, & defenditur his fundamentis: 1. Quod multæ perfectæ familiæ constent, sine liberis. 2. Quod liberi & res familiaris obtineant rationem finium. Atqui finis nequit esse pars alicujus rei, cùm partium talis sit conditio, ut sua opera finem producant, sic enim effectus, & causæ in idem coinciderent, quod primi principii ratio non admittit. Pro quæstionis decisione distinguendum ergò est inter partes essentiales, & inter finem familiæ: Uti enim truncatus & imperfectus syllogismus dicitur ille, qui caret alterutra præmissarum, non qui caret conclusione, quæ finis syllogismi est, uti non minùs acutè, quàm prolixè disputatum est ab Arnis. *de Syllog. in Log. contr. Crell.* Ita etiam liberi & res familiares non sunt partes essentiales & constituentes, sed tantùm effecta & fines, & hâc ratione, si videlicet familiæ destituantur liberis & re familiari, imperfectæ dici possunt.

QVÆST. V.

Vtrum paterfamiliâs sit pars familiæ?

Affir-

Affirmatur hoc his argumentis. 1. Quia paterfamiliâs primario concurrit ad constituendam integritatem familiæ, & sine eo familia non potest consistere. 2. Quod dux est in exercitu, id paterfamilias in familia: Atqui Dux est caput, Ergo, &c.

Verùm contraria sententia est verior, & defenditur his fundamentis. 1. Quia paterfamilias est causa efficiens familiæ: Causa autem efficiens non potest esse pars sui effecti. 2. Sicut DEUS non est pars mundi, ut nauclerus non est pars navis; Princeps non est pars subditorum; ita paterfamilias non est pars familiæ. 3. Quia familia est cœtus hominum sub unius patrisfamiliâs imperio viventium. Ad illum autem cœtum non pertinet paterfamilias, nisi velimus statuere, illum sub suo proprio imperio vivere. Quare si propriè & strictè velimus vocabulum familia considerare, paterfamilias non potest esse pars suæ familiæ. Distinguendum ideoque est, inter partem familiæ, & inter personam ad familiam spectantem, & principem locum obtinentem: vel quatenus per familiam cœtus hominum intelligitur, qui constat ex patrefamilias, & iis, qui sub ejus imperio vivunt.

QUÆST.

QVÆSTIO VI.

Vtrum servus sit pars familiæ?

Dubium alicui facere potest, quod Aristoteles 1. *Polit. 4.* servum ita definiat, quod sit: κτῆμα κὰι ὄργανον ᾧ δεσπότης ἔμψυχον πρακτικὸν κὰι χειρῶν, *bonum possessum & instrumentum heri, animatum activum & separatum.* Cùm igitur servus numeratur inter instrumenta, non poterit esse pars, propterea, quod pars alicujus rei & instrumenta longè differant. Sed R. ad objectionem: servum duobus modis considerari. Uno modo, quatenus est persona domestica in familia: Altero modo, quatenus est instrumentum œconomicum.

QVÆST. VII.

Vtrum duæ, an verò tres personæ requirantur ad integritatem familiæ?

Ansam dubitandi hac de re, præbet, quòd non tantùm apud historicos, verùm etiam apud JCtos pauciores, quàm tres in Collegio fuerint. Exempli gratia: Consules, qui tantùm bini erant, collegarum nomine censentur, *l. unic. in fin. ff. de offic. cons. l. 18. §. 1. ff. de manumiss. vindict.* Et tutores, licet pauciores,

quàm tres dari poterant; attamen collegarum appellatione contineri dicuntur, *arg. l. collegarum, 173. in pr. ff. de V.S.* Contrà Bod. I. *de Repub. 2. in pr.* quinque ad minimum personas in familia requirit, qui respicit fortassis ad JCtorum leges. Nam JCti, *utpote Ulp. l. 40. §. 3. ff. de V.S. & l. 2. §. 14. in verb. familiæ, & c. ff. de vi bon. rapt. & l. 1. §. 16. & 17 ff. de vi & vi arm.* tres ad minimum servos requirunt ad familiam, quibus si addatur paterfamiliâs & uxor; numerus quinquagenarius exsurgit: Vel respexit Bodin. ad duplicem respectum patrisfamilias, nam aliter consideratur in societate conjugali, & aliter in herili. Verùm erroneam esse hanc Bodini & aliorum sententiam patet. 1. Ex definitione JCtorum ad Collegium sive corpus constituendum, quæ posita est, *in l. Neratius 85 ff. de V.S.* ubi de sententia Neratii Prisci, Marcellus JCtus pauciores tribus non admittit. 2. Constat ex antè dictis, duas societates sufficere ad familiam essentialiter constituendam, videlicet conjugalem & herilem. Ergò & per consequens tres erunt personæ in familia necessariæ, utpote paterfamilias, uxor, servus. Nec est, quod quis ad JCtorum leges, hac in parte, respicere velit. Nam 1. JCti non requirunt præcisè ad quamvis familiam tres servos, ut patet *l. 1. §. 17. in fin. de vi & vi arm.* 2. loquuntur JCti de familia; quæ designat collectionem tantùm mini-

ministrorum. Non ergò ab hac confusione Bodinus grogredi debet ad collectionem societatum, loquuntur ergò interdum JCti *distributivè* de servis, & non *collectivè* ratione societatis. Neque est, quod duplex iste respectus à veritate nos dimovere queat. Non enim duplicem & distinctam personam, duos patresfamiliâs constituit, sed manet in familia unus individuo paterfam. Cùm unum tantùm possit esse unius corporis caput, ne biceps monstrum in familiam introducamus. Unus perinde tantùm debet esse paterfamilias, nec potest in una familia paterfamiliâs, multiplicari, ut uxores & servi Arnisæus *c. 1. de famil. sect. 9.*

QVÆST. VIII.

An omnium rerum communio in bene constituta politia sit toleranda?

Ad Reipubl. constitutionem quasdam res communes requiri, convenit inter Politicos omnes; Verùm quænam sint istæ res & quousque ea communio sit necessaria, magnopere controvertitur? Plato *ex sententia Socratis, in lib. de Republ.* putat *requiri ad istam communionem, non tantùm omnes in universum agros, bona & possessiones, quæ per familiarum discrimina cuique appropriantur; verùm etiam uxorum & libe-*

& liberorum communionem. Platoni subscripserunt, Plotinus, Stoici, Essæi, Brachmanni, Cubani, Garamantæ & moderni Anabaptistæ. Defendunt quod asserunt, his verbis: 1. ab utili. Quia nihil esset insidiarum & discordiæ inter cives. Hinc Plato *lib. 9. de Ll.* ait: *illam civitatem beatam, in qua meum & tuum non audiuntur.* 2. à regula & norma fidei: Quia confitemur communionem bonorum. 3. à mandato Dei, *Deuter. 15. v. 4.* 4. ab exemplis Christi & omnium Apostolorum. *Ioh. 12.* Christi enim actio est nostra institutio, 5. à primitiva Eccle, sia, *Actor. 2. v. 44. & c. 4. v. 32.* Ergo, &c.

Contrà Aristoteles & alii saniores Politici rejiciunt Platonis & reliquorum hæreticorum sordidam opinionem his argumentis: 1. Quia pugnat cum jure naturæ: *Charitas enim ordinata incipit à se ipsa:* Pugnat cum Præceptis Decalogi septimo & octavo, siquidem horum nullus erit usus: Item, cum doctrina de Eleemosynis: Et quod quilibet sibi suisque debeat prospicere. 3. Pugnat cum causa efficiente propriæ possessionis, quæ est ipse Deus, Deus enim auctor est proprietatis bonorum: ejus enim jussu terra est divisa. 4. ab effecto absurdo. Tollit enim hæc communio omnem liberalitatem & omnem amicitiam utilem, & facit fratres ignorantiæ & socordiæ. Longè enim majori diligentiâ administrantur propria, quàm communia, &c.

Proinde

Proinde alia ſtatuerunt Politici communia in Repub. 1. Præmia & pœnas. 2. Ærariа & paſcua quædam. 3. Templa & religionem. 4. Mœnia & ædificia publica. 5. Solennia feſta. 6. Forum, porticus, vias. 7. jura & judicia. 8. contractus & commercia. 9. Conſuetudines. 10. Suffragia. *Vide* Bod. *lib.* 1. *de Republ. p.* 18.

Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum: 1. Inter communionem rerum corporalium & ſpiritualium. 2. Inter mandatum univerſale & temporale; & quidem liberrimè inſtitutum. 3. Inter poſſeſſionem & uſum; Philippus enim propriam habuit domum, ut conſtat ex *c.* 22. *v.* 8. *in Actis Apoſt.* 4. Inter Eccleſiam conſtituendam & jam inſtitutam. Quibus diſtinctionibus præſuppoſitis, facilè erit reſpondere ad argumenta oppoſita.

QVÆST. IX.

Vtrum uxorum communio ſit toleranda.

Affirmativæ aſſertores uti ſunt hodiè Anabaptiſtæ, his ſe muniunt hypotheſibus. 1. à cauſa efficiente. Quia natura impellit nos ad uxorum communitatem. Ergò bona erit communio uxorum. Antecedens probatur exinde, quòd omnia naturalia ſint bona, uti videre eſt in bru-

in brutis, quæ naturaliter communitatem excolunt. 2. ab utili. Quia sic occurritur multis querelis, quæ oriuntur indies ex matrimonio contracto. 3. à fine. Quia communio mulierum facit plurimum ad amplificationem generis humani, in quem finem conjugium primitùs introductum. 4. ab effecto. Quia faciet & pariet multos amicos & affines.

Verùm absurdam & impiam esse hanc Platonis & Anabaptistarum opinionem demonstramus his fundamentis. 1. Quia pugnat hæc communio cum ordinatione divina, *Gen. 2. v. 24. Sint duo in carne una.* 2. à causa naturali. *Filius non potest concipi, nisi ex uno, perit ergò matrimonii communitas, ipsâ reclamante naturâ*, Lact. *l. 3. Instit. c. 21.* 3. ab incommodis plurimis. Quia nulla esset cura circa educationem, sequeretur abrogatio graduum, consanguinitatis & familiarum; item ignorantia certorum parentum, liberorum, fratrum, sororum, item sequeretur perpetratio maximorum scelerum, ut sunt incestus & adulteria; item sequeretur diminutio amoris erga liberos, parentes, fratres, sorores, conjuges, quem tamen amorem severissimè mandat Apostolus *Coloss. 3. 18. seqq.*

Pro solutione argumentorum in contrarium oppositorum distinguimus: 1. Inter naturæ conditionem & effectum malitiæ. 2. inter ordinatum & inordinatum affectum. 3. Inter animal

animal brutum & rationale. Quibus obſervatis non erit difficile reſpondere ad objecta argumenta. *Vide* Arniſ. *cap.* 1. *de famil. ſect.* 1. *per tot.*

QVÆST. V.

Vtrum polygamia adhuc in bene conſtituta Repub. tolerari debeat?

Quæſtionem hanc affirmat & propugnat inter alios Bernhardus Ochius *in Dial.* his argumentis: 1. Exemplis Patrum & Patriarcharum in Veteri Teſtamento. Conſtat enim Patres & Patriarchas uno eodemque tempore plures habuiſſe conjuges: *Lamech* duas habuit uxores, *Geneſ.* 4. *verſ.* 19. *Abraham* præter Saram adjunxit ſibi Hagar, *Gen.* 16. *v.* 5. *Jacob* duas uno tempore habuit ſorores loco uxorum, *Gen.* 29. 29. Cumque earum concubuit ancillis. *Gen.* 30. Similia exempla habemus in Davide, 2. *Sam.* 3. & 20. *cap.* Item in Salomone, 1. *Reg.* 11. 1. *ſeqq.* item in Joas, 2. *Paralyp.* 24. *verſ.* 3. Nec unquam eo nomine, ſunt reprehenſi à Deo. Quorum, exempla absque dubio alii populi, utpote Indi, Thraces, Perſæ, Syri, Siculi, Athenienſes ſunt ſecuti. Nam Perſarum Reges mulieres ducebant, quotquot placebat, *Eſth.* 1. Herod. *l.* 3. Comodus Imperator habebat

habebat trecentas, Lampr. *in comm.* Voldimerus, Moschorum Princeps uxores habuit quingentas, Sigism. Bar. *in hist. Mosch.* Et novarum Insularum Reguli pro libidine & arbitrio, quot videretur, ducebant uxores, adeò, ut Hispani apud Pacram Tyrannum quendam, & Regulum angusti agri in Hispaniola, octoginta uxores invenerint, Martyr. *Dec.* 2. 2. Testimonio sacræ Scripturæ, *Deut.* 21. *v.* 15. ubi præcipitur, si quis habet duas uxores, alteram dilectam, alteram exosam; ne præferat filium dilectæ filio exosæ in jure primogenituræ. Item *Deut.* 25. *v.* 5. jubetur fratres excitare semen fratri, neque distinguit lex, utrum superstes frater uxorem habeat, nec non, sæpe enim accidit, ut frater ille vivus fuerit maritus. *Item* 2. *Sam.* 12. 8. dicit Dominus per Prophetam Nathanem: Dedi tibi domum Dominorum tuorum, & uxores Dominorum tuorum in sinum tuum. 1. *Tim.* 3. *v.* 2. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum. Ergo solis Episcopis interdicta est polygamia. 3. à ratione humana. Quia omnia illicita & peccata reprehenderunt Prophetæ. V. T. in Patriarchis: Atqui polygamiam non reprehenderunt. Ergo. 4. ab honesto, quinque inducitur modis. 1. Quia non est contra naturam, neque contra morem. 2. Quia finis fuit & sanctus & honestus. 3. Quia legibus quorundam Imperatorum fuit concessa & permis-

permissa; probavit enim hoc D. Imper. Valentinus proprio suo exemplo & lege. 4. Uxorem habere est licitum. Ergo & uxores habere licitum erit. 5. Uti non inhonestum est, ut unum caput habeat multa membra; ita inhonestum non erit, si unus maritus habeat multas simul uxores. 5. ab utili probatur dupliciter. 1. Quia finis conjugii primarius, videlicet procreatio sobolis promoveri potest. 2. Quia dissolutionis matrimoniorum cavendæ quàm maximè est commodatum. 6. à necessario probatur tribus modis. 1. Quia est remedium ad sterilitatem tollendam. 2. Desertis à fugitiva conjuge, conceduntur vota secunda. Atqui hic durat prius vinculum, & superadditur alterum, quod nihil est aliud quàm polygamia. 3. Quia Turcæ & alii infideles non rejiciuntur ob polygamiam, quinimò in primitiva Ecclesia polygami admissi fuerunt ad baptismum.

Verùm impiam & absurdam esse hanc opinionem probatur his fundamentis. 1. Expressis Scripturæ testimoniis, *Matth. 19. v. 3. & seqq.* Christus revocavit matrimonium ad primam institutionem eamque vult deinceps valere. Cùm autem institutio eam excluserit, sequitur per revocationem eandem exclusam esse. Prosyllogismus probatur quadrupliciter: Ex verbis singularis numeri, masculum & fœminam, uxoris suæ, duo in carne una. 2. Ex Christi explicatione;

catione: Itemque jam non sunt duo, sed una caro: At si unus jungitur multis, non erit una caro, sed multæ. 3. Creavit Deus Adamo unam tantùm fœminam. 4. Ex consensu Patrum, qui in hunc locum *Matth. 19.* scripserunt, unanimiter docent, polygamiam esse excluſam. Item ex eodem *cap. Matth. v. 8.* ubi dicitur: Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem sic non fuit *Item Matth. 5. v. 32. Marc. 10. v. 11. Luc. 16. v. 18.* ubi dicitur, quòd mœchetur, qui aliam ducit, vivente uxore. *Item*, 1. *Cor. 7. v. 2. & 27. Rom. 7. v. 2. & 1. Cor. 7. v. 10. 39.* ubi semper loquitur Apostolus de uxore in singulari, & nunquam in plurali. 2. ab absurdo effecto, spargit semina discordiarum & litium inter uxores & inter liberos, refragatur naturæ humanæ, & bonis moribus, pareret uxor rariùs vel nunquam, susceptæ prolis educatio negligeretur, regimen familiæ impediretur, essent enim scilicet multa capita unius corporis. 3. à Legibus & Constitutionibus Imperatorum. Sic enim D. Imp. Dioclet & Max. *in l. 1. C. de inceſt. nupt. Neminem, qui sub ditione Romani nominis sit, binas uxores habere posse. Item* Theod. Arcad. & Honor. *in l. 7. C. de Jud. & in l. 18. C. ad leg. Jul. de adult.* infamiâ notatur, qui simul duas habuit uxores, item ex edicto Prætoris, *l. 1. in fin. l. 13. §. 1. ff. de his qui not. infam.* Item Novella Caroli V. sub pœna capitis polygamia prohibetur.

Ad

Ad argumenta pro contraria sententia adducta. R. breviter, & quidem ad 1. Quòd non exemplis, sed legibus judicandum; Patriarchas in V. T. quod attinet, dicimus ab illis, hoc factum esse secundùm consuetudinem & mores, quos de facto Lamech sibi assumpsit, quem postmodum successores ex consuetudine secuti. Ad dictum *Deut. cap. 25. v. 25.* R. Negando assumptionem. Loquitur n. Moyses de fratribus unà habitantibus, & non de iis qui in conjugio vixerunt. *Ad text. 2. Sam. 12. v. 8.* R. assumptionem negando. Est n. fallacia figuræ dictionis, Dare n. in sinum non tantùm est in matrimonium, sed in potestatem tradere. Posteriori significatione hîc accipitur, non priori. Quòd a. priori non possit accipi, constat ex *Lev. c. 18.* Posteriori a. significatione usurpari hoc loco ex conjunctis patet, ubi ita tradita domus Domini sui, ut domus Israëlis atque Judæ dicitur, ut tantùm legitima potestas, non tyrannicus notetur abusus. Quòd si tamen quis velit priorem significationem hîc retinere, is poterit illam sic explicare, ut ex duobus malis minus indultum dicamus, quasi dicat Nathan, si noluisses contentus esse iis, quas habes, uxoribus, potuisses ex toro regio eligere solutas, quas velles, pro ratione horum temporum, & relinquere conjugatam marito suo, Tarnov. *in tract. de matr. lib. 2. c. 25. Ad text. 1. Timoth. 3. v. 2.* Resp. esse etiam falla-

ciam oppositorum, sumuntur enim tanquam opposita, quæ gradibus tantùm differunt, ut si reliqui sic vivere debent, multò magis & vos, &c. Ad 3. argumentum. Resp. Negando. Neque enim factum Lothi filiarumque concubantium cum patre est peculiariter reprehensum; Neque Jacobi incestus; Neque Davidis injustum judicium, nisi ex generali lege. Plura hac de quæstione, qui desideret, videat Dn. D. Hunnium *in resol suis lib. 1. tract. 3. q. 2.* Tarnov. *d. l.* Beran. *in tract. de polygamia.*

QVÆST. XI.

Vtrum Sacerdotes debeant vivere, in cœlibatu?

Affirmant hoc Pontificii, moti his argumentis:

1. Ex testimoniis sacræ Scripturæ, ad *Tit. cap. 1. v. 8.* ubi dicitur, quòd Episcopus debeat esse castus & continens. *Item 2. Tim. 2. v. 4.* Unde ita concludunt. Nemo potest benè militare Deo, qui se implicaverit negotiis secularibus. Item ex 1. *Corinth. 7. v. 5.* ita concludunt: Laici conjugati vacare ex consensu ad tempus ab opere nuptiarum jubentur, ut orationi instare possint. Ergo Episcopi perpetuò à nuptiarum opere vacare debent. Item ex Veteri Testamento, *Exod.*

to, *Exod.12.v.11.& cap.19.v.15.* Ubi continentia requiritur in iis, qui Deo appropinquant. *Item Exod.28. v.42.& 43.* ex quo ita colligunt: Deus præcepit, ut Aaron & filii ejus, cùm ingrederentur tabernaculum, fœminalibus lineis, à renibus usque ad fœmora tecti essent. Ergo voluit debere Sacerdotes N.T. aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus fœdera dissolvisse, *Item 1.Sam.21. v.4.* Abimelech Sacerdos noluit dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi priùs intellexisset, eum ab uxoribus aliquamdiu se continuisse. Ergo perpetua requiritur in Sacerdotibus continentia, quia corpus Christi, quod illo pane propositionis significabatur, conficiunt & aliis tradunt. *Item, 1.Paralyp.c.24.v.3.& seqq. & Luc.1.v.8.& 9.* ex quibus locis sic inferunt. Si tempore, quo ministrabant Sacerdotes V.T. ab uxoribus abstinebant; omninò decet, ut Sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant Deo, semper ab uxoribus se contineant. 2. Ex testimoniis Conciliorum. Quòd in omnibus conciliis ita sit decretum & observatum. 3. Ex Pontificum & Imperatorum scriptis. Et quidem *ex c.8.distinct.27.& aliis, per tot.& l.19.& auth. Episcopo & auth. nunc autem. C. de Episc.& Cler.* 4. Ex dictis & factis Patrum Græcorum & Latinorum, qui omnes quotquot fuerunt Episcopi, à tempore Apostolorum continen-

tes fuerunt. 5. Ex ratione hoc modo: Quia conjugium vehementer impedit Ecclesiastica munera, utpote sacrificare, orare. legere, prædicare, curare oves, pauperes, administrare Sacramenta. 6. ab ordine desumptum tale est: quia tollit distinctionem dignitatis clericorum & laicorum.

Verum falsum & impium esse Pontificiorum dogma patet ex his fundamentis:

1. Ex Scripturæ testimoniis, *Genes. 1. vers. 22.* Deus reliquit matrimonium omnibus liberum nec ulli interdixit ordini, id probatur ex 1. *Tim. 4. v. 3.* Ubi notam hæreticorum dicit esse, prohibere nuptias, *item 1. Timoth. 3. vers. 2. & seqq. Tit. 1. v. 6. & seqq.* Sit unius uxoris vir. Ex quo sequitur, quòd conjugium Sacerdotibus liberum. *Item ad Hebr. 13. v. 4.* ubi citra exceptionem securè pronunciat Apostolus honorabile esse inter omnes conjugium, 1. *Corinth. 7. v. 2.* præcipit omnibus, qui donum continentiæ non habent, ut nubant, *Item Matth. 19. v. 11. Vide* Mentzerum *de matrim. pag.* 238. 2. Exemplo Apostolorum. Constat enim eos non solùm uxores habuisse, verùm etiam circumduxisse, 1. *Cor. 9. v. 5.* 3. Ex historia Ecclesiastica, Socratis *lib. 1. c. 8.* & Sozomeni *lib. 1. c. 22.* ubi dicunt, quòd cùm Nicænum Concilium legem ferre vellet, ne liceret clericis cum uxoribus dormire, surrexit Paphnutius confessor & contradixit, & Synodus tota in ejus sententiam ivit, & conti-

continentia ab uxore in arbitrio cujusq; permansi. 4. Quia jus divinum & naturæ non potest tolli ullâ lege humanâ. Atqui conjugium est de jure divino, *Gen.* 1. *v.* 28. & quòd sit de jure naturæ patet ex naturali appetitu generandi. 5. Inductione. 6. Canon. 1. In contrarium est sextus Canon Apostolorum. *Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.* 2. Canon Concilii Gangrensis quartus. *Quicunque discernit à Presbytero, qui uxorem habuit, quòd non oporteat eo ministrante & oblatione percipere, anathema sit.* 3. Canon. 15. sextæ Synodi, qui disertè reprobat morem Romanæ Ecclesiæ, quo jubentur profiteri continentiam, qui sacris initiantur. 4. Canon. 3. Concilii quinti Carthaginensis, in quo statuitur, ut *Episcopi, Presbyteri, Diaconi se abstineant ab uxoribus in propriis terminis hoc est in ordine vicis suæ, ut exponunt Trullani Patres, Canone jam citato* 5. Canon. *Aliter dist.* 31. ubi Stephanus Papa dicit: *In Orientali Ecclesia, Ecclesiasticos viros matrimoniis copulari*, nec eum morem reprehendit. 6. Canon. Augustt. *causa* 35. *q.* 1. *Can. cum igitur*, ubi dicitur: *Ecclesia, post Apostolica instituta, quædã consilia perfectionis addidit, utpote de continentia clericorũ.* E. non erit præceptũ, sed tantùm consiliũ. 7. Canõs. Leonis *ex Ep.* 85. ubi sic legimus: *Dicente n. Apostolo, ut inter alias Christianismi regulas, is Episc. ordinetur, quẽ unius uxoris virũ fuisse aut esse constaret,*

tam sacra semper est habita ista præceptio, ut jam de muliere Sacerdotis eligenda, eadem intelligatur servanda conditio, ne fortè illa priusquam in matrimonium veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. 6. Ab effecto absurdo: Quia prodigiosas libidines, & Ecclesiam scandalis replet. Assumptio potest probari pluribus scandalis, de adulteriis & scortationibus illud huc adferemus tantùm, de quo constat ex Epistola S. Udalrici, Episcopi Augustani, ad Nicolaum Papam, quæ se habet hunc in modum. *Beatus Gregorius Magnus Papa, aliquando suo quodam decreto, uxores Sacerdotibus ademit: deinde paulò pòst, cùm idem Gregorius jussisset, ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantum suffocatorum repererunt: quam cædem infantium, cùm intelligeret S. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulteriis Sacerdotum natum esse, continuò revocavit decretum & peccatum suum dignis pœnitentia fructibus purgavit.* *Vide* Tarnovium *lib. 1. c. 3. & seqq. tract. de matrim. item* Calvin. *lib. 4. Instit. c. 12. sect. 23. & seqq.* Lipsius *cent. 1. Epist. 13.*

Ad argumenta contraria Pontificiorum respondeo: Quod inter se non pugnet fungi officio Ecclesiastico, & vivere in matrimonio, Ad argumẽta igitur ex sacris allata, nullo modo damnatur conjugium, sed potiùs approbatur & præcipitur, ut omnia suo loco & tempore fiant.

Nam

Nam in ipso matrimonio est puritas, castitas & sanctificatio, *uti ex* 1. *Cor.7.v.14.* 1. *Thessal.4. v.4. Hebr.13.v.4.* 1. *Petr.3.1.* & 2. imò conspicitur in matrimonio magnum illud mysterium Christi & Ecclesiæ, *Eph.5.v.32.* Vide Chemn. *part.3.exam. Concil. Trident.* & sic respondemus ad primum textum Biblicum, *ex Tit.1.v.8.* contra nos allatum. In 2. *Tim.v.4.* non agitur de conjugio, sed de vocatione, unumquemque videlicet debere agere propria suæ vocationis, & abstinere ab alienis negotiis. In 1. *Corinth.7. v.5.* nullo modo permittit Apostolus separationem, sed magis exigit, ut quilibet suam propriam habeat: Intermissionem autem aliquam operarum solitarum Deo non ingratam exigit, non autem in ordinariis & quotidianis, sed in extraordinariis, tempore jejunii, quo tempore separatio à familiaribus & amicis fuit solennis, ut constat ex *Zach.cap.7.v.3.* In *cap.12.v.11.* & *cap.19.v.15.* moderatio certis temporibus præcipitur. Ad locum *Exod.28. vers.42.* & *43.* Resp. quòd hæc sint ceremonialia, & typica, & quod argumentum exinde ductum nitatur falso fine. Ad argumentum *ex dicto* 1. *Sam.21.v.4.* Resp. quòd sit fallacia imparium, illa enim sanctitate hodiè non est opus, quæ olim fuerit sacra tangentibus, non enim conficitur corpus Christi à Sacerdotibus N.T. Item ad argumentum *ex 1. Paral.24.v.3.* Resp. Non enim est par

ratio noſtrorum miniſtrorum verbi & Sacerdotum Vet. T. in ſecubando à conjugibus tempore vicis ſuæ; illi enim in templo Hieroſolymitano per vices certas fungebantur ſuo munere, quod de noſtris doceri nequit. Ad ſecundam ſeriem argumentorum, quod attinet, poſſumus *ex* Euſeb *lib. 4. c. 2.* Niceph. *lib. 4. c. 8.* prolixum texere Epiſcoporum conjugatorum Elenchum, adeoque turpiſſimam illam Pontificiorum coërcere impudentiam, quâ ſcribere & aſſerere non verentur, omnes Epiſcopos fuiſſe cœlibes, item ſic in Conciliis omnibus decretum. Et inprimis urgere exemplum Petri, *Matth. 8. v. 14.* Item Philippi. *Act. 21. verſ. 9.* Item Pauli, 1. *Cor. 9. v. 5.* Item poſſemus urgere, quod in Conciliis variis de cœlibatu Sacerdotum decretum, & quærere, quomodo ſalvari deceat, jus Canon. *diſt. 56.* quod quàm plurimos producit Romanos Pontifices, ex Sacerdotum conjugis natos, *ut &* Volater. *cum Plat. annotat.* Sed tempus monet, ut ad alia progrediamur.

QVÆST. XII.

Vtrum concubinatus in bene conſtituta Republ. tolerari debeat?

Quæſtionem hanc, cum diſtinctione juris divini & humani, affirmandam & negandam eſſe

esse putamus. Antequam verò penitiùs quæstionem hanc indagemus, prius, quid concubina sit afferemus. Est igitur concubina, mulier soluta, uni viro soluto, mediante fide, minimè tamen conjugali adfectu, sed solius concubitus & incontinentiæ causa, eo usque donec alia dignior & ditior assumatur juncta. De qua concubina, si quæratur, num de jure divino tolerari possit, negamus & quidem his fundamentis. Quia jus divinum omnem concubinatum extra conjugium damnat, & illum pollutionem & scortationem nominat. *Hebr.13.v.4.* Inde talem facio syllogismum: Si nullum aliud remedium præter conjugium sit contra scortationem, neque ullum aliud medium ad sobolem generandã, & rem familiarem administrandã, sequitur concubinatũ esse illicitũ: At priùs constat *ex Gen.1.v.28.1.Cor.7.v.2.Heb.13.v.4.* Ergò & posteriùs. 2. Quia non potest exerceri citra scandalum & offensionem verè Christianorum, &c. De jure humano quæstionem affirmandam esse putamus. Et quidem, quòd attinet jus Civile manifestius esse videtur, quàm de jure Canonico. Et quidem de jure Civili concubinatum tolerari constat, *ex l.un. Cod. de concubin. & tot. tit. ff. eod. item. c. Christiano, 5. dist.34.* Et quamvis non desint, qui contrarium evincere conantur *ex Novell.6. c.1. §.3. item Novell.123. c.1. in pr. & c.12. item ex Novell. Leonis 91.* Nihil tamen efficiunt quia dictæ

dictæ Novellæ Justiniani expressè & in specie tantùm loquuntur de Episcopis & Clericis; à quibus hoc in argumento non licet argumentari ad laicos. Leonis Constitutionem, quod attinet, constat illam in Rom. Imp. auctoritatem juris non habere, ac proinde illam pro jure non recipimus. De jure Canonico idem affirmamus propter expressos textus *in c. Christiano, 5. dist. 34. & cap. 4. ejusdem. dist. 34. item cap. solet. 6. causa 32. quæst.* ubi certis quibusdam limitationibus, de quibus in descriptione concubinæ in principio hujus quæstionis diximus, omninò toleratur. Et quamvis in contrarium allegetur, *cap. dicat aliquis. 9. causa 32 quæst. 4. & ejusdem quæstionis c. 4. Item cap. concubina. 5. caus. 32. quæst. 2. & c. 11. causa 34. quæst. 4.* Nihil tamen contra nostram sententiam faciunt, siquidem in omnibus illis unum ad minimum requisitum deficit, *Vide Hunn.* in resolut. suis, in Instit. lib. 1. tract. 3. quæst. 4. & 5.

QVÆST. XIII.

Vtrum lupanaria in bene constituta Republ. tolerari debeant?

Affirmativam hujus quæstionis videtur defendere *Tholosan.* 14. de Repub. c. 1. Item *Thomas* 12. q. 101. à 3. ad 2. & 22. q. 10. art. 11. Quorum

rum rationes hæ sunt: 1. ad evitandum majus scandalum, minus est permittendum. 2. quia sordes permittendæ sunt sordescentibus ut qui in sordibus sunt, sordescant, ne aliorum aut aliarum honestatem incendio libidinis violare attentent. 3. Quia magistratus ita potest permissionem lupanarium limitare & restringere infamiæ notis, ut illi, quos timor Dei & honestatis amor à turpitudine revocare non valet, saltem infamiæ publicæ metus coërceat.

Verùm nullo modo lupanaria toleranda & approbanda esse, evincitur his fundamentis: 1. Quia Magistratus Politicus debet esse custos & executor legis divinæ, jam verò lex divina omninò illicitum concubitum damnat, *Deut.* 23.17. *& alibi.* uti ante demonstratum. Ergo. 2. Quia lupanaria licentiam & fenestras aperiunt ad impunè peccandum. 3. Politicus Magistratus curare debet, ut liberi in Republica honestè procreentur, educentur, & instituantur. 4. Quia lupanaria sunt spirituum immundorum templa, Syrenum antra, item corruptelæ juventutis, cloacæ impudicitiæ, fœdarum voluptatum & libidinum sententiæ, & denique omnium vitiorum latibula. 5. Quicquid cum lege Dei pugnat, id nullo modo est licitum Magistratui. 6. Iram & vindictam DEI gravissimam provocant, ruinam & Interitum Reipubl. testis est

Sodoma

Sodoma & Gomorrha, & universale totius mundi primævi diluvium.

Ad argumenta in contrarium opposita quod attinet, Resp. ad 1. Quod quidem valeat in rebus adiaphoris, non verò in expresè à lege prohibitis. Ad 2. id esse contra officium Magistratus politici. Ad 3. lupanaria non posse excusari per infamiæ publicæ notas.

QVÆST. XIV.

Vtrum consensus parentum omninò sit necessarius ad matrimonium liberorum?

Negat hoc Bellarminus *de matrim. sacramento, c.* 19. his argumentis: 1. Exemplis scripturæ tribus, utpote Esavi, *Genes. 26. v 34.* qui duxit uxores duas invitis parentibus, ut constat ex offensione horum: & tertiam *c. 28. v. 9.* contra eorundē voluntatē: & scriptura tn. eas vocat uxores. Item Jacob. *Gen.* 29. & 30. duxit unam uxorem juxta consilium parentum, sed alias tres & præsertim duas ancillas duxit parentibus omninò invitis. Item Tobias duxit uxorem in aliena regione, *Tob.* 7. 12. nec tamen Raphael, qui cum ipso erat, eum admonuit, ut parentum consensum exspectaret. 2. Ex auctoritate juris Canon. *c. sufficiat. 2. causa. 27, q. 2. c. 23. x. de sponsal.* ex quo colligit, consensum parentum esse

esse quidem de honestate, sed non necessitate.

Contrà, sententiam Bellarm. contra jus divinum & humanum esse, evincimus hoc modo: Et quod jus divinum attinet, certissimum est, & probatur expressis S.S. testimoniis: (1.) In Decalogi præcepto quarto jubentur filii obedire parentibus, id quod explicat Apostolus *Col. 3. vers. 20.* in omnibus rebus, (2.) *Deut. 7. vers. 3. Ierem. 29. vers. 6. 1. Corinth. 7. v. 37.* in quibus præcipitur parentibus, ut filias suas elocent, *item Exod. 22. v. 17. Deut. 22. v. 29.* ubi Patriæ potestati relinquitur, ratum vel irritum facere conjugium, filiæ etiam stupratæ. *Item Num. 30. vers. 5.* Pater potest filiæ votum Deo factum irritum reddere. Ergo (3) Ex ipso modo contractus, quia Deus non amplius conjungit virum uxori immediatè, ut Adamum Evæ, sed per parentes, quibus potestatem super filios dedit.

Propterea de jure civili necessario requiri consensum parentum, patet *ex pr. Instit. de nupt. & l. 2. ff. de ritu nupt. & l. 2. C. de nupt. & l. consensus. 30. ff. de reg. jur.* Argumenta, quæ in contrarium opponi possunt, non tantùm collegit JCtus Hunn. *in resol. suis lib. 1. tr. 3. q. 13. & seqq.* verùm etiam solidissimè refutavit.

Neq; refragatur hac in parte jus Can. ut videre *in c. aliter. 1. & cap. nostrates, 3. caus. 30. quæst.*

quæst. 5. & c. non omnia. Item cap. honorantur, 13. *& c. hoc sanctum. 16. causa. 32. quæst. 2.* quibus omnibus manifestè probatur, sine legitimo parentum consensu matrimonium non constare. Ad *cap. sufficiat* responderi potest, quod eandem probet sententiam in verbis, secundùm leges & consensum, intelligit enim ibi Pontifex leges humanas, id est, jus civile. Vel melius: quæritur in *d. c.* tm. an solus consensus ad nuptias sufficiat, an v. præterea requiratur concubitus? & respondetur: solum sufficere consensum; sed secundùm leges. Matth. Comm. ad l. 30. n. 31. Respondemus igitur Bellarmino, quod non sit exemplis, sed legibus judicandum. Multa enim tunc temporis toleravit Deus, quæ nunc vetuit.

QVÆST. XV.

Vtrum pater dißensus sui teneatur reddere rationem?

Quamvis *patria potestas non in atrocitate, sed in pietate consistere debeat, l. divus. 5. ff. ad l. Pomp. de parr.* interim tamen severitas & rusticitas nonnullorum parentum tanta est, ut recusent liberos ob privatum commodum in matrimonium collocare. Hinc quæritur, utrum de jure teneatur reddere rationem sui dissensus, an ve-

an verò satis sit, si rogatus de consensu, ea ratione, detrectet consensum, quod nolit. Ernestus Cothman. *in suis consiliis, vol. in resp. 1. p. 19. quæst. 3.* Resp. Quod parens eo casu, quo ab initio contractus, de consensu interrogatus teneatur reddere rationem sui dissensus, & non sit cum sua inepta responsione audiendus, quòd ea ratione detrectare cupiat, quia nolit, sed omninò deridendus & compellendus ad rationem veram & sufficientem reddendam. Quòd si verò non statim ab initio de consensu sit rogatus; sed clam contractum sit matrimonium tunc negari non potest, quin pater justissimam dissentiendi causam habeat. Alia enim est ratio, si pater dicat, consentire nolo, quia me insscio & clam nuptias contraxisti, reverentiam illam jure naturæ, divino & humano mihi debitam violasti, & transgressus es, & aliud, si dicat, nolo, quia nolo. Idem sentit *Luth. in comm. c. 24. Gen. vers. proinde damnanda. Beza in tr. de repud. Joh. Wigand. in lib. de conjug.* Plures dissentiendi causas, qui aveat, videat. *Cothman. ã. l. Melch. Kling. in tit. de nupt. §. de licitis nuptiis, num. 8. & 9.*

QVÆST. XVI.

Vtrum sponsalia de futuro aliquam inducant obligationem.

Antequam aliquid certi responderi potest, prius subjectum quæstionis ab æquivocationis vinculo liberandum. Quadrupliciter enim accipitur: Aliis enim sponsalia de futuro sunt sponsalia conditionalia. Aliis sunt desponsationes impuberum. Aliis sunt tractatus, sive tractationes ad actum futurum sponsaliorum. Aliis sunt cavillationes verborum, qui consensum de futuro hîc intelligunt per verba futuri temporis, quibus exprimitur. Ideoque pro diversitate subjecti diversa est ferenda decisio. Conditionalia obligant tantisper, dum incertum manet, an opposita conditio possit impleri. Desponsationes verò impuberum inefficaces sunt, nisi liberi ad pubertatis annos progressi, eas dem ratas habuerint. Si in tractationibus nihil est certi conclusum & conventum, obligatio nulla existit, & per consequens nulla exactio. Denique de consensu præsenti & futuro tutius est petere judicium ex re ipsa, quàm ex subtili verborum differentia, quæ in nostra vernacula lingua non potest observari, ut rectè Lutherus monet *in lib.* von Ehesachen / *vide Mentzerum de matrim pag. 129.*

Ζητήματα παρεργῶς adjecta.

1. *Philosophiæ causam esse Deum asserimus, cùm sit bona & omne bonum à DEO*, Jacob. 1. *Minorem probo, quia intellectum ab ignorantia,*

tia, voluntatem à pravis desideriis, liberat, atque sic quodammodo animum nostrum ad pristinam sanitatem reducit. 2. quia omnis sapientia vera est à Deo, Philosophia verò tale quid est, cùm res humanas & divinas tradat, causasq; quibus illa continentur.

2. *Philosophicæ disciplinæ ante superiores sunt addiscendæ, quia hæ, (si suis se finibus contineant, & sobriè usurpentur) veluti ancillulæ quædam sunt, quæ nos in istarum cognitionem & scientiam deducunt, quibus neglectis nulla traditio, nulla scientia firma est,* Lipsius 4. Pol. c. 2.

3. *Philosophiæ subjectum primarium est mens, non verò liber, nam ex illa in literas redacta est. 2 si Philosophia esse suum haberet in libris, sequeretur, quòd sublatis omnibus libris Philosophia non amplius maneret, in quocunque enim accidens habet suum esse, eo sublato etiam tollitur. Atqui posterius est absurdum, ergo & prius.*

4. *Logicam partem esse Philosophiæ, negamus; cùm sit instrumentum Philosophiæ, testante Zabarell.* de natura Logicæ lib. 1. c. 2. *Jam verò nullum instrumentum potest esse pars ejus, cujus est instrumentum, Ergo, 2. quia non immediatè intellectum perficit, ut omnes Philosophiæ partes, sed tantùm modum indagandi causas docet.*

5. *De Machiavello statuendum, o sorem fuisse & religionis, & juris, & aquitatis: Non enim poterat dari consilium pestilentius, quàm quod de-*

dit Principi, dum suadet, ut spreto alieno consilio suæ ipsius prudentiæ innitatur? Pietatem & religionem, etiamsi non habeat, attamen præ se ferat: Doctores Christianæ religionis nihil faciat: Moysis auctoritatem & leges, vi & armis, non fide ac Deo nixas fuisse credat: fortunæ & casui felicitatem, non virtuti vel religioni veræ tribuat. Et quid, quæso, poterat effari pernitiosius, quàm belli justitiam in ea, quam quisque sibi putat esse necessitatem statuere, & hac occasione juste inflammasse orbem universum Neronẽ, cùm tamen belli justæ causæ tantummodò sint defensio patriæ, pacis, religionis, & aliorum bonorum maximi momenti.

6. Nihil proinde magis venenatum, quàm, cùm ait, Principi, ut omnem penitus pacis spem ac desiderium præcidat, insignibus injuriis violandos esse adversarios. In provinciis subactis Colonias sic esse collocandas, ut veteres ablegentur incolæ, quibus autem mutatio gravis est, omnes esse subvertendos, & familias funditus tollendas: Pravis moribus esse implendam civitatem vel provinciam, quam sine bello velit ulcisci. Stultum esse, si quis putet, veterum injuriarum oblivionem induci novis benefactis. Principi tyrannum aliquem insignem imitandum esse, famamq; crudelitatis contemnendam, modo in officio subditos suos contineat, expedire, ut metuatur plus, quàm ametur: amicitiæ haud fidendum. Si quem

plectere

plectere velit, speciosum aliquid esse prætexendum. Leonis & vulpis induendum ingenium. Immanitatem uno impetu, sensim verò beneficentiam esse exercendam. Factiones esse alendas inter subditos, tollendos autem de medio boni publici amantes, & quæ sunt plura alia, quæ blasphemans ex damnata sua evomuit anima, & sic insipienti mundo obtrusit, ut hoc veneno epoto, multi Politici statuerint, optima ratione sic administrari Rempublicam. Quamobrem Machiavelli opinionem, ut impiam & blasphemam è Reipublicæ finibus ejiciendam & radicitùs extirpandam esse, ne pars sincera trahatur, concludimus.

APOTELESMA.

IN QVO TVRPIS ET PERNITIOSA MACHIAVELLI OPINIO REFUTATur, quem affirmare non puduit, Principi utilitatis suæ causa, licere promissa, vel fidem datam fallere & revocare.

Inter alias virtutes, quibus Machiavellus vult Principem ornatum, vehementer ille laudat, illam prudentiam, quam vulgò perfidiam & perjurium appellamus, quo videlicet Princeps omnia pacta & promissa ad suam tantùm interpretatur utilitatem; monens, licere Principi, si-

ne ullo scrupulo, vel conscientiæ aut honestatis morsu & respectu, illo casu, si egregia amplificandi & confirmandi Imperii sese offerat occasio, fidem datam fallere, ac jusjurandum violare. *Qua opinione nos nihil, non dicemus Principe, sed quovis homine, indignius esse judicamus, adeò, ut qui vel cogitare vel tale quid ausit, meritò eum pudere atque erubescere oporteat: tantum abest, ut hæc præcepta Principum animis instillanda atque inculcanda putemus, utpote, quorum præcipuum munus est, justitiam incorruptè omnibus administrare. Hujusmodi ergò suasoribus non facilè aures præbebunt, nisi ii, quorum animus & corruptus, & malitiâ obcæcatus est, ut quid de ipsis posteritas sensura sit, non multum laborent. Illud enim negari non potest,* firmissimum principatus fundamentum esse bonam ac honestam, de Principis alicujus virtutibus, tam subditorum, quàm exterorum, opinionem ac judicium, ut videlicet benè de eo boni omnes sentiant, & benè de eo loquantur. *Quid vero de Principis illius reputatione & fama dicemus, qui omnium sermonibus tanquam perfidus ac perjurus differtur? Refert Machiavellus* id nonnunquam necessarium, cùm occasio semel amissa non facilè revertatur. *Audio, Machiavelle, quem tuo errori fucum facis. De occasione, quod dicis, verum esse non nego. Sed, an inde concludes, licere Principi utilitatis sua*

causa

causa fidem datam fallere? Equidem sic omnia & divina & humana jura pervertis. Hæc enim sententia locum si obtineret, mox ferro & igne omnia vastari, adeoq; cœtum terræ misceri videbimus. Esto, sit aliquando utile, fidem datam fallere. An propterea fallemus? Sic enim licebit & templa diripere, altaria expilare, opprimere innocentes, fures, sicarios & pessimorum hominum sentinam fovere. Neque scelus ullum est, quòd non speciem utilitatis habeat. Apage cum tua opinione, ô Principum pestis! Equidem existimamus, fidem servare, divinum quid esse, ac longè melius, quàm eandem datam fallere, etiamsi certissima utilitatis spes effulgeat. Annón, qui fidem privato datam violant, in omnium suspiciones & odia incurrunt? Annón vulgò execrationi sunt, ipsiq; iisdem petuntur artibus? Annón & aliam pœnam secum apportat perfidia, videlicet illam, quòd tum etiam, quando verum dicit, remq; serio agit, neminem inveniat, qui credere ipsi aut fidere velit. Porrò, quam tristes soleant esse, hanc Machiavelli doctrinam amplectentium exitus, infinitis exemplis demonstrari posset. Unum tantum hoc loco sufficiat. Notum est enim Borgiæ famosi illius Valentini Ducis exemplum. Is cum abjecto omni religionis, honestatis, fidei & æquitatis respectu, totum se libidinibus dedisset, & perjurio, perfidia, proditionibus, aliisq; sceleribus divina & humana jura pol-

ra polluisset, suo malo expertus est, quam parum firma sint regna; quæ fraudibus ac perfidiâ nitun. tur. Paulo enim post à suis subditis est desertus, amicis juxta ac inimicis exosus, è tam alto dignitatis culmine ad ima detrusus; vitam tandem in summa miseriâ finivit, nec quicquam posteris suis reliquit, præter infelicem scelerum suorum memoriam: Neq; est, quod dicas; Turcas his artibus frequenter usos esse, cum magna ipsorum utilitate. Nam si recta ratione putare rem velimus, omninò dicendum non fraudi & perfidiæ hoc per se adscribendum, verùm potiùs ignaviæ & discordiæ Christianorum. Perjurium enim & Deus & homines rectæ rationis, semper oderunt, nullam proinde prosperitatem perjurio, sed justæ Dei indignationi & socordiæ hominum adscribendam esse concludimus.

DISPVTATIO III.

DE DOMINO ET SERVO, & ARTE χρηματιστικῇ.

Resp. *Iohanne VVormser, Giessensi.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

AD constituendam familiam, duas necessariò requiri societates, præcedenti disputatione dictum

dictum est: Primaria igitur, quæ est inter maritum & uxorem, expedita; Secundariam, quæ est inter dominum & servum, hâc disputatione adjiciemus. Idque ut à nobis fiat certa methodo & ordine, Primò *ad pleniorem cognitionem & intellectum servitutis, præmittemus quædam* de libertate. Secundò *varias distinctiones* servitutis *adferemus.* Tertiò. *qualem habuerint Romani* potestatem in *servos detegemus.* Quartò. *de novo quodam & innominato servorum genere, vulgo dictis;* Leibeygene/ quædam adjiciemus.

Thesis I.

Cùm privatio per habitum meliùs cognoscatur, ideò meritò jus servitutis à jure libertatis auspicamur. Sunt autem *Libertas & Servitus* non res privatæ, sed publicæ, quæ ad publicam utilitatem & statum personarum pertinent, teste JCto Marciano, *l. si quis rogatus. 53. in pr. ff. de fidei c. lib.* Ideoque meritò de iis in Politicis agimus.

2. Vocabulum *libertatis*, tam Theologi, quàm Philosophi in Metaphysicis & Ethicis, nec non JCti, variè accipiunt, & proinde diversis definitionibus circumscribunt, quas ne huc præter necessitatem ingeram, quandam distinctionem libertatis præmittam.

3. *Soncin. 9. Metaph. q. 9.* duplicem facit *libertatem*: Unam *coactionis*, alteram *contradictionis*,

nis, quibus nos tertiam addimus speciem, quæ dicitur *Politica*.

4. Libertas à *coactione* dicitur, *Soncino d.l.* illa quæ rem eximit ab omni potestate superiore; Atque sic competit *Deo Ter. Opt. Max. absolutè & primò*; *Hominibus verò secundùm quid*, quia, utut alii aliis quodã respectu subjiciantur, omnes tamen obsequium debent Deo, à quo voluntatis & actus nostri libertas omnis dependet.

5. *Contradictionis* libertas nihil aliud est, quam ipsa voluntas, seu naturalis facultas, quæ tendit ad utrumque oppositum, & potest agere, vel non agere, prout visum fuerit, aut ipsa sese applicaverit, *Arist. 8. Phys. text. 8. & 9. Metaph. text. 10. Soncin. Metaph. q. 9. Soar. disp. Metaph. 19.* Et hæc est, quæ à Stoicis definita est. *Quod sit facultas vivendi, prout quis maximè velit*, & proinde nullo modo cogi, nec prohiberi, nec vim pati potest, cujus appetitiones non impediuntur, desideria non frustrantur, aversationes non sunt irritæ.

6. Est igitur hæc *contradictionis libertas tãtùm voluntatis*, & non cadit, nisi in motum voluntatis primum, sive in actum elicitum, atque proinde distincta ab illa, quæ non principium actus, sed ipsum actum imperatum sive secundum considerat, & in specie *libertas Politica* nominatur. Actus enim imperatus, sive quatenus in ob-

in objectum extra se fertur, quia & tolli & impediri potest ab extraneo quodam, sequitur & ipsam libertatem hac ratione, actu videlicet potentiæ impedito, tolli posse; & quia hoc loco nobis sermo de tali libertate, quæ habet oppositam servitutem; sequitur hîc tantùm agendum esse de *libertate politica, quæ non ex facultate agendi, sed ex impedimento*, quod inter facultatem, & actum interjicitur, prohibetque quò minus tantum possit voluntas, quantum cupit æstimanda. Quotiescunque enim membra nostri corporis aliud exequi coguntur, quàm imperavit voluntas nostra, toties libertati nostræ aliquid detrahitur.

7. Non tamen propterea libertas nostra æstimari debet ex impedimento quocunq; operationis & limitatione licentiæ, nullus enim in rerum natura liber hac ratione esset; omnes enim cogimur subjecti esse & majestati, & legibus, quæ quamvis non sinunt nos vivere, ut volumus, non tamen inducunt animo nostro servitutem, aut quicquam derogant libertati, quia conveniunt & congruunt inclinationi voluntatis nostræ, & ita imperant, prout voluntas nostra naturaliter appetere debet, restringunt igitur præcepta & leges voluntatem nostram, & ad mores, naturæ & rationi conformes limitant.

8. Hominis proinde libertas non consistit in eo,

in eo, ut malè agat, sed ut liberè persequatur bonum, & in eo imitetur perfectionem *Dei Ter Opt. Max.* & sanctorum Angelorum, qui etiam pertinaci proposito vergunt in id, quod absolutè bonum, non tamen inde libertatis jacturam patiuntur magis, ac ipse Deus, quem nefas est quicquam cogitare ab optimo.

9. Cùm ergò voluntas nostra non prosiliat ad executionem, nisi prius ab extraneo quodam objecto moveatur & invitetur; Idcircò leges & præcepta, tanquam objectum adsunt, quo voluntas nostra inclinatur ad id unicum, quod tendit ad sui perfectionem, & quò aliâs à natura sua ferebatur.

10. Hinc sequitur, servitutem non esse, si quispiam convenienter vivit Reipubl. Proinde *Cic. pro Cluent.* egregiè: *Legum ministri Magistratus, legum interpretes, judices, legum denique idcircò omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Item *Plin. ad Trajan. justæ legi sanctæ & honestæ, ut & optimo servire Principi, regnare est.* Item *Boët. lib. 1. consol. Philos. 6. Regis agi frenis atq; obtemperare justitiæ, summa libertas est in Monarchia.* Item *Seneca lib. 2. de benef. c. 20. optimus civitatis status, sub Rege justo.* Item *Claud. lib 3. laud Stil.*

Fallitur egregiè quisquis sub Principe credit
Servitium: nusquam libertas gratior extat
Quàm sub Rege pio, &c.

11. Rectè

11. Rectè ergò à JCtis definitur libertas: *Quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quod vi aut jure prohibetur, l. libertas 4 ff. de statu hom. & §. 1. Inst. de jur. person.*

12. Patet inde, jus non opponi libertati, sed cũ libertate stare posse, homini quippe id tãtùm facere ex recta ratione licet, quòd magistratus & leges requirunt. Est proinde *libertas nihil aliud, quàm vivere sub legibus.* Nam si libertas esset talis facultas, quod cuique ex corrupta natura placet agendi, absque ullo impedimento licentiæ, nòn tantùm Respublica nulla constare posset, verùm ne vita quidem hominum à belluina abesset, quæ, quo magis alligata materiæ est, eò magis determinatur tantùm ad id, quod est proprium rerum materialium. *Non ergo facultas agendi quodlibet, sufficit ad libertatem constituendam.* Nam eadem ratione & brutis libertatem adjudicare deberemus, quæ suo impetu procurrunt ad præsepia, per prata vagantur. Sic volucres, quà volunt, æthera tranant.

13. Proinde neque vis, de qua JCtus Florentinus *in d. l. libertas, ff. de stat. hom.* loquitur, in totum libertatem tollit, *l. qui à latronibus. 13. in pr. ff. qui test. fac. poss.* Nam quos hoc loco servos indigitamus non habent libertatem circumscriptam, & rebus certis alligatam; sed prorsus

prorsus & omninò ademptam. Et quamvis libertas sit facultas naturalis ; interim tamen jus eidem est additum à jure gentium, *l. 4. in fin. ff. de just. & jur.* Hinc non potest vis injusta libertatem tollere, nisi de facto, *l. qui à latronibus ff. qui test. fac. poss.* Et aliud longè est, esse in servitute & esse servum.

14. Servum definit Aristoteles, quòd sit κτῆμα καὶ ὄργανον ἔ δεσπότε ἔμψυχον, λογικὸν πρακτικὸν, τῇ φύσει μὴ κπτὸν, ἀλλὰ χωριστὸν. *Bonum & instrumentum domini sui animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, natura quidem in ejus potestate existens, sed tamen ab eodem separatum*, Arist. 1. Pol. 4.

15. In qua definitione Aristoteles servum appellat; 1. *Bonum à suo domino possessum.* Servi enim non sunt sui juris, sed secundùm omnia & in universum subjiciuntur domino suo, nec tantùm sunt servi domini, sed toti sunt ipsius, quia possessioni familiæ ascribuntur ut partes, partes enim non referuntur ad totum secundùm quid, sed in illo secundùm totam sui substantiam includuntur, & quemadmodum cætera sive animata, sive inanimata, universum domino subjiciuntur, ita etiam servi inter possessiones, quæ sunt in potestate possidentis, numerantur. Et hinc præter relationem æqualem, quæ est inter dominum & servum inæqualiter sese habent. Dominus quidem servi dominus est,

est, cætera suus; Servus non tantùm respectivè subjicitur domino, sed vitam & quicquid denique habet & possidet, id domino debet, 1. *Polit. 3.*

16. *Instrumentum dicitur*, quòd in rebus domesticis, opera & ministerio servi paterfamilias tanquam instrumento ad negotia domestica expedienda utatur.

17. *Animatum est instrumentum*, quod distinguitur ab instrumentis inanimatis, uti sunt aratrum, ligo, & quibus in laboribus & operibus perficiendis uti consuevimus.

18. *Practicum est*, quo à ministris opificum, quorum ministerio in operibus efficiendis uti solent, separatur, cùm servus usui vitæ quotidianæ in administranda re familiari inserviat.

19. Differt ergo in duobus ab artifice: 1. Quòd in artifice solùm requiratur peritia ejus artis, quam exercet, quibuscunque etiam sit præditus moribus: In servo autem administeria rectè expedienda, amor etiam erga dominum, fidelitas atque industria in expediendis negotiis sui domini & vitæ probitas. 2. Quòd servus sit pars familiæ: Artifex verò etiam ignotus esse possit.

20. Est propterea servus *instrumentum rationale*: quod æquè, uti dominus, ratione præditus est: hinc mandata domini intelligere, memoriâ retinere, & rectè expedire valet.

21. In-

21. Instrumentum *est tale, quod in domini potestate;* Hinc olim servi emptioni, venditioni & commutationi, &c. subjacebant.

22. *Separabile* dicitur instrumentum ad differentiam membrorum corporis, & reliquorum instrumentorum, quæ resecta à suo corpore, aut remota ab opifice, à quo regebantur & movebantur, nihil amplius per se possunt agere aut efficere: cùm tamen servus mandato domini accepto, etiam absente & remoto negotia sibi commissa expedire possit.

23. Jure naturali dicitur esse in potestate domini, quo à servis, qui jure civili tales sunt distinguitur.

24. Sunt enim *servi duplices: Alii natura* qui jure naturæ servi dicuntur: *Alii verò lege,* qui vel constitutione juris gentium, vel jure civili, servi dicuntur.

25. Experientia teste, natura duas hominum classes instituit, quæ ubique etiam, quo etiam te vertas, reperiuntur: *Alios enim instruxit natura magnis animis & provida solertiâ: Alios abjecit usque ad ignominiam brutorum solius patientiæ, & laborum gloria superbos.* Id quod innuere voluit *Plato 3. d. ll.* quando imperantium animis ait admixtum fuisse, in prima generatione aurum, unde honoratissimi facti fuerint. Illis autem, *inquit,* quos ad auxiliandum fieri

fieri voluit, argentum indidit, ferrum denique & æs agricolis cæterisque opificibus.

Fertur quippe Prometheus addere Principi
Limo coactus particulam undique
Desectam. Horat. lib. 1. Od. 16.

26. Quia verò *tùm demum officia & dignitates justè distribuuntur, quando quisque obtinuit, quod conditioni & naturæ suæ congruit*, Eth. c. 3. Et constat nasci quosdam usque adeo impotentis animi, ut nec suis commodis prospicere, nec in longitudinem consulere possint, propterea indignos illos esse, quinimò impares libertati ferendæ, & tales, ut non nisi ægerrimè extra servitutem vivere queant, quis non animadvertit?

27. Est proinde servitus *alia naturalis, quæ cum natura & conditione alicujus per omnia quadrat*; & sicuti piscis contra naturam detinetur in aëre, in quo etiam perire necesse habet; ita, qui extra servitutem se & suam familiam sustentare non possunt, propter rationis & judicii defectum, à libertate non minùs abstinere prohibentur, quàm piscis ab aëre, avis ab aqua. Unde rectè Busbequius *Epist. 3.* conferens Turcas, qui servitutes retinent, cum nostris, qui eas aboleverunt, ita scribit: *Nescio, an optimè rebus nostris consuluerit, qui servitutem primus sustulit: Si enim justa & clemens, & qualem Romanæ leges præscribunt, servitus maneret, non tàm cru-*

cibus, patibulis opus esset ad coërcendos eos, quibus præter libertatem nihil est, nisi egestas, quæ illos ad patrandum scelus impellit.

28. Hinc cum tempore *Constantini Magni*, sub initium reviviscentis Christianismi, *Pontifices* de manumittendis servis invicem certarent, & amore religionis servos manumittendos statuerent, tanta statim oborta fuit mendicorum copia; ut non longè pòst, rogatione Pontificum Xenodochia, Nosocomia, & id genus alia hospitia, coacti fuerint Imperatores ædificare, quò illi, qui ex propriâ prudentiâ, & ingenii industriâ, se nutrire nesciebant, nutrirentur.

29. Hinc non longè pòst Valens Imperator edicto vetuit, ne quisquam sine labore ostim stipem quæreret, sed in servitutem vicissim retraheretur, *Bod. 1. de Rep. c. 5.* Et tantùm de servis jure naturæ, à serviendo dictis.

30. Porrò *lege fiunt servi* dupliciter, *jure gentium & jure civili*. Jure gentium *iterum dupliciter, captivitate & nativitate.*

31. *Captivitate*, quia jus belli apud omnes gentes receptum esse constat, *1. Polit. 4. Vt videlicet capta urbe, quæcunque in ea sunt tàm corpora, quàm pecunia in potestatem victoris concedant.* Hinc sequitur, quam primùm civis aliquis in præsidia hostium deductus est, jus omne & civitatem & libertatem amitti, *l. 5. §. 1. & tot. tit.* ff. de

ff. de capt. & postlim. revers. & l. 1. ff. de acquir. rer. domin. & §. item ea, 17. Inst. de rer. divis. Hoc ergò summum jus, ne in summam degeneraret injuriam, pietas sensim etiam apud barbaras gentes mitigavit, ut qui jure stricto occidi potuissent, asservarentur, & in servitutem perpetuam damnarentur. Qui igitur à rigore summi juris sic præservabantur apud Latinos exinde nomen traxerunt, *& ab asservando servi dicti* sunt; Alio nomine etiam vocantur, *mancipia; l. 4. ff. de stat. hom.* quod ab hostibus manu capiantur.

32. Et quî non essent optimo jure in servitute suorum victorum? Cùm enim illos liceat impunè occidere, cur non liceret id victoribus, quod minus, videlicet in servitutem redigere? *Est enim mors omnium terribilissimum, & omnẽ spem aufert, 3. Eth. c. 6.* Servis verò ea prærogativa manet, quâ possint à servitute ad libertatem pervenire, nullo verò modo à morte ad vitam, propterea, quòd à privatione ad habitum non detur regressus.

33. Definitur hæc servitus: *Quòd sit constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur, l. 4. §. 1 ff. de stat. hom. §. servitus autem. 2. Instit. de jur. pers.*

34. *Nativitate*, quia jure naturali partus sequitur conditionem parentum, & quia jure gentium servi ex captivitate fiunt, sequitur,

quòd eodem jure servi sint, qui ex ancillis per captivitatem factis nascuntur, secundùm JCtũ Marcianum *l. 5. §. 1. ff. de stat. hom. & §. Servi autem 4. Instit. de jure pers.*

35. *Jure civili* triplici ratione servi fiunt: *venditione, sententiâ & revocatione in servitutem ob ingratitudinem Donell. lib. 2. de jur. civ. cap. 9.*

36. *Emptione* dupliciter aliquis fit servus: *uno modo.* Cùm liber homo, major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est, *§. Servi autem. 4. Instit. de jure person.* Constat enim libertatem esse rem publicam, *ex l. si quis, rogatus. 53. ff. de fideicom. libert.* quam, ut nemini licet respuere, si offeratur, *l. ult. § si vero 2. vers. licet enim, Cod. de rest. man.* Ita neque prodigere & sibi nocere. Hinc puniuntur illi, qui sibi injurias manus inferunt: Hinc puniri voluit Adrianus Imperator, qui se fiverint castrari, vel castrandos se dederint, *l. 4. §. ult. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Pœna ergò hæc abjectis animis imposita, quòd pretio libertatem, quæ alias inæstimabilis. *l. libertas 106. ff. de reg. jur.* vendiderint; Estque hoc omninò sacris literis consonum. Nam sicuti sacræ literæ insectantur Esavi temeritatem. *Gen. 25. 32.* quod unius offæ pretio primigenia vendiderit. Ita etiam leges temeritatem inhiantium turpi lucro, ulcisci voluerunt.

37. *Altero*

37. *Altero modo* servus venditione fit, si quis captum ex hostibus redimat. Redemptus enim statim fit redimentis, *l. in bello, 12. §. si quis servum, 7 ff. de capt. & postlim. revers.*

38. Quibus loco supplicii servitus imponitur, servi pœnæ vocantur, & *sententiâ statim servi fiunt.* Facinora autem, quæ servitute punita fuerunt, plurima enarrantur: utpote, qui suppetias ferunt, & arma ministrant hostibus, pro hostibus habentur, *c. ita quorundam, 6. & c. ad liberandum, 17. ext. de Jud. & Saracenis. Liv lib.* 38. Ideoque eadem tractantur pertica, qua hostes, imò eò duriùs, quò majori cum perfidia peccant.

39. Servitute item punita est mulier ingenua, quæ contra Edictum nupsit servo. *l. un. C. de mulieribus, quæ se servis junxer.* Quod SCtum postmodum sublatum est à Justiniano Imp *in l. 1. C. de SCto Claud. & §. fin. inst. de succeff. subl.*

40. Item servitute punita est jure civili magnitudo debitorum, & cessio bonorum, lege 12. tab. Gell. *lib. 20. c. 1.* Ante jus 12. tab. debitoris corpus secabatur in partes, & inter creditores dividebatur, teste Quintiliano *lib 3. c. 8.* Quam efferatam immanitatem non tantùm repudiavit mos publicus, sed & multi ex Patribus repudiarunt, *Tertull. in apol. c. 4. & Ambros. de Tob. c. 8. & 10.* Hodiè propter perfidiam, fraudem &

scelera, quibus plerunque obærati involvuntur, in carcerem compingi solent. *Menoch. de arbit. jud. quæst. Gail. lib. 1. obs. 26.* Sic in Hispania, Gallia, & Anglia omnes ferè turres portarum factas reperimus miseris obæratis, qui illic stipem mendicant.

41. Et quia unusquisque naturaliter obligatur ad ἀντιδωρεάς, propter ingratitudinem libertus iterum revocatur ad servitutem. *l. 2. 3. & 4. C. de libert. & eor. lib. l. 30. ff. qui & à quib. manu l. penult. C. de oper. lib.*

42. *Potestas dominica* est jus, quod dominus habet in servum. Et est omni suo affectu planè eadem, cum eo dominio, quod dominus habet in aliis suis rebus. Hinc servi toti sunt sui domini & pars familiæ, proinde pro nullis habebantur, & vivis hominibus non annumerabantur, nihil habebant in patrimonio, sed omnia acquirebant suo domino *tot. tit. Instit. per quas pers. nob. acq.* Deinde & vita etiam eorum in manu domini fuit, ita ut à domino pro libidine & sine causa occidi potuerint. *l. quid ergo 53. § 8. ff. de legat. 1. l. si servum, 91. ff. de verb. oblig.* Qua de re vide Bodin. *de republ. lib. 1. c. 1.* Germaniam verò servos veros nunquam habuisse, testis est *Corn. Tacit. in hist. de morib. Germ.*

43. Sed ab anno Christi 781. servitus magis magisque minui cœpit, ita ut anno Christi 1200. in universo ferè orbe, servi ampliùs non fuerint,

fuerint, ut plenius ex historiis probat Bodin. 1. *de rep. c. 6.*

44. Supersunt tamen in nonnullis terris, qui inopiâ suâ & amplitudine divitum familiarum, ad servorum propius, quam ad liberorum conditionem accedunt. Conditio verò illorum non ubique eadem; in aliis enim liberius, in aliis durius tractantur. Germanis novo nomine vocantur homines proprii, Leibeygene. Polonis appellantur *Kmetones*; Danis *Bondons*, Gallis *Taillables, ou munis mortes*. In Sueviâ propè accedunt ad ingenuos, *Zas. 1 resp. sing c. 3. num. 77. & seqq.* In Polonia non sibi, sed dominis possident; nam quicquid id genus hominum habet, utpote agros, pascua, ædes, boves, pecudes, utensilia & elegantiores vestes, hæc omnia ad dominum pertinent: Et usitatum erat Polonis olim, præsertim Nobilibus, dum iter faciebant, diripiebant villas rusticorum, & eorum sumptu proficiscebantur, donec à Casimiro I. id correctum Anno 1180. Nec multum etiam absunt ab antiquorum servitute, qui in Ducatu Megopolitano, in Westphaliâ & in Russiâ degunt, nam singulis diebus servire debent, & non tantùm ipsi, verùm etiam liberi ipsorum, in potestate dominorum existunt, nihilque habent proprii, nisi quantum sagacitate, suum defraudantes genium comparcere & peculium inde condere possunt.

45. Et quamvis hi homines, servi non sint per omnia; interim tamen neque ingenui: Saxones enim olim eos non tantùm à judiciis & dignitatibus; verùm etiã tribubus & cõmerciis, rejiciebant, cujus vestigia adhuc supereſſe videmus, in vulgari formula literarum nativitatis. Nec enim recipiuntur, Leben und Eygen/ quorum, cùm plena esset Westphalia, post introductas à Carolo Magno, ob reiteratas defectiones, Francorum colonias & incolas omnes in servitutem condemnatos, factum esse puto, ut in quibusdam civitatibus inferioris Saxoniæ, nec adhuc Westphali recipiantur. Id quod meritò etiam dies abolevit. Et tantùm de illis, quæ ad familiæ constitutionem pertinent.

46. Adminicula societatis domesticæ, sine quibus conservari non potest, sunt opes & possessiones; circa quas duo necessariò consideranda veniunt. 1. ἡ κτητικὴ ratio & modus acquirendi. 2. ἡ χρηστικὴ ratio acquisitis rectè utendi.

47. Illa dicitur scientia vel facultas acquirendi ea, quæ ad victum & amictum sunt necessaria, dicta à Philosopho χρηματιστικὴ, quòd τὰ χρήματα medium commodissimum, per quod nobis necessaria comparare possimus.

48. Dividitur in naturalem & artificialem. Naturalis est, quam natura monstravit necessi-

tate

tate urgente, quæ etiam exinde necessaria dicitur, quòd circa victum & amictum occupata.

49. Estque 2. simplex vel mixta: Simplex est, qua certo uno vitæ genere victum nobis acquirimus. Cujus species quatuor à Philosopho numerantur: quarum prima est ἡ γεωργία agricultura per quam victum quærimus ex terra, & iis, quæ è terra nascuntur: Altera est, qua ex pastura animalium mansuetorum victum quærimus, dicitur *Pastoratitia*: Tertia ἡ πολεμικὴ, qua ex justo bello victum quærimus, dicitur *Polemica*: Quarta species, qua ex venatione victum conquirimus, dicitur *Venatio*; Estq; rursum triplex θηρευτικὴ, qua bestias vel animalia terrestria; ὀρνιθοθηρεσία aucupium, qua aves & volatilia: ἁλιευτικὴ Piscatio, qua pisces capimus, & ex iis victum & amictum quærimus.

50. Mixta est, quando non una tantùm ratione, victus acquiritur.

51. Artificialis est, quæ hominum industria & studio inventa: hinc neque naturalis, neque necessaria dicitur. A naturali differt, quòd non necessitate naturæ, sed cupiditate hominum, quæ insatiabilis, est profecta, item, quod splendorem, voluptatem & luxum, &c. sibi habeat proposita.

52. Estque Philosopho duplex: Alia honesta & licita, & alia inhonesta & illicita. Honesta utilis & necessaria est, per quam res æquo &

tolerabili pretio æstimantur, ut inter ementes, vendentes aut alio modo permutantes.

53. Turpis & prohibita est, si res pretio justo majore æstimantur & permutantur, hinc *Cauponaria, nummularia & fœneratio.*

54. Præterea ἡ χρηστικὴ facultas ad dominum spectat, ne patiatur servos suos vel petulantes, vel superbos, vel nimis remissos & abjectos, quod obtinebit, si opus, cibum & castigationem rectè temperare sciant.

55. Opus debetur servis, quia ad rem familiarem augendam habentur.

56. Cibus præterea requiritur sufficiens ad satietatem & robur, ne labore frangantur.

57. Tertiò, ne nimium sæviat in servos. Nam quamvis olim jus vitæ ac necis in servos habuerint domini: tamen illud jus rigidum rectè hodiè correctum est, nec absque justa causa servum interficere, vel in eum supra modum sævire licet, cùm Reipubl interfit, ne quis suâ re malè utatur.

58. Et quia hæc de servis per legem talibus, qui vel in bello capti, vel ex captivis nati fuerunt rectè accipiuntur; sequitur, quòd in servos, per naturam tales, nulla prorsus læviendi sit potestas, sed, quòd humanissimè tractandi.

59. Et quia hodiè inter Christianos servitus sublata, & loco servorum, liberis utimur hominibus, tanquam mercenariis, nulla prorsus da-

sus datur sæviendi potestas ; moderata tamen correctio licita & permissa est, si videlicet officium suum neglexerint, aut negligentes in officio fuerint. Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum definitio libertatis ICti Florentini in l. 4. in pr. ff. de stat. hom. posita tolerari possit?

Nos definitionem libertatis JCti Florentini, ad quam ipse Imperator Justinianus *in pr. Instit. de jur. pers.* accessit, omninò sartam tectamque retinendam esse asserimus.

Impugnatur autem à quibusdam & inprimis Montecat. *in schol. 1. polit. text. 56.* 1. à causa efficiente. Quia æquè est constitutio jurisgentium ac servitus: Et probat hoc duplici ratione: 1. *Ex l. 4. in fin. ff. de just. & jur.* ubi JCtus Ulpianus tria hominum genera juregentium introducta esse dicit, videlicet liberos homines, servos, & libertinos. 2. declarat id exemplo, hoc modo: licet unicuique barbam habere, non ullo hominum privilegio, sed, quòd eam licentiam quisque habeat à natura. Si verò certæ conditionis homines edicto aliquo juberentur tondere barbam; reliqui, ad quos edictum non pertineret, inciperent jure edicti barbam promit-

promittere, & sic, quod antea fuit naturalis facultatis, & omnium, jam incipit juris civilis esse & paucorum. Ad istum modum libertas, post introductam juregentium servitutem ; cœpit similiter esse jurisgentium, & eorum tantùm, qui non serviebant. Resp. Distinguendum esse inter facultatem naturalem , qua omnes liberi eramus , *§. 2. Instit. de jur. natur. gent. & civ.* & æquales, *l. quod attinet 32. ff. de reg. jur.* & inter jus , quod certo respectu facultati naturali superadditum. Non enim loquitur hic Jurisconsultus de mediis , quomodo illud jus naturali superadditum. Non enim loquitur hic Jurisconsultus de mediis, quomodo illud jus naturale sit limitatum , & ad certas personas restrictum, sed potiùs respicit ad causam efficientem immediatam, cùm ideoque libertas primam suam originem trahat à jure naturæ , & contrà, servitus , de qua Jurisconsultus loquitur suam dependentiam habeat à jure gentium, sequitur libertatem non æquè constitutionem juris gentium nominandam, uti servitutem. Exemplum allatum, quod attinet, magis confirmat nostram sententiam , hoc enim sequitur, illos, ad quos edictum non pertinet , permanere in sua naturali libertate , & ulterius approbari & confirmari.

Secundò impugnatur definitio Jurisconsulti ulteriùs his argumentis: 1. Quòd hæc definitio

tio æquè competat servis ac liberis hominibus, quia servis quoq; inest facultas faciendi quodlibet, nisi vi aut jure prohibeatur. 2. Quòd jus sive leges omninò impediant libertatem, & faciant, quò minùs homo facere possit, quod velit. 3. Quòd vis seu violentia non tantùm impediat libertatem, verum omninò tollat, & ex liberis hominibus servos faciat, ipsis Jurisconsultis judicibus, qui servitutem ex vi & violentia bellica introductam esse asserunt *l. 4. ff. de just. & jur.* Opponitur enim vis & violentia libertati directò. 3. *Eth. c. 1.* Verum resp. ad primum negando, nam definitio libertatis servis nullo modo competit, non enim habent libertatem certis legibus & regulis circumscriptam, sed prorsus ademptam, nihil proinde facere possunt ex illis, quæ à liberis hominibus fieri permissa sunt, & legibus approbata. Ad 2. Resp. Distinguendo. Leges enim non imperant ex coactione δεσποτικῶς, sed πολιτικῶς: Obedientia enim, quæ legib. præstatur, fit sponte, ut libertas sit incolumis, non enim uti ante dictum, libido faciendi, quod lubet, facit libertatem; sed leges & præcepta quæ ita imperant & inclinant, prout ipsa facultas naturalis appetere debet. Ad 3. resp. Distinguendo inter violentiam ex justa causa profectam, & inter injustam. Servus enim non fit violentia injusta, sed justa, hoc est, quæ jure concessa. Est enim servitus

consti-

constitutio jurisgentium. Quamobrem rectè inquit JCtus, quòd ille, qui tantùm vi aliquid prohibetur, non efficiatur servus, sed liber permaneat, *l. qui à latronibus*, 13 *ff. qui rest. fac. poss.* & *l. hostes* 24. *ff. de capt.* & *postl.*

QVÆST. II.

Vtrum definitio servitutis ICti Florentini d. l. 4. de stat. hom. possit tolerari?

Definitionem servitutis, prout est à JCto Florentino *in d. l. 4. ff. §. 2. de stat hom.* & à Justiniano Imp. *in Instit. de jure person.* approbata nos recipimus & defendimus.

Impugnatur autem simili ratione à quibusdam multis modis: 1. Quia non est ipsa constitutio, sed jus & res jure gentium constituta, & quod verbalia in *io* significent ipsam actionem, non verò rem actam. 2. Quòd hæc definitio, non specificè tantùm servos complectatur, verùm etiam plerosque Europæ incolas & cives, sub dominio & Imperio viventes. 3. Adversari videtur, §. *servi*, 4. *Inst. de jur. pers.* ubi Justinian. ait, quòd servi fiant, vel jure gentium, vel jure civili. Ergò servitus non tantùm est constitutio jurisgentium, sed & juris civilis. 4. Quòd servus etiam interdum sit sine domino, *l. si usumfr.* 23. *pr.*

23.pr.ff.de liberali causa, & *l.licet 3.pr ff.de pecul.& l.quod servus 36. ff.de stip.serv.l.38.§.1.de nox.act.* 5. Quia servitus ex natura causam trahit, *l.Polit.3.* Ergo servitus naturæ non est contraria. 6. Quia jus gentium est, quod naturalis ratio inter omnes homines docuit, *l.omnes.9. ff.de just.& jur.& §. jus autem, 2.Inst.de jur. nat.gent.& civ.* Ergo servus non subjicitur domino contra naturam.

Verùm &c. ad 1. Non esse inusitatum apud JCtos, ut metonymicè ipsa constitutio pro re constituta ponatur, & sic verbalia in *io* non semper denotant ipsam actionem, sed etiam interdum rem factam, ut thesaurus est depositio pecuniæ, hoc est, deposita pecunia; sic fidejussorum obligatio dicitur accessio rei principalis, pro re, quæ accessit, *Donell.1.comm.cap.9.* Ad 2. distinguimus inter dominium propriè dictum, & inter Imperium, quæ toto genere differunt, *ut th.12.primæ disp.nostræ Polit.* demonstratum. Non ergo sequitur, Cives Rom. Imperii sunt sub imperio. Ergo non sunt liberi homines, quia Imperium ideò impetrantibus tributum est, ut subditorum libertas salva permanere possit. Ad 3. Quòd à potiori debeat fieri denominatio. Constat enim servitutem, qua talis primùm jure gentium introductam esse, ad quod postmodùm jus civile accessit, & alias species servitutis constituit, *Borch.ad §.servi autem,*

autem, Inst. de jur. pers. Ad 4. respondet *Pac. cent. 1. q. 21. in pr.* Quòd hi, qui sine domino servi dicuntur, non sint propriè servi, sed ideò servi dicantur, quòd jura libertatis non habeant. Ad 5. Quòd unius inclusio non statim sit alterius exclusio. Item, quòd aliter JCti, & aliter Philosophi servitutem considerent, & proinde una servitus aliam non tollat. Ad 6. Distinguendum inter ipsam naturam, & inter privilegium naturæ, quod jure gentium optima ratione est limitatum.

QVÆST. III.

Vtrum servitus quædam sit à naturâ?

Servitutem naturâ non dari videtur probari posse his argumentis: 1. Quia servitus est pœna peccati, *teste Ambrosio & Augustino*, Augustini verba *lib. 19. de Civ. Dei. c. 15.* hæc sunt: *Imperant, qui consulunt, sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Rationalem factum ad imaginem noluit Deus, nisi irrationalibus dominari, non autem homines homini. Unde primi justi Pastores pecorum magis, quàm hominum Reges constituti, ut sic insinuaret Deus, quid postularet creaturarum ordo, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis jure-*

telli-

telligitur imposita peccatori. Proinde nusquam scripturarum legimus servum priùs, quàm hoc vocabulo Noah *peccatum sui filii vindicaret. Itaque illud culpa meruit, non natura.* Et paulò pòst : *Nullus autem naturâ in qua prius Deus hominem condidit, servus est hominis aut peccati; verùm pœnalis servitus ea lege ordinatur, quâ naturalem ordinem conservari jubet, perturbari vetat: quia si contrà eam legem, non esset factum, nihil esset pœnali servitute coërcendum,* Ambrosius *in serm. de jejun.* ab eodem quidem principio, verùm non ex eodem peccato auspicatur servitutem, dum ait: *Manebat antequam vinum inveniretur omnibus inconcussa libertas: nemo sciebat à consorte naturæ suæ, obsequia servitutis exigere. Item non esset hodie servitus, si ebrietas non fuisset, c. sexto die, 8. vers. manebat, dist. 35.* Ambrosius ebrietatem *ergo* Noah; Augustinus *verò* contemptum Chami; uterque magnum peccatum divina destinatione à Deo per servitutem punitum fuisse asserit. Atqui pœna non est secundùm, sed contra naturam. Ergo &c. 2. à definitione JCti Florentini *in l. 4. ff. de stat. hom.* ubi dicitur, *quòd sit constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* 3. à contrario: Quia est violentum quoddam. 4. ab absurdo: Sequeretur & Reges & magnos dominos esse servos, si Aristotelis sententia de servis natura esset

vera. 5. A causa efficiente. Quia vis & violentia introduxit servitutem, teste JCto Florentino *in d. l. 4.* 6. Quia servitus Reipublicæ Christianæ est noxia, cùm impium & iniquum sit, pretiosam Dei naturam tam diræ servituti addicere, redempti enim omnes sumus per Jesum Christum.

Contrà servitutem naturalem dari probatur his fundamentis: 1. ab adjunctis commodis. Quia servitus humano generi est utilis ac maximè necessaria. 2. Ratione servorum. Nasci enim quosdam videmus usque adeò impotentis animi, ut nec suis commodis prospicere, nec in longitudinem consulere possint, indignos ad consilium & cognitionem rerum, qui nisi serviant & ex quotidiano labore vivant, propriâ industriâ victum sibi parare copiam non habent, hinc multos videmus in malam rem abripi, quos impotentia animi alienis rebus uncas injicere manus coëgit; Inde rectè *Busbeq. in Epist. 3. Libertatem omnes ferre non possunt. Non enim omnes ita nati sunt, ut se regere & suo arbitrio rectè uti sciant, melioris ductu atque Imperio, tanquam adminiculo opus habent, nullum alioquin peccandi finem facturi, ut sunt quædam bestiæ, quarum ferocitas semper metuenda est, nisi vinculis aut robore coërceantur.* Hinc *Aristoteles 3. Polit. 10. & 5. Polit. 10. & 7. Polit. 14.* Asiaticos *bonos servos appellat, & liberos malos.* Hinc

Syri

Syri servi dicuntur & Celti liberi homines. Nō ergò omne spontaneum efficit liberum hominem, nisi & cognitio accedat; quæ facultatem indifferentem trahit ad alteram contradictionis partem. 2. *Ratione Domini necessaria est servitus*, quia Dominus servis necessario in re familiari indiget, & eis carere nullo modo potest. Cùm igitur natura in rerum productione necessitatem & utilitatem sibi habeat propositam, neque deficit in necessariis, Ergò servitus secundùm naturam erit. 2. Quod indoli & naturæ cujusque rei convenit, non potest non naturale dici. Atqui servitus quibusdam convenit tanquam principium internum motus. E. 3. Quod fit ad commodum & utilitatem alicujus, non potest esse violentum. Atqui inservire alicui, vergit quibusdam ad commodum & emolumentum. Ergò, &c. 4. In tota rerum natura, quædam sunt aliis præstantiora, atque adeò quædam aliis subjecta. 5. A natura animatorum sive animalis. In animalibus anima imperat corpori secundùm naturam. Ergò quoque inter homines unus homo alteri. 6. Per naturam fœmina paret masculo, tanquam præstantiori. Ergò & servus Domino tanquam nobiliori. 7. à natura & discrimine corporum, quia natura fecit distincta corpora hominum, alia robustiora ad opus, alia imbecilliora, ita ut animus in iis prævaleret, atque adeò essent quædam

Deorum imagines. 8. Quia Decalogus est de lege naturæ, tab. 2. autem Decalogi lex sit, ut liberi, quorum nomine omnes inferiores eo in loco, comprehenduntur, debeant parere parentibus, hoc est, superioribus quibuscunque, utique ad jus naturæ etiam servitus reducetur. *Plura vide apud Aristotelem, 1. Polit. 3. &* Arnis. 1. *Polit. c. 3. sect. 3.* Keckerm. *Synops. prud. Oecon. cap. 4.*

Pro determinatione quæstionis distinguimus 1. Inter servum naturalem, Civilem, Spiritualem & Carnalem. 2. Inter statum ante lapsum & post lapsum. 3. Inter Dominum legitimum & illegitimum. Et 4. inter illud, quod sit per accidens & inter illud, quod fit per se. Quibus distinctionibus præsuppositis, jam resp. ad 1. Illud verum esse de statu ante lapsum. Nam si homo lapsus non fuisset, tunc omnes homines liberi essent & nulli servi. Verùm post lapsum discrimen hominum est introductum & certi ordines constituti, & sic Chami posteritas damnata est in servitutem fratrum, *Gen. 9.* & Esavi progenies subjiciebatur Jacobo priusquam ex utero enitebantur, *Genes. 25. 23.* quod præsagium mirabili errore perficiebatur, cum Isaac, omnes fratres in Jacobi servitutem damnaret, *Genes. 27. 29.* Ideoq; non sine nutu divino fieri putandum est, quòd quidam nascantur adeò abjecti & servilis animi, ut sine aliena ope sustenta-

ſtentatæ familiæ non ſufficiant. Ad 2. R. Verum eſſe de ſervitute legali, non verò naturali. Ad 3. Reſp. Negando, ſervitutem naturalem eſſe rem violentam, quia omninò naturæ & conditioni humanæ per omnia cõvenit. Ad 4. Diſtinguẽdum eſt inter Regẽ & plebeſum. Nam in Rege non unum hominem, ſed totam civitatem intelligo. Quare etſi in homine, qui Rex eſt, ſit quædam rationis & virtutis defectio, ipſi tamen, quatenus eſt perſona civitatis, nec ratio, nec virtus deficit, propterea, quòd habeat ſuos conſiliarios & vicarios, per quos adminiſtrare Rempubl. poteſt. Ad 5. Diſtinguimus inter vim ſecundùm leges & contra leges. Nam vis quædam eſt legibus approbata. Ad 6. quamvis hodie inter Chriſtianos ſervitus nulla, nam vel gratis dimittuntur, vel certo lytro vel permutatione aliorum captivorum: tamen ſi bellum geratur cum Turcis, omninò captivi in ſervitutem rediguntur, propterea, quòd regula tunc non habeat locum: Quod tibi non fis ſieri, alteri ne feceris; Item quòd ordinata Charitas incipiat à ſe ipſa. Non enim debeo prodeſſe inimico & mihi nocere. Patet ergò, quod hoc argumentum hic nihil contra noſtram ſententiam faciat. *Plura hac de quæſtione, vide apud* Calum *in Sphær. civ. l. 1. c. 3. p. 26.* Timpl. *in Oecon. l. 1. c. 4. q. 21.*

QVÆST. IV.

Vtrum servitus sit contraria sacris literis?

Servitutem Politicam contrariari sacris literis tradunt, *Hier. Cagnol. in l. quod attinet, ff. de R. l.* Vasq. *l.* 1. *Controv. illust. c.* 9. *n.* 2. Montec. 1. *Polit. text.* 58.

Verùm consentaneam esse servitutem politicam sacris sanctionibus, tam veteris, quàm novi Test. apparet; Quia D. Apostolus admonet Corinthios, ut unusquisque in ea vocatione, in qua quis vocatus permaneat: *Servi ne captent illicitam libertatem, si quæ tamen offeratur, non detrectent*, 1. *Corinth.* 7. 21. Præterea Timotheum ita jubet docere & admonere, 1. *Timoth.* 6 1. *Ut servi, qui sunt sub jugo, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Dei & doctrina, malè propter ipsorum iniquam pertinaciam audiat.* Qui verò fidelibus serviant Dominis, ne eos contemnant, sub prætextu, quasi sint fratres, sed multò subjectiùs se gerant. Idem inculcat ad *Eph.* 6. 5. & Petr. 2. *Epist.* 2. 19. Idem probatur, *Genes.* 6. 4. *item* 25. 23. *&* 26. 15. *seqq.*

QUÆST.

QVÆST. V.

Vtrum servitus legalis sit justa?

Scotus. 4. sent. dist 36. q. 1. Montecat. in 1. Polit. super text. 64. Bod. in 1. de Repub. c. 5. Servitutem jure gentium constitutam prorsus damnat. 1. A causa efficiente. Quia jus belli strictum non abest à violentia & injuria, adversatur propterea naturæ, & victoria sævitiæ nomine ab omnibus meritò condemnatur. 2. ab effecto absurdo. Pœna tantùm debet tenere suos autores, *l. sancimus. 22. C. de pœnis & l. crimen. 26. ff. eodem. Deut. 24. 16. Ezech. 18. 19. 2. Reg. 14. 6. & 2. Paral. 25. 4.* Si enim ultra extenditur, ad crudelitatem pertinet. Non enim sunt æquandi in pœna, quos non æquat peccatum *Cic. lib. 2. off.* 3. Ab adjunctis multorum bellorum. Multa enim bella sunt injusta & offensiva & fieri non potest, ut ab utraque parte sit justa & legitima causa. 4. Si nec cædere victos licet, multò minùs in servitutem abducere, nam dediditium hominem occidere ait *Alciat. in l. pupillus §. servorum. ff. de V. S.* crudelissimum est; nec boni Imperatores hoc patiuntur. 5. Quia justa non est fortitudo, quam accendit cupido habendi potius, quàm studium virtutis & honestatis. 6. Quia alienum est à charitate Christiana, ali-

quem servitutis vinculis detinere. 7. Quia est contra morem multorum populorum. Ita *Phocenses & Locrenses.* Athen. *l. 6. c. 7. Taprobani* Plin. *7. l. c. 22. Indi.* Joan. Boëm. *l. 2. de mor gent.* Servos nullos habuerunt *Arnisæ. l. 1. Pol. c. 3.*

Verùm legitimam & justam esse servitutem legalem, probatur his fundamentis. I. Quia approbatur sacris literis. Quia Deus ipse Cananitas & alias gentes ex stirpe Esavi, longè lateque propagatas, in servitutem, à præsumpta libertate vindicavit. 2. Quia servitus communi gentium consuetudine introducta. 3. Quia & naturali rationi & legi justitiæ per omnia consentit, quamdiu enim victus non deductus est intra præsidia nostra, hostis est & suæ Reipubl. civis, *l. postlim. 5. §. 1. ff. de capt. & postlim. reversi.* injusta enim est misericordia, si quis hostem absolvendum putet, cui adhuc latrocinandi adspirat affectus, *cap. est injusta. 33. caus 23. quæst. 4.* Et charitas ordinata à se sumit initium, & nemo tenetur alteri, imprimis hosti prodesse, cum suo incommodo. Si enim dimitterentur victi, per multum decederet Reip. Victoris. Nam privaretur fructu victoriæ, quæ, ipsi omnia hostium tradidit in manus. Deinde suâ benevolentiâ duplicaret sibi pericula, novo bello contra dimissos hostes tentanda, eò periculosiùs, quò pertinaciori animo contra consuetos ad vendicandam ignominiam essent redituri, qua

dere

de re eleganter Herennius senior, contra filium Imperatorem Samnitium ne dimitteret Rom. semel victos, disputat: verba hæc sunt, *Servate modò, quos semel irrita veritis ignominiâ. Est enim Rom. Gens, qua victa quiescere nesciat: vivit semper in pectoribus illorum, quicquid isthuc præsens necessitas jusserit, neque eos ante multipl. pœnas petitas à vobis, quiescere sinet. Livius l. 9. in pr.* Proinde nulla justitia vetat hosti nocere, modò modus non excedatur, nec transcendantur limites honestatis. Nam aut hostem consideramus in acie, vel post victoriam. *In acie, quicquid feceris excusationem habet, Gregor. lib. 4. cap. 6. Hostem enim pugnantem necessitas perimit, non voluntas, Augustin. cap. noli. 3 in fin. 23. q. 1.* Post victoriam quamvis quibusdam displiciat, nullo tamen jure prohiberi potest, ut victor victoriam suam persequatur & victis ad commodum & emolumentum suum utatur. Contraria argumenta, quod attinet, resp. Ad 1. Quamvis jus strictum sæpè abeat in injuriam, idque eò facilius in Jure belli, quò propius ad vim accedit, tamen si servitus intra limites contineatur & eo fine in servitutis vinculis victi detineantur, ut sint potiùs Reipubl. commodo & emolumento, quàm detrimento, omninò retineri, absque injuria posse, puto. Ad 2. Quamvis sæpè subditi eorumque liberi nihil peccârunt, tamen tenentur

de facto Reipubl. *arg. l. civitas. 27. ff. de rebus creditis, & ult. C. de navicul.* Gail. *de arrest. Imp. c. 9.* Secundùm illud

Quicquid delirant reges plectuntur Achivi.

Sic homicidium Saulis in Gabaonitas perpetratum, nec vindicatum à Davide, totius provinciæ fame punitur, *2. Sam. 21.* Sic numeratio populi, non tam Davidi, quàm universis subditis exitialis fuit, *1. Paral. 22. 2. Sam. c. ult.* Sic negligentia magistratuum consumit totam tribum Benjamin *Iud. 20. 13. seqq.* Generaliter quidem verum, quòd pœna tantùm tenere debeat auctorem ipsum; sed in casibus specialiter exceptis locum non habet. Ad 3. Distinguendum puto, inter forum contentiosum & conscientiæ. *Vasq. l. 1. cont. c. 9. n. 15.* De occultis enim & quæ ad causam impulsivam pertinent, solis principibus cognitam, non potest homo cogitare, qui respicit ea, quæ ante oculos sunt. Et quia bellorum causa, ab utraque parte, sæpius tam est involuta, ut de ejus æquitate nullo modo perfectè constare possit, factum est, ut, publicæ pacis tuendæ & majoris tumultus evitandi gratia, partim etiam, quod neque mutari, neque nostrorũ saluti & utilitati aliter consuli possit, non tantùm justis, verùm etiam iniquis bellatoribus, hoc jus indulgere cogamur. Sed in foro conscientiæ ipsi bellatores viderint, quid nam Domino exercituũ responsuri sint. Quod

verò

verò attinet nullum bellum utrinque posse esse justum & legitimum, equidem non simpliciter & absolutè affirmarim. Nam quamvis contrariæ causæ nequeant simul esse veræ, nec simul falsæ; interim tamen potest fieri, ut sit ab utraque parte justum, propter probabilem ignorantiam, quæ agentem statuit in bona fide. Ad 4. argum. resp. Negando. Quamvis enim servitus secundùm quid hujus vel illius respectu, deterior sit morte, dum cordatis viris præstat, aut libertatem defendere, aut mori ante servitutem: tamen absolutè & respectu naturæ charior omnibus est vita. *Aristot. 3. polit. c. 4.* Et nisi vita esset melior libertate, Mors non esset terribilior servitute, *3. Ethic. 6. & 9.* Et habet servitus hanc prærogativam, quòd à morte non detur regressus ad vitam, à servitute ad libertatem omninò regressus concedatur, quemadmodum plurima exempla evincunt, de quibus *vide Arnisæ. l. 1. polit. c. 3. p. 122. n. 50.* Ad 5. Quod sit fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim tantùm ob pecuniam incenditur, sed propter virtutem, unius enim rei plures possunt esse fines. Ad 6. Non esse extendendum id latius, quod ex certa causa, Christianis tantùm indultum est in quibus enim cessat causa, videlicet Christiana fides, in illis etiam deficit jus. Aliter ergò cum Turcis, & aliter cum Christianis est procedendum. Ad 7.

Quod

Quod sit à particulari, & contra totius mundi præjudicium.

QVÆST. VI.

Vtrum servitus jure Gentium introducta, deroget juri naturæ?

Variè hac de re disputatur tàm apud JCtos, quàm apud Philosophos. Quod verò, jus naturale per jus gentium tolli non possit, probamus his fundamentis. 1. Si enim tolleretur, tunc vel in parte vel in toto tolleretur, atqui neutro modo tolli potest. Non in toto, quia naturalia jura sunt immutabilia, §. 11. *Inst. de I. N. G. & Civili.* Non in parte, ratio est, quia non aliter judicandum de parte, quam de toto, totum enim nihil aliud est, quàm partes, tam naturæ nostræ pars implantata est, quàm totum, non enim partes referuntur ad totum secundum quid, sed sunt de substantia & massa totius, & in illo secundùm totam sui substantiam includuntur sicque tam contra jus & honestum agit, qui particulam justi & honesti supprimit, quam qui totum; Si igitur una & alia particula juris naturæ per jus gentium corrigi posset? sequeretur eâdem ratione introduci posse jus gentium contra jus naturale, quod licitum sit furari, latrocinari & alia, quæ in particulari & distributiva justitia jure naturæ sunt prohibita,

item

item interdicere matrimonium, reverentiam erga magistratum pietatem erga Deum, & ejus generis alia. 2. Quia jus naturale & jus gentium sunt subordinata, quæ se invicem non tollunt, sed explicant. 3. Superius non potest corrigi vel abrogari per inferius. Atqui jus naturale est superius, quia Deum immediatè habet auctorem, à quo implantatum, §. *sed naturalia*. 11. *Instit. de J.N.G. & C.* 4. Si jus naturale vel in toto vel in partibus quibusdam tolleretur, vel corrigeretur, sequeretur esse iniquum & injustum. Atqui consequens est absurdum. Ergò, &c. 5. Quia omne jus gentium est naturale. §. *singulorum*, 11. *Inst. de rer. div.* Quod autem servitus sit jurisgentium, constat *ex* §. 2. *Instit. de J.N.G. & C. & §.* 2. *I. de jur. pers.* 6. à simili sicuti Magistratus non facit contra jus naturale, dum punit sontes, illosque planè ex rerum natura tollit, propter peccatum: Sic etiam non peccat contra jus naturale, neque illi derogat Princeps, dum punit suos hostes servitute.

Contrà verò quod sit contra naturam, eique deroget, videtur probari his argumentis 1. ab auctoritate Florentini, *in l.* 4. §. 1. *ff. de stat. hom.* quem secutus est Justinianus Imperator, *in* §. 2. *Inst. de jur. person.* ubi definitur servitus, quòd *sit constitutio, jurisgentium, quâ quis alieno dominio contra naturam subjicitur*. 2. à natura contrariorum. Si libertas est à natura, sequitur

servi-

servitutem esse contra naturam. Atqui libertas est à natura, §. 1. *Instit. de jur. pers.* Ergò servitus non potest esse à natura, & ratio est, quia contrariorum non est eadem ratio. Sed non magni ponderis hæc argumenta sunt & facilè dispelli possunt, quòd enim in definitione JCti Florentini dicitur; *servitutem esse constitutionem jurisgentium, quâ quis contra naturam dominio alieno subjicitur*, non recipit hanc interpretationem, ac si absolutè & simpliciter juri naturæ derogaret, sed tantum explicat & limitat jus naturale, illudque restringit & coarctat ad illos, qui debitam naturâ libertatem, inobedientiâ vel alio maleficio non perdiderunt. Est ergò, hoc loco contra naturam, non derogare juri naturali, nullam enim juris naturalis partem tollit, sed manet jus naturale integrum & perfectum sed est vetare, ne illud naturæ privilegium extendatur ad indignos. Distinguendum proinde est inter naturam hominis, cui hoc privilegium naturale est tributum, & inter ipsum jus naturale. Aliud enim est privilegium, & aliud ipsa natura, quæ ad utramvis contradictionis partem vergere potest. Annon educatio liberorum consentit cum jure naturæ *l. 1. §. jus naturale, 3. ff. de* I. *&* I. *l. 5. ff. de agnosc. & alend. lib.* Nihilominus tamen licitum est patri degeneres abdicare, *vid. Dd. in l. 6. C. de patr. pot.* Num hic jus naturale propterea immutatum

tum putas, quod liberi degeneres propter naturalem rationem excipiantur, & tantùm ad frugi & obedientes liberos restringatur; Atque hac ratione, quatenus jus gentium privilegium naturale ad dignos restringit & facinorosos & morte dignos servituti subjicit, nô video, quomodo vel iniquum sit vel juri naturali deroget. Ad 2. &. Negando. Nam quamvis contrariorum sint contraria effecta, id tantum valet in æqualibus, non verò in inæqualibus.

QVÆSTIO VII.

Vtrum melius sit servari in servitutem, quàm occidi?

Deterius esse in servitutem asservari, quam occidi, videtur probari posse his argumentis.

1. Quia non sui, sed victoris gratiâ tantùm asservantur, *de qua re Horat. in Epist. ad Quintilian.*

Vendere cùm possis, captivum occidere noli,
Serviet utiliter seu pascat durus aretâ.
Naviget, ac mediis hyemet mercator in undis.
Annonæ prosit, portet frumenta penusq.

Sic Augustinus Cleopatram *jussit esse bono animo: Nihil sibi eventurum mali*, non, quod saluti & commodis ejus vellet consultum; sed ut eam ad lasciva servitia adduceret. Sic post expugnatam,

tam Hierosolymam reservârant Romani infinita Judæorum millia, sed non eo fine, ut ad libertatem recuperandam ipsis daretur regressus: id enim apparuit in eo, ubi miles Romanus in captivi cujusdam viscera aliquid auri invenit, continuò viginti millia cæsi sunt, quod crederentur aurum in viscera occultâsse, *Joseph. de bell. Judæ.* Inde rectè dicitur, quod lucrum spectet servator, non salutem servati. 2. Quia melius est statim perire cum honestate, quàm lentè cum dedecore. 3. Quia libertas est vitâ pretiosior, quod inde apparet, quia jure antiquo patri fuit licitum filio eripere vitam; verùm libertatem aufferre filio pater non potuit, *l. ult. C. de patr. potest.* 4. vita & libertas paribus passibus ambulant. Unde puer quidam Spartanus ab Antigono venditus, cum juberetur Domino suo matulam porrigere, quod cùm is extremi opprobrii loco habebat, tectum conscendit & dominum suum allocutus est, his verbis: *Senties: cujusmodi mercatum feceris, & sic mox se præcipitem dedit, Plutarch. in Apophth. Lacon.* Sed tamen quamvis cordatis hominibus, mors tolerabilior servitute videatur; interim tamen non sequitur, quod respectu naturæ humanæ, sit appetibilior, propterea, quòd ex servitute, multis modis quis liberari possit, ex morte verò sit nulla redemptio, sed ultima linea omnium rerum.

QUÆST.

QVÆST. VIII.

Vtrum Tabelliones seu notarii servis sint annumerati?

Statuit hoc *Accursius* & movetur inprimis hoc argumento, quòd in plurimis locis juris nostri expresè fiat mentio servorum publicorum utpote *in §.3. Instit. de adopt. l. non aliter, 18. ff. eodem, l. si pupillus, 2. ff. Rem pupill. salvam for.* Cùm autem Notariorum officium consistat in conficiendis libellis & publicis instrumentis, putat, per publicos servos intelligi notarios.

Verùm Accursii opinionem erroneam esse, evincit *l. 3. C. de tabul. lib. 10. t. 69.* qua in lege Impp. *Arcadius & Honorius* expresè contrarium statuunt his verbis: *Generali lege sancimus, ut sive solidis provinciis, sive singulis civitatibus necessarii fuerint tabularii, liberi homines ordinentur, neq; ulli deinceps ad hoc officium pateat aditus qui sit obnoxius servituti.*

QVÆST. IX.

Vtrum potestas vitæ & necis Dominis jure sit adempta?

Tantam habuerunt Domini potestatem in servos, ut eos non tantùm aliis rebus moventibus annumerârint. *l. 12. ff. de supel. leg.* & non secus ut alia bona mobilia æstimârint, & plus minusvè 20. aureis vendiderint, *l. 1. §. 5. de comm. serv. manum.* Verùm etiam pro lubitu occiderint. *l. 1. §. 1. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris.* Sic Lacedemonii Helotas suos per Cryptas occidere consueverunt. *Polit. Heraclid.* Sic Scythæ solebant suos servos privare visu, ut fortius inflarent vulvas asinarum, dum mulgebantur: Hinc enim copiosius lac extrudi credebant, *Herod. lib. 3.* Quam consuetudinem Romanorum & aliarum gentium, propugnârunt quidam his rationibus. 1. Quia Dominorum potestas in servos, illibata permanere debet, nec cuiquam hominum licitum jus suum detrahi, *l. 2. in pr. ff. de his qui sunt sui.* 2. Quia servus est totus Domini & pars possessionis. Ergò non secus ut alia animalia, impunè occidi potest. 3. Ab auctoritate sacræ Scripturæ, *Exod. 21. v. 21.* ubi dicitur, quod si Dominus interfecerit servum, & uno vel duobus diebus supervixerit, subjacere pœnæ non debeat, eo quod sit pecunia illius.

Verùm potestatem vitæ ac necis Dominis rectè ademptã probatur his rationibus. 1. Quia per servitutem non desinit esse naturalis homo & tam ad servum pertinet præceptum. *Non occides, nec profundes sanguinem humanum,* quàm

quàm ad liberum hominem, qua de re elegan-
ter, *Senec. in Epist. 47. l. his verbis Servi sunt; imò homines sunt, Servi sunt; imò contubernales sunt; Servi sunt; imò humiles amici? Servi sunt; imò conservi, si cogitaveris tantundem in utrosq; licere fortunæ. Quoties in mentem venit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem tantundem in te Domino tuo licere.* Item l. 1. de Clem. c. 18. *Servis imperare moderatè laus est, & in mancipio cogitandum non quantum illud impunè peti possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique natura.* 2. Quamvis dominium in eo consistat, ut quis re sua pro arbitrio utatur, tamen hoc dominium privatum subjicitur & includitur dominio publico, nec, cuiquam fas est, re suâ in præjudicium salutis publicæ abuti, cum ne quidem privatis commodis suo arbitrio nocere queat. Proinde sicut leges prodigo dant curatores: Ita semper operam dederunt Præsides Reip. ne quis servis pro libidine ad peccandum uteretur, *l. 2. ff. de his qui sunt sui.* Hinc cautum est: ut ad scelera vocati dominis parere non teneantur *l. 15. §. an ignoscitur 7. ff. quod vi aut clam. & l. servus non in omnibus 20. ff. de obl. & act.* Hinc *Hadrianus* servos ac ancillas Lenoni & lanistæ vendi vetuit, Item castrari & thlibios fieri prohibuit, *l. 4. in fin. & l. 5. ad L. Corn. de sicar.* Hinc Severus quemquam ex iisdem prostitui noluit, *l. 1. §. 8. de off. præf.*

urb. Et quamvis Domini à servis accusari non poterant, *l. si quis. 20. C. de his qui accus. non poss.* tamen Antoninus pius & Severus, proconsules, in provinciis præfectum quendam constituerunt, qui de injuriis servorum cognosceret. 3. propter privatam utilitatem: quia quot servos, tot hostes habebis; unde etiam *Macrob. 1. Saturn. 21.* servum malum domesticum appellat. Propter has igitur causas, utilitatem tam publicam quam privatam omni curâ in id incubuerunt boni Legumlatores, ut potestatem dominorum æquitatis & humanitatis cancellis circumscriberent. Proinde introducta est Lex Petronia, *Anno V. C. 813.* qua omnis vis privata à tergis servorum amota, usque ad virgas & lora, *l. unic. C. de emendat. serv.* Item apud omnes ferè gentes, cum ab accusationibus arcerentur servi, ad Asyla se recipiendi iis data est facultas, ex quo fundamento sanctuaria Pontificiorum orta esse creduntur, à quibus etiam facinorosissimos avelli vetant, *c. reum ad Eccl. 17. q. 4. & c. inter alia, 6. x. de immunit. Eccl.* quasi divina lege non jussi essent Magistratus, ab ipsa ara eripere facinorosos, *Exod. 21. 14. Deut. 19. 12. 1. Reg. 2. 31. & 2. Reg. 11. 15.* quasi à Deo defenderetur, qui in leges peccaret.

Pro solutione argumentorum in contrarium adductorum distinguendum est. 1. Inter vindictam publicam & privatam. 2. Inter usum & abusum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0158
DFG

abusum. 3. Inter legem moralem & forensem. 4. Inter pœnam soli & poli.

QVÆST. X.

Vtrum bona externa in censu verorum bonorum habenda?

Stoici & quicunque eos sequuntur, ita argumentantur: Quæcunque res homines alliciunt ad superbiam, ad fastum, injustitiam &c. Contrà à contrariis virtutibus abstrahunt, possessorem nunquam satiant vel implent, homines cruciant, & omnis generis molestias adferunt, in bonum virum rarò cadunt, per se etiam adiaphora sunt, in constantes sunt fragiles ac caducæ, nitent cùm effunduntur, non verò cùm cumulantur, à multis probis viris contemnuntur, in numerum verorum bonorum collocari non debent. Atqui externa bona sunt talia, E &c.

Verùm, quia externa bona, sunt maxima Dei dona, à summo bono Deo Ter. Max. orta & hominibus divinitus concessa, per se instrumenta, adjumenta, ornamenta, & præmia virtutum, quibus Deus necessitati & indigentiæ humanæ succurrit, &c. merito in numerum verorum bonorum sunt collocanda, & quia Stoicorum argumenta partim laborant fallaciâ accidentis, partim à dicto secundum quid ad dictum simpliciter,

pliciter, concludimus, Stoicos, ut indignos, hisce bonis privandos & in turpi cœno, atque luto relinquendos esse.

QVÆST. XI.

Vtrum pecunia inter veras divitias numerari possit?

Negat hoc. Arist. c. 8. 9. lib. 1. polit. qui vulgatam & tot seculis tritam opinionem mentibus hominum eripere conatur, his rationibus. 1. Quia dicit illas esse veras divitias, quas, cùm tenent ex voto possessores, fame perire non possunt, At pecunia est talis res, quam cùm quis tenet, etiam in maxima copia, tamen fame perire potest. Exemplum habemus in Rege Mida, de quo fabulantur Poetæ, *ut est apud Ovid. l. 2. Metamorphos.* is enim cùm ex nimia avaritia precatus est Jovem, ut quicquid attingeret, illud in aurum converteretur, atque hujus sui voti compos factus esset, tandem omnes cibi, quos comedere voluit in aurum sunt conversi, ita ut iis frui non potuerit & sic coactus fuerit, in summa pecuniæ abundantia, fame perire. 2. Quia pecuniæ pendent ab arbitrio humano, quorum valor facile edicto mutari potest. 3. Quia nec modum nec finem ullum habent. 4. Quia pecunia

cunia est communis mensura divitiarum: Atqui mensura non est id, cujus est mensura.

Verùm, quod hæc opinio sit erronea, probatur his fundamentis. 1. Quia pecunia inter instrumenta Oeconomica est primum & ultimum, quatenus per eam reliqua omnia instrumenta parari, aut amissa recuperari possunt. 2. Quia est medium utile & appositum succurrendi humanæ indigentiæ. 3. Quia sine pecunia aut planè non, aut difficulter necessaria vitæ subsidia comparari possunt. Et propterea rectè ait Demosthenes: Δεῖ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων ἀδύνατον γίνεσθαι τῶν δεόντων. *Opus est pecuniis & sine his nihil potest fieri eorum quæ decent*, cum quo consentit vulgatum illud: *Cui pecunia deest, ei omnia desunt.* Huc etiam pertinet effatum *Aristotelis lib.* 1. *Nicom. cap.* 9. Impossibile est aut non facilè, res præclaras agere, cui bona externa non suppetunt. 4. Quia inter divitiarum partes, primum locum pecuniæ tribuit. *Arist. lib.* 1. *Rhetor. c.* 5. 5. Quia communi hominum opinione propriè dives appellantur, qui pecuniâ abundant, eamque ad suos & aliorum usus transferunt.

Ad argumenta igitur 1. & 3. &c. committi fallaciam accidentis, valet enim pecunia intrinsecâ bonitate. Ad 2. & 4. Quòd sit fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Licet enim mensura, qua mensura non possit esse id,

cujus est mensura, tamen fieri potest, ut aliquid diverso respectu sit mensura & mensuratum, ut cum alius nummus argenteus vel aureus per alium libræ lanci impositus mensuratur. Est quidem nummus mensura communis omnium divitiarum; sed earum tantùm, quæ appellatione nummi non possunt comprehendi.

QVÆST. XII.

Vtrum natura divitiarum magis consistat in usu, quàm in possessione?

Plato in Epin sic ait: Divitiæ seorsum ab usu nullæ sunt, quamvis cuncta in aurum convertantur, *Arist. lib. 2. c. 5.* inquit: ὅλως τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. *Omninò divitiæ in utendo magis, quam possidendo consistunt.* Idem probatur rationibus. 1. Quia divitiæ sunt instrumenta à Deo & natura ordinata ad succurrendum indigentiæ vitæ humanæ. Instrumenti autem uniuscujusque natura magis in usu, quàm in possessione consistit. 2. quia etiamsi quis multas possidet divitias, si tamen iis non utatur ad indigentiam sui & aliorum miseriam explendam, non verè dicetur dives, sed potiùs in ipsa divitiarum abundantia pauper & egenus. Proinde & nos, affirmativam quæstionis non immeritò amplectimur, & cõcludimus

cludimus: bonum esse divitiis benè uti; malum divitiis non uti, pejus verò divitiis malè uti.

QVÆST. XIII.

Vtrum τὰ χρήματα sint pars familiæ?

Affirmat hoc *Casus in Sphær. Civit. l. 1. c. 3. p. 20.* Propterea, quòd τὰ χρήματα seu possessiones servis ferè per omnia comparentur; quare cùm servus sit res possessa non minùs ac reliquæ possessiones putat eâdem ratione, possessiones alias esse, partem familiæ. 2. quòd familia sine possessionibus consistere nullo modo possit: sed iis subtractis cadat. 3. Quòd res possessæ sint substantiæ. Ergò non possunt esse partes accidentales sed debent esse res essentiales.

Verùm duas tantùm esse res essentiales probavimus præcedenti disput. de familiis in genere. Et sicuti liberi sunt effectus primæ societatis, ita possessiones sunt effectus societatis secundæ, & quia ad familiam constituendam tantùm requiruntur personæ, nulla verò instrumenta inanimata & irrationalia, propterea, quod radii, textoris vi sua non texant, nec plectra Cytharam vi propria pulsent, nec denique ulla alia instrumenta sive possessiones per se actionem pariant, ob quam patrefamiliâs servum in familiam necessariò recipit; sequitur

τὰ χρήματα qua de re dubitavit, *Arist. 1. polit. 1.* partem essentialem familiæ non constituere. Proinde reperimus distinctionem antea in præcedente disputat. allatam, quâ distinximus inter familiam constituendam & jam constitutam. Item inter partes essentiales & accidentales. Item inter constituendam familiam, & constitutam sartam tectam conservandam. Ad primum igitur argumentum Resp. esse fallaciam à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, quamvis enim τὰ χρήματα conveniant cum servo in uno atque altero non tamen proinde conveniunt in omnibus, uti ex definitione servi patescit. Ad 2. Resp. Quod quidem subtractis omnibus possessionibus familia diu consistere non possit, sed interim non sequitur, quod etiam ad constitutionem ejus, ut pars requiratur. Nam licet homo absque cibo & potu diu vivere ratione naturali non possit, inde tamen non sequitur, quod cibus sit pars hominis, ita etiam de familia sentiendum. Ad 3. Quod sit fallacia consequentis. Nam licet possessiones sint in prædicamento substantiæ, interim tamen nihil impedit, quo minus diverso respectu etiam possint considerari, ut accidentia; utpote; homo quamvis sit substantia, nihilominus tamen est in prædicamento relationis respectu domini.

QUÆST.

QVÆST. XIV.

Vtrum mercatura sit medium licitum acquirendi rem familiarem?

Contra mercaturam à nonnullis hæc solent adferri argumenta, 1. Quia virtuti inimica & homini variam præbet peccandi occasionem. *Eccles. 26. v. 28. & c. 27. v. 2.* 2. Quia cum avaritia est conjuncta dum aliquid vilius emitur & carius venditur, *August. lib. 13. de Civ. Dei, c 3.* 3. Quia nullum alium finem sibi propositum habet, quàm lucrum. Est autem lucrum esca Diaboli & fraus illius laqueus, *Augustin. d. l.* 4. Quia mercatura invehit merces damnosas, quæ non ad necessitatem, sed ad luxum, pompam & voluptates faciunt. 5. Quia experientia testatur, quod mercatores soleant pro damno vitando blasphemare, & pro pretiis rerum mentiri & pejerare.

Verùm mercaturam licitam utilem, & necessariam esse, probatur his rationibus. 1. Quia per illam superflua Reipubl. exportantur, & aliunde quæ nobis sunt necessaria, & apud nos non inveniuntur, importantur, quamobrem inchoativè, quoad causam inpellentem ab ipsa natura videtur originem traxisse. 2. Quia honor est habitus mercaturæ olim maximus, quod

quod ea ad Barbarorum necessitudines, regumque amicitias comparandas plurimum valuerit, teste *Plutarch.* 3. Quia plurimum facit ad maximarum rerum usum & experientiam. 4. Fuerunt & Imperatoribus Romanis, imò & Regibus Israel mercatores proprii veluti officiarii, uti liquet, *ex lib. 2. Paral. c. 1. v. 16.* ibi adducebantur Salomoni equi de Ægypto, de Coa, à negotiatoribus Regis, qui ibant & emebant. Pro conciliatione argumentorum in contrariam sententiam oppositorum distinguo. 1. Inter usum & abusum mercaturæ. 2. Inter vitia hominis & veræ mercaturæ requisita. 3. Inter id, quod fit per se & quod per accidens accedit. 4. Inter lucrum honestum, quod nihil aliud, quàm laboris præmium, & inter lucrum inhonestum, quod contra Dei, naturæ & rectæ rationis præscriptum, exigitur. *cap. Qualitas 2. de pœnitent. distinct. 5. c. ejiciens. 11. dist. 88.* Quibus distinctionibus præsuppositis, facilè erit ad contraria argumenta respondere.

QVÆST. XV.

Vtrum usura sit licitus modus aquirendi?

Gravis hac de quæstione, inter Theologos & politicos, instituitur disceptatio. Alii enim ex

ex rigore verbi Dei simpliciter damnant usuras: alii verò sententiam horum improbant & statuunt: quandam esse licitam, quandam illicitam: Utriusque igitur partis argumenta afferemus, & quid hac de quæstione sentiendum certificabimus.

Qui usuram peccatum esse statuunt, his rationibus sese muniunt. 1. Quia adversatur apertis scripturæ dictis, utpote *Exod. 22. v. 25.* ubi expresse dicitur: Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui tecum est, non eris ei, sicut usurarius, non impones ei usuram, item *Lev. 25. v. 37.* Non dato pecuniam tuam fratri tuo in usuram, nec in fœnus dato cibum tuum. Item *Deut. 23. v. 19.* Non dato in usuram fratri tuo usuram pecuniæ, usuram cibi, usuram ullius rei, quæ in usuram datur. Item *Jerem. 15. vers. 10. & Ezech. 18. v. 8.* usura vituperatur. Item *Psalm. 15. v. 6.* commendatur is, qui ad usuram pecuniam non dedit. Item *Nehem. 5. 8.* reprehunduntur illi, qui usuras à fratribus acceperunt. Item *Prov. 28. v. 8.* reprehenditur, qui multiplicat divitias suas usurâ & fœnore. Item *Luc. 6. v. 35.* Christus jubet, mutuum dare & nihil inde sperare. 2. Adversatur juri naturæ, quod non vult, ut quis ex aliorum incommodis, dispendiis, jactura & ruinis, sua quærat commoda, *l. si unus. 67. §. 1. & l. si igitur, 55. ff pro socio.* Atqui hoc commodum, quod per usuram Usurario ac-

rio accidit, non percipit ex suo, sed ex alieno, res enim mutuo data, desinit esse dantis, & incipit esse accipientis, *l. incendium. 11. C. si certum pet. & tit. instit. Quibus modis res contrahitur*. Ergò, &c. 3. Pugnat cum natura pecuniæ. Est enim pecunia inventa, ut esset medium permutationis & contractus, non verò ut ipsa ex se pecuniam pareret, *l. 1. ff. de contr. empt.* Est enim per se sterilis & ad pariendum inepta. 4. Refragatur textibus juris Canonici, *tot tit. de usuris*, præsertim, *in c. quia in omnibus, 3. & in cap. super. 4. eod. & in cap. consuluit, 10. in c. quanquam 2. eodem tit. in 6. & in Clem. 1. eodem tit. 5.* Pugnat præterea cum legibus civilibus *per not. Bart. post gl. in l. 1 n. 5. cum seq. C. de summ. Trinit. & fide Cathol. Jason. ibid. n. 47. cum seq. & communiter Dd. Bald. in Authent. adhæc. num. 3. C. de usuris & commerciis illicitis com. 1. §. 3. n. 35. & seqq. quem vide.* Præterea & legibus Imperii damnatas esse usuras constat ex recessibus Imperii, in Comitiis Augustanis, *Anno 1500. & postea. 1539. & Anno 1548.* promulgatis, in quibus usurarii contractus reprobantur, & judicibus supremis mediis & infimis seriò mandatur, ne super contractibus usurarii judicent, neque executionem faciant, imò ipsum Usurarium amissione quartæ partis sortis mulctent. 6. Contrariantur bonis moribus & utilitati Reipublicæ quod patet ab effectis

ctis, evertunt enim omnia legitima vitæ commercia, quæ homines non curant, quando vident tutiorem & faciliorem lucrandi rationem, item exhaurit familias privatas, & prædia exonerat intolerabili exactione, pugnat cum charitate, misericordia & beneficentia erga proximum. 7. Quia mutuum suâ naturâ gratuitum est, neque in compensationem ejus usus, creditor ex natura mutui accipere quid potest; Quòd si verò fecerit, mutuum non est, sed alius contractus, *l. si tibi 17. in pr. ff. de pactis, & l. rogasti*, 11. §. *si tibi, ff. de rebus creditis.* ubi dicitur, quod paria debeant reddi paribus & non ultra. 8. Quia fœnus non est legitimus jure gentium, aut jure civili, approbatus modus acquirendi, *l. improbum, 20. C. ex quibus causis infam. irrogat.*

Contrà, esse legitimum & licitum acquirendi modum probatur. Quia usuræ non simpliciter & absolutè lege divinâ & humanâ prohibentur, sed tantùm secundùm quid, videlicet respectu certarum personarum & quatenus usuræ sunt immoderatæ & injustæ. Proinde antequam ulteriùs in hac quæstione progrediamur, vulgatam & bene tritam usurarum distinctionem præmittemus, quâ distinguuntur, in *Lucratorias, recompensatorias & punitorias.* Lucratorias, quod attinet, quæ aliis mordentes & perdentes, item, iniquæ, inhonestæ & inutiles di-

les dicuntur, quia ex mero mutuationis officio contra naturam contractus lucrum faciunt, improbæ & illicitæ sunt, id quod ostendunt & evincunt argumenta superiùs alta, istiusmodi enim sunt, ut meritò Deus odium suum adversus easdem expressis scripturæ dictis declarârit.

Compensatoriæ verò, quia non sunt luerum supra sortem exactum propter officium mutuationis, sed pretium vel æstimatio usus sortis consumptæ cum damno creditoris, & aliàs dicuntur sublevantes & conservantes, remuneratoriæ, illicitæ, & interdictæ non sunt. Id quod confirmamus his fundamentis. 1. Quia officium boni Patrisfamiliâs est ita benefacere aliis, ne sibi suisque sit angustia, aliis verò relaxatio, *2. Corinth. 8. vers.* 13. Suis ergò tenetur priùs providere, 1. *Timoth.* 5. *vers.* 8. Charitas enim ordinata incipit à se ipsa. Non ergò officio contrarium est, si alium juvare, ut te serves indemnem, *l. sed si quis ex signatoribus. 7. ff. Quemadmodum test. aperiant, & l. sancimus, 28. §. 3. C. de administr. tut.* Itaque si quæstum certum facere potuisti pecunia, quam mutuo das, aut ea propter damnum incurris, non est iniquum ejus rationem haberi, cùm nemo alteri suo cum detrimento benignè facere cogatur, *l. 1. §. iidem ajunt, 11. cum seq. ff. de aqua pluv. art.* Lex igitur naturæ hanc usuram sanxit, *Matth. 7. vers. 12.* anti-

antiquitas suadet, gratitudinis referendæ ratio flagitat, Christiana charitas urget, & partim etiam utilitas eandem postulat. Nam cùm unusquisque intelligitur suâ pecuniâ, aut in emptionem agrorum, vel redituum permissorum, aut in negotiationem collocatâ lucrum facere posse, *l. tutor. 7. § si post. 3 ff. de administ. tut.* eò factum est, ut vel ociosam pecuniam ad aliquem mediocrem & tolerabilem modum fœneratò dare, etiam Christianorum Imperatorum constitutionibus sit permissum, *l. qui semisses, 13. §. quæsit. 1. ff. de usuris. & l. præsidis. 34. si certum pet. & l. eos. 2. C. de usuris rei judicatæ.* Idipsum suadet etiam *utilitas*. Nam si usuræ non essent licitæ, multi homines ad inopiam redigerentur, & inprimis pupilli ac viduæ non haberent, unde tandē vivere possent, quin imò multi studiosi, sua feliciter studia inchoata relinquere deberent. Item non possent merces variæ ex remotis regionibus advehi, negotiationes, quæ sint argentariarū mensurarū usu consistere nullo modo possunt, tollerentur; Atqui jus divinum non abolet Politias, vitæ genera, & legitimos contractus. Ergò, &c. Et quid in pecunia fœnori expendenda, cùm de jure nulli conceditur usus domus vel Musæi, cùm tamen domus etiam per se sterilis & aliam domum non pariat. Nummus enim non Physicè sed Ethicè generat, uti domus in commutativa justitia.

Porrò, quod attinet punitorias, multò minùs improbari possunt, qui sustinentur, tam propter præsumptum damnũ creditoris, quod vulgò interesse nominant, quàm propter moram debitoris quæ cùm delictum sit, *l. dolus, 44. ubi gl. in fin ff. mandati*, meritò punitur, *l. cùm quidam, 17. §. si pupillo 3. ff. de usuris*, ubi dicitur, usuras non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventium infligi. Quamobrem, cùm & DEUS ipse, *Deuter. 23. v. 20.* usuras concessit, procul dubio non aliam ob causam, quàm quòd esset æquum, ut aliquam recompensationem, sui emergentis damni & cessantis lucri haberent, & contra iniquum, ut cum jactura & damno alterius ditescerent. Proinde compensatorias & punitorias licitas & optimâ ratione concessas; contra lucratorias damnatas esse concludimus.

COROLLARIA.

1. *Jus operarum rusticarum, quod est instar remuneratorii beneficii, pro libertate, pro agris, pro spatio soli, in quo casulas condiderunt, concessis, variè constituitur, utpote pactis, contractibus & ultimis voluntatibus*, arg. §. ult. Inst. de serv. rust. & urb. præd. *Item præscriptione* arg. l. litibus. 20. in pr. C. de agr. & censit. l. hoc jure. 3. §. ductus aquæ 4. ff. de aqua quotid. & æstiv. *Item successione*, l. heredem, 59. & l. hereditas,

ditas, de R. J. *& aliis modis, de quibus vide Huſ. de hominibus propriis. c. 3.*

2. *Quod ſi ruricolæ domino ſuo operas debitas præſtare recuſent, verberibus, carceribus, aut pœnâ pecuniaria affici poſſunt. Huſan. de hominibus propriis. c. 7. n. 1. & ſeqq.*

3. *Finitur jus operarum variis modis; inprimis verò emigratione, cum conſenſu domini factâ. Et hinc eſt, quod in civitatibus liberales vel mechanicas artes aut opificia manuaria addiſcere volentes certam pecuniam Domino quaſi λύτρον pro liberatione, ſolvere teneantur*, arg. l. nihil tam naturale, 35. ff. de R. J. Vide Huſ. de hominibus propriis cap. 8. quæſt. 5.

DISPVTATIO IV.

De

PATRE ET LIBERIS.

Respondente

WOLFFGANGO FRIDERICO zum Jungen/*Equite Vangion.*

ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

Liberos non esse familiæ partem constituentem, ut Paterfamilias, uxor & servi, *sed ambitu familiæ tanquam effectus, contineri & ad ejus perfectionem & propagationem referri, præcedentibus disputationibus dictum & ex professo disputatum. Restat ergò, ut hâc disputatione de Patre & Liberis, eò agamus brevius, quò idem pertractatur à ICtis prolixiùs. Vt igitur id à nobis fiat certo & justo ordine, de his sequentibus hâc disputatione breviter videbimus. 1. Quomodo Patria potestas constituitur. 2. Quomodo constituta consideranda.*

randa. 3. Quot & quibus modis eadem finitur.

Thesis I.

Patria potestas, de qua hoc loco agimus, Patribus Romanis propriè competit, *§. jus autem. 2. Inst. de P. P. & l. Item in potestate. 3. ff. de his qui sui vel alieni jur.* Non verò Matribus, *§. fœmina, 10. Inst. de adopt. & §. cæteri 3. Inst. de hered. qualit. & different.*

2. Constituitur autem Patria potestas tribus modis. 1. Matrimonio, *in princ. Inst. de P. P. & l. item in potestate, 3. ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur.* 2. Legitimatione, *§. ult. Inst. de nuptiis & Novel. 89.* 3. Adoptione, *in pr. Inst. de adopt. & l. 1. ff. eodem.*

3. Matrimonium est præcipuus constituendi Patriam potestatem modus: ille enim tantùm de jure civili Parens est, quem justæ demonstrant nuptiæ; unde sequitur quod ii, qui extra matrimonium concepti & prognati sunt, patrem non habere intelligantur, *§. si adversus 12. Inst. de nupt.*

4. Cùm verò misericordiâ indigni non sint, qui vitio alieno laborant, *l. legem, 7. C. de nat. lib.* alter patriam potestatem constituendi modus succedit, videlicet, *Legitimatio*, qua, nati ex illegitimis nuptiis & prohibito coitu, non

tamen incesto, jus liberorum legitimorum sortiuntur & natalibus restituuntur, *Nov. 89. c. 11. & Nov. 74. c. 2.*

5. Estque Legitimatio *de jure instit. item ff. & C.* triplex. 1. Fit per subsequens matrimonium. 2. per rescriptum Principis. 3. per oblationem curiæ quibus adjungit Imp. Justinianus *Novell. 117. c. 2. & Authent. Si quis liberos, Cod. de naturalibus liberis*, quartum modum, videlicet nominationem filii.

6. Hodiernis moribus duo tantummodò modi legitimationis sunt in usu, videlicet per subsequens matrimonium & per rescriptum Principis, reliqui duo, per oblationem curiæ, & nominationem filii, in usu esse desierunt.

7. Et quia nuptiæ consensu constant, non vero concubitu, *l. 30 ff. de R. I. & c. sufficiat. 2. & c. beata Maria, 3. C. 27. q. 2. & c. tanta est vis. 6. x. Qui sunt filii legit.* sequitur, matrimonium ab aliquo in extremo mortis articulo cum concubina contractum, ad legitimandos filios sufficere. Idque legitimationis favor, honor & potentia matrimonii unicè suadet, maximè si in plenum vigorem deductum sit matrimonium.

8. Hinc etiam concludimus: Statuta opificum, tribuum, tabernariorum & similium in civitatibus, der Handwercker / Aempter / Innungen und Zünfften / quæ spurios ab artificiis &

is & collegiis arcent, ad legitimatos per subsequens matrimonium, aut per rescriptum Principis, extendi non posse. Sunt enim hæc jure publico introducta, quæ privatorum pactionibus immutari non possunt, *l. jus publicum, 38 ff. de pactis.* Præsertim cum subsequens matrimonium omne vitium tollat & legitimatos per omnia legitimis parificet, *Nov. 74. c. sit igitur licentia. & Nov. 89. c. 8. c. tanta est vel 6. x. qui filii sunt legitimi.* Et Sacrilegii instar sit divinis obviare beneficiis, *l. sacrileg. 5. c. de divers. rescript.*

9. Cognationem quandam cum legitimatione habet *dispensatio*, quâ defectus natalium non tollitur in totum, sed tantummodo secundum quid vel in certo casu: veluti si quis legitimetur ad honores vel dignitates vel successiones, tunc in casu factæ dispensationis pro legitimo habetur, nec ultra casum illum dispensationis factæ fit extensio, *Gail. 2. obs. 142. n. 6. & 17.*

10. Adoptione quoque Patria potestas constituitur, quæ est actus legitimus, *l. 77. de R. J.* quo quis in alicujus filium eligitur, *in pr. Inst. de adopt. l. 1. pr. ff. de adopt.* Ulp. *t. 8.*

11. Fit duobus modis: *Principali rescripto, vel Imperio magistratus inferioris.* Principali rescripto cùm hominem sui juris adoptamus, & tum *Arrogatio* in specie dicitur. Imperio magistratus inferioris cùm filiumfamiliâs adoptamus, & dicitur in specie *adoptio* §. 1. *inst. de adopt.*

12. Possunt autem omnes adoptare, qui non naturâ vel legè prohibentur. *Natura* prohibentur 1. ob vitium animi, ut furiosi *l. 2. ff. de adopt. & l. furiosi. 40. ff. de Reg. Jur.* 2. Ob vitium corporis seu impotentiam generandi, ut castrati & minores decem & octo annis, sicuti etiam minores natu adoptare majores nullo modo permittũtur, *§. minorem, 4. inst. de adopt. l. 16. l. 40. §. 1. ff. eodem.* 3. qui in locum fratris alios adoptare gestiunt, cùm per rerum naturam frater à fratre procreari nequeat. *l. nec apud, 7. C. de hered. inst.* Lege verò prohibentur 1. minores sexaginta annis, publicè n. interest repleri civitatem liberis hominibus, *l. 1. ff. soluto matrim.* ergò, meritò eis adoptandi facultas denegatur, ut conjugio operam dent, & naturam potius sequantur, quàm instar corrucæ alienos pullos excludant, *l. si patre familias, 15. §. penult. ff. de adopt.* 2. fœminæ, nisi ex indulgentia principis ad solatium liberorum amissorum, *§. 10. Instit. de adopt. 3.* Servi, *l. quod attinet. 32. ff. de R. J.*

13. Adoptioni non dissimilis est, recepta hodie passim in Germania, conjunctio & unio prolis, vulgò die Ein-Kindschafft/ quæ est pactum inter parentes eorumque ex diverso matrimonio, utrinque susceptos & suscipiendos liberos, præsuppositio filiationis jure, de mutua invicem successione coram ordinario loci magistratu

gistratu, cùm causæ cognitione, adhibitis iis, quorum interest & actis intervenientibus ritè & rectè initum, *Gail. 2. obs. 125.*

14. Modis præmemoratis, ut dictum est, Patria potestas constituitur; ex quibus jam facilè patet, qui sint in potestate Patris, & qui non, sumpto argumento à contrario sensu, quod in jure est validum, quoties non resultat absurdus intellectus. Constituta jam consideratur dupliciter, tùm *respectu Parentis* eam exercentis, *tùm respectu liberorum*, eidem subjectorum.

15. Respectu patris considerandæ veniunt & effectus patriæ potestatis & ejusdem officium.

15. Effectus patriæ potestatis multi sunt. Habebat enim olim pater, vigore patriæ potestatis in suos liberos, jus vitæ & necis, *l. in suis in fin. 11. ff. de liber. & posthum. & l. fin. C. de patria potest. l. 5. ad L. Pomp. de parr. Bod. 1. de Rep. c. 4.* Quam tamen potestatem, illos absque justa causa exercere potuisse, non puto *per l. Patri 20. & seqq. ff. ad L. Juliam de adulter.* Siquidem non in atrocitate, ut ait JCtus, *in l. divus, 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid. l. 2. ff. ad L. Corn. de sic.* sed in pietate consistit, & quamvis inde à primis Romani Imperii incunabulis jus vitæ & necis ortum traxerit; non tamen constat, Parentes impunè liberos sine justa causa occidisse. Nam

se. Nam pœna Parricidarum, ut in culeo insuantur cum cane & gallo gallinaceo, vipera & simia, & deinde in mare vel amnem projiciantur ante ætatem Imperatorum constituta est, *l. fin. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Quod verò ob causam occiderint Romani liberos suos, exempla sunt plurima. Sic Cassius, agraria largitate postquam inciderat in suspicionem quæsiti regni, à patre damnatus fertur & necatus cognita domi causâ, *Liv. libr. 2.* Sic S. Manlius Torquatus filium Syllanum damnavit ob pecunias à sociis acceptas, Val. *l. 5. c. 8.* Sic P. Attilius filiam stupri convictam ipse inter privatos parietes interemit, Salust. *in Catin. &* Val. *6. c. 1.* Sic A. Fulvium Senatorem partes Catilinæ secuturum, Pater retraxit, suaque auctoritate interfecit, Salust. *in Catilin. &* Valer. *5. c. 8.* Quæ atrocitas supplicii postmodum à DD. Imperatoribus Parentibus interdicta est. *t. t.* C. *de Patrib. qui filios distrax. & l. si filius. 3.* C. *de pat. potest. arg. l. unic.* C. *de emend proping. Nov. 105. Leon.* Relictum ergò constitutionibus Imperat. parentibus nihil aliud est, quàm quòd possint filios si quid gravius deliquerint, castigandos offerre judici, dicturo ex ipsius præscripto sententiam, *d. l. si filius* C. *de patr. potest.*

17. Præterea disciplina domestica, hoc est, decens emendatio & potestas corrigendi patri est permissa, ut quicquid privatim statuerit pater

pater adversus filium dummodo in sævitiam intolerabilem non exeat, sit extra omnem noxiam, *l.3.* C. *de P.P.* Quod si verò supra modum sæviat, emancipare filium cogitur, *l.ult. ff. si à patr. quis manumiss.* Et quamvis privati carceris usus inhibitus sit, *l.un.* C. *de privat. carc.* tamen si aliter filius ad obedientiam redigi non potest, ad morum correctionem, per aliquod tempus filius includi & privatim detineri potest, Schneid. *Instit. ad tit. de* P.P. *n.* 27.

18. *Secundò*, potuit pater tempore necessitatis filium suum vendere, tametsi citra libertatis præjudicium, *l. fin.* C. *de emend. proping. & l.i.* C. *de Patrib. qui filios distrax.* Id quòd etiam à moribus nostris recessit. *Vult. instit. ad tit. de* P.P. *ad princ. n.* 11. *in fin.*

19. *Tertiò*, Quòd olim filius quicquid acquirebat exceptis peculiis castrensibus & quasi castrensibus, id confestim patri suo acquirebat, ita ut pater idipsum alii filio, vel extraneo donare, vendere, & quocunque modo vellet, applicare posset. Sed hodie inter peculium adventitium & profectitium distinguitur, ita ut in profectitiis etiam quoad proprietatem, in adventitiis verò quoad usumfructum, pater potestatem exserat *l. cum oportet. 6.* C. *de bon. quæ lib. & l.* 1. *&* 2. C. *de bon. mater.*

20. *Quartò*, Quòd inter patrem & filium nulla possit esse lis, nisi de castrensi peculio,

l. lis

l. lis nulla, 4. ff. de judic. Congruentius enim videtur controversias conjunctorum intra domum terminari, *l. congruentius, 4. C. de* P.P.

21. *Quintò*, Quòd, licet inter patrem & filium naturalis obligatio propter consensum oriatur, *l. frater à fratre, 38. §. quæsitum 1. ff. de condict. indebit.* tamen civilis obligatio inter eos non nascitur, *§. item inutilis, 6. inst. de inutilib. Stipulat.* Cùm pater & filius fictione juris civilis, una eademque persona censeantur, sequeretur, parentem sibiipsi obligari, cùm filius quicquid à patre consequitur, ipsi patri videatur acquirere.

22. *Sextò.* Quòd filius familias de jure civili sine consensu patris uxorem ducere nequeat, *pr. instit. de nupt. l. 2. ff. l. 12. C. eod.*

23. *Septimo*, Quòd filius familiâs sine consensu patris, mortis causa donare nequeat, *l. tam 25. §. 1. ff. de donat. mort. causa.* Item quòd testamentum aut Codicillos, etiam antecedente consensu patris, condere nequeat, nisi in castrensibus, & quasi castrensibus, in quibus pro patrefamilias habetur, *l. penult. & l. fin. C. qui test. fac. possunt. pr. & quibus non est permissum.*

24. *Octavo*, Quòd pater filium ab alio detentum, interdictione de liberis exhibendis possit petere & vindicare, *t. t. ff. de liber. exhibend. & rei vindic.*

25. *Nonò*, Quod Pater possit filio impuberi testa-

testamentum condere. *§. igitur in pupillari, 2. inst. de Pupill. substit.*

26. *Decimò.* Quod permissum sit patri, filio impuberi testamento tutorem dare, *§. permissum 3. instit. de tutelis* & si quæ sunt alia Patriæ potestatis effecta, *de quibus vide apud Accursium & alios, imprimis verò apud Ascanium Clementium.*

27. Libertas ergò & vita filiorum, manu & potestate parentum exempta sunt. De vita jam ex præcedentibus constat; de libertate verò est, *l. fin. C. de P.P. & l. fin. C. de Patribus qui filios distrax.* Non autem libertatem h. l. putamus illam, quæ tantùm in facto consistit, sed quam jus approbat; illâ enim filius familiâs liber non est, sed potestati patris subjicitur, nec potest facere, quid vult, hâc verò liber est & manet, neque sic de libertate filiis aliquid decedit. Sic enim filii familiâs non prohibentur esse judices, *l. cum prætor, 12. §. fin. ff. de judic.* neq; tutelas gerere, *l. si filius familias, 7. ff. de tutelis* &c. Retinent proinde Parentes potestatem in liberos, uti dictum est, in domestica disciplina, item in bonis & rebus, Arnis. *l. 1. c. 4. tr. de patre & liberis.*

28. Officium parentum consistit 1. In alimentorum præstatione seu nutritione. 2. In institutione, 3. In elocatione ad matrimonium. 4. In dotando Schönb. *l. 1. Polit. c. 7. de patre & liberis.* Arnis. *d. l.*

29. Ad

29. Ad nutritionem, parentes naturaliter obligatos patet inde; quòd in omnib. rebus ita comparatum sit, ut incrementum inde exspectare debeant, unde nactæ sunt initium. Improvidè enim ageret natura, si fœtus suos terris ostenderet tantùm, neque ultra esse sineret, defectu nutrimenti, ortus suos repetituros. *Cogitavit enim nos natura, antequam fecit*, Senec. *6. de benef. c. 23.* Unde autem incrementum peterent, nisi ab iis, quibus natura ad hoc stimulum & facultatem addidit? Hinc necare videtur, qui alimenta denegat, *l. necare, 4. ff. de agnosc. liber. & l. un. §. taceat 5. vers. Sileat. C. de rei ux. act. & l. ult. §. ipsum. 3. C. de bon. quæ lib.* Hinc Cic. rectè 2. de Orat. his verbis: *Neque boni est, neque liberalis parentis, quem procreârit & eduxerit, non vestire & ornare.* Commune enim votum parentum est, ut liberis omnia apparent, & thesauros conquirant, *c. cùm Apostolus 6. x. de censibus*: damnatur præterea anathematis, qui necessaria liberis non præbuerit, *c. si quis dereliquerit, 14. dist. 30.* Idque procedit eatenus, ut etiamsi ex injusto & damnato coitu sint nati, *c. cùm haberet, 5 § fin. in fin. x. de eo qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* & mater vulgò quæsitos alere compellitur, *l. si quis, 4. §. 4. ff. de agnos. lib.*

30. Ad nutritionem ergò parentes adeò tenentur, ut si sponte sua id facere neglexerint, aucto-

auctoritate magistratus ad hoc debitum persolvendum cogi possint, *l. si quis à liberis, 5. § si vel parens. 8. & §. 12. ff. de agnosc. lib. l. nec filium, 9. C. de* P. P. *l. 3. & 4. C. de alend. lib.*

31. Cùm igitur jure naturæ liberis debeantur alimenta, sequitur quòd neque à patre neque à principe filiis aufferri possunt; nisi jus naturæ maleficio perdiderint. Hinc sequitur nutritionem in totum jure civili vel statuto tolli non posse, sed ad minimum, quoad alimenta relinquendum esse, Jason. *in l. quoniam. de inoff. test.*

32. Per alimenta h. l. non tantùm intelligimus cibum & potum, & quæ cibariorum nomine comprehenduntur, sed quæ usui & cultui corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt, ita ut vestem victus quoque vicem habere tradat, *Labeo*, item lectum, habitationem & stramenta, *l. verbo victus, 43. l. quos nos. 234. §. 2. de V. S. & l. 5. § non tantum, 12. ff. de agnos. liberis, l. legatis, 6. & l. ult. ff. de alim. & cibar. leg.* Pietas igitur, ex qua alimenta liberis debentur, constringenda non est, sed potiùs amplianda.

33. Tenetur autem pater, non in quantum cupit filius, sed in quantum vult pater, & filio sufficit ad necessitatem, non verò quantum requirit ad voluptatem. Assignanda ergò alimenta sunt ex arbitrio judicis, *l. 2. ubi pupill. educ.*

educ. Pro modo facultatum & dignitate personæ *d. l. 2. & 3. ubi pupill. & l. 1. §. mulier 19. ff. de ventr. in poss. l. 1. C. de alim. præst. l. si competenti 3. & l. ult. C. de alien. lib.* Nec non secundum loci consuetudinem & familiæ, Menoch. *arbit. judic. q. 160. n. 3. & seqq.*

34. Eo usque autem tenentur Parentes liberis de alimentis, donec sibi ipsis prospicere possint, *d. l. si quis, 5. §. 7. de agnoscendis liber.* Alimenta enim jure naturæ præbentur saltem in subsidium: ergo si filio aliunde sit prospectum, vel ipse sibi prospicere possit, ad eorundem præstationem Pater non tenetur Borch. *lib. 2. cons. 13. q. 4.* Covar. *part. 2. de Matr. c. ult. §. 6. n. 5. & 13.*

35. Cùm verò de eodem debito, nemo nisi semel teneatur, *l. qui bis, 18. in pr. & l. qui usumfr. 58. de verb. oblig.* Iterum atque iterum ad nova alimenta, si prius assignata inutiliter perdiderit & prodegerit, non tenetur, nec natura quenquam obligat, ad alendum filium prodigum vel suprà facultatem; Nam si alimenta de novo suppeditarentur prodigo, pietas paterna patri esset damno; & impietas filii filio esset commodo. Hic enim denuò invitaretur ad dilapidandum & inutiliter insumendum bona. Non enim leges in necessitate subveniunt illi, qui suâ culpâ in necessitatem se projecit, *l. si fidejussor, 7.*

ſor, 8.§.ſi neceſſaria. 1.ff. qui ſatisdare cog & l.ſi mulier, 21 in pr.ff. quod metus cauſa.

36. Porrò præter alimenta debet pater filio etiam inſtitutionem τὴν παιδείαν *lib. 8. Eth. 13.* quàm JCtus Javolen *in l. legatis, 6. ff. de alim. leg.* ab educatione ſeparat. Solon hoc caput tanti fecit, ut vetuerit à liberis ali parentes, ſi ad honeſtas artes ab iis non fuerint ſedulò inſtituti.

37. Conſiſtit a. hoc caput in fundamento relig. in artibus & diſciplinis & peregrinatione.

38. Cùm v. pietas & religio ſit rerũ publicarũ fundamentũ firmiſſimũ, à qua ſubditorũ fides in Principem, obedientia erga magiſtratum, pietas erga parentes, charitas in ſingulos homines juſtitia in omnes pendet, *Bodin. 4. de Repub. 7.* Merito liberi ſtatim à primis cunabulis ad pietatem & veram religionem à parentibus compellendi, inque ea fideliter erudiendi ſunt.

39. Præterea ſtudiis & moribus exquiſitis & excultis ſunt imbuendi. Ex ſtudiis ea maximè fovenda, quæ practicam reſpiciunt vitam: utpote eſt peritia optimè in Republ. verſandi, item ad actiones accommodata prudentia, non verò quæ in perpetua contemplatione cives detinet. Studia enim loco alimentorum ſuccedere videntur, *arg. l. Stichus, 12. in pr. ibi unde ſe tueri poſſit, ff. de leg. 3.* Præterea qui vult antecedens, neceſſe eſt, ut velit etiam conſequens, *arg. l. 2. ff. de jurisd.* At ſi pater filium ad Acade-

miam ablegat, consequens etiam est, ut illi sumptus non deneget, cùm nemo vivat ex vento, *l. 2. in fin. C. de aliment. pupill. præst.*

40. Peregrinationes instituendæ sunt ab iis qui corporis & animi ratione ejusdem sunt capacês, qui verum finem ejusdem probè cognitum & propositum sibi habent, & profici, scuntur ad eos populos, ubi vel cultiores sunt mores, vel aliquid aliud addiscere, non quos instruere possunt, *Bes. part. secun. disp. Pol. disp. 2. t. 22. & seq. usque ad 24.*

41. Tertium patris officium diximus consistere in commoda liberorum elocatione in matrimonium: idque tum sui ipsius causâ faciet, ut propagatione familiæ diuturnitatis memoriam sibi comparet; tum liberorum, ut Oeconomiæ rationem habere discant, *Schönborn. d. l. c. 7.* Puellam enim, quæ jam matura viro, custodire ab amatorum technis difficillimum esse ait, *Alciat. Embl. 22.*

42. Quantum patris officium consistit in dotando. Pater enim dotem dare compellitur, *l. fin. C. de dot. promiss. & l. 5. C. ad SC. Maced. & c. quamvis ext. de pactis.* Et hoc valet quamvis locuples sit filia & aliunde habeat, unde seipsam dotare possit. Nemini enim sua fortuna debet esse damnosa, & quæ sine ope paterna obtingunt; non liberant patrem à naturali debito.

43. Respectu patriæ potestatis, filii Patris fami-

familiam sequuntur, omnis dignitatis, quæ familiæ annexa est, sunt participes, *l. senator.* 11. C. *de dignit.* iisdemque sacris, quibus pater, utuntur, Fiunt sui hæredes, & patre vivente quasi in dominio & possessione paternorum bonorum sunt constituti, *l. in suis, 11. ff. de lib. & posthum. & l. in suis 14. ff. de suis, & legitimis, & l. cum ratio 7. de bon. damn. §. 2. Instit. de hered. qualit. & different.*

44. Officium liberorum est. 1. Præstare parentibus reverentiam & obedientiam, *l. filia, 5. C. de P.P.* Non secùs, uti in amicitia impari, qui dignior & superior ex lege inæqualis amicitiæ, alteri inferiori obligatur ad beneficia præstanda; Ille verò qui inferior, superiori ad honorem & reverentiam præstandam, unà cum recompensatione acceptorum beneficiorum; Ita etiam pater, qui in societate domestica & per conseq. in familiari amicitia, principem locum occupat, quemadmodum suum amorem excellentia beneficiorum suorum prodere debet, ita & filius, tanquam inferior persona Patri ad reverentiam & obedientiam præstandam omninò obligatur.

45. Secundò, officium liberorum consistit in debita ἀνθυπηρεσίᾳ exhibenda. Parentum enim necessitatibus liberos succurrere justum est, *l. 1. C. de alend. lib.* Inprimis si ejus facultatis sunt, ut θεραπείαν præstare possint, *l. 2. C. d. t.* Qua ratione infames pronunciat liberos Solon,

lon, qui parentibus egentibus opem non tulissent, *Diog. Laërt. in Solon.* Quod si verò θεραπήια pro dignitate retribuere non possint, ex lege inæqualis amicitiæ, ad honorem, obsequium, reverentiam & cultum profugiant, & minoribus his officiis, maxima beneficia, maximo conatu retalitare annitantur. Vita enim, educatio, & institutio, cùm per se sint res inæstimabiles, debitores filios obligant in infinitum.

46. In dissolutione patriæ potestatis interdum juri conjuncta est natura, interdum jus solum est & sine natura dissolvit.

47. Jure & natura simul dissolvitur morte, quæ dum sit duplex, naturalis & civilis, duplicem constituit patriæ potestatis solvendæ modum.

48. Naturalis mors, cum omnia solvat, *Novell. 22. cap. 20.* mirum non est, eam etiam potestatem, quam parentes in liberos habent, tollere, *in pr. Instit. Quibus modis* P. P. *solv.* ut interim omittamus, quicquid illa juris in se continet, personale esse, *pr. &* §. *ult. Instit. de nupt.*

49. Mors civilis dicitur, quæ salva vita, civitatem & libertatem, aut etiam civitatem tantùm adimit. Sicuti enim morte homines intereunt, ita maxima aut media capitis diminutione interire dicuntur, *l. verum est, 63.* §. *penult. ff. pro socio*, veluti, si parens deportetur, §. *cum autem*,

tem.1.Inſtit. Quibus modis P.P.ſolv. vel ſi parens hodiè apud nos bannitur, aut in ſervitutem redigitur.

50. Sine natura patriam poteſtatem jus noſtrum diſſolvit, occaſionem vel à facto, vel à voluntate hominis ſumendo.

51. A facto conſideratur vel reſpectu Imperatoris vel privatorum, *Vult.lib.1.I.R.c.24.*

52. Reſpectu Imperatoris, ſi videlicet in aliquem filium familias, ſummam Patriciatus dignitatem confert, §.*filius familiâs,4.Inſt.quibus modis* P.P.*ſolvit.& l.fin.C.de conſulib.* Rectè autem hujus patritiatus dignitas ſumma dicitur,ut intelligamus eos, qui illa ab Imp.decorantur, reliquos omnes poſt Imp.ſublimitate præcellere,*l.3.C.de conſ.* & longè differre ab iis, quos hodiè in civitatibus Patritios, ad exemplum patritiorum Romanorum à primis Reipubl.patribus, *Liv.lib.*1. Junckhern / quaſi Junge Herrn/nominamus. Hanc v. patritiatus dignitatem, de qua in propoſito agimus Clodoveo Gallorum Regi, ab Anaſtaſio Imp. tum Conſtantinopoli agenti, per oratores collatam,refert *Paul.Æmil.de rebus Franc.in Clodov.* atque ita effatos ad Regem in Turonibus conventum:

Te Auguſtus Conſulem Patritiumq; ſalutat: Qua tituli majeſtate ſecundùm Cæſarum decus nullum majus excellentiusvè faſtigium, excogi-

tare potuit, regium enim nomen sanctum esse meminit, &c. Ut inde in Germania nostra Electores, Patritii summi, non malè vocentur, Cor. *ras. ad l. nuptiæ, §. senatores, num. 8. ff. de senatoribus.*

53. Hodiè eò deventum est, ut & illi qui consulatum, præfecturam, Episcopatum, aut magisterium militum ab Imperat. consequuntur, sui juris fiant, *Nov. 81. in pr. & l. ult. C. de decurionib.* Idem etiam dicendum de Doctoratus dignitate, *d. Nov. 81. c. 1.* nam ibidem generaliter sancitum extat, *ut omne præmium iis, qui honorantur ab Imperio, per consulares Codicillos præstitum, suæ potestatis præbeat occasionem, arg. l. 1. C. de adsessor. & domestic.*

54. Occasione facti privatorum jus patriam potestatem variè dissolvit, utpote expositione liberorum seu infantum à parentibus facta, *tot. tit. C. de infant. exposit.* Item denegatione alimentorum, *l. 2. C. d. t.* Item Monachismo, *Novell. 5. & Can. non dicatis, 12. q. 1.* cùm in mundo mortui dicantur, *c. placuit, c. sunt nonnulli, 16. q. 1.* Item præscriptione, utpote, si pater filium diu, hoc est, ad decennium, (secundum consuetudinem nonnullorum locorum) sui juris vivere & agere passus est, wann der Vater einem Kinde eygne Nahrung läst anstellen / quo in casu tacita intelligitur facta emancipatio. Item si filia à patre corporis quæstui

stui tradatur, *l. lenones*, 12. & *l. neque servum*, 14. C. *de Episcop. audient.*

55. Denique occasione consensus & voluntatis humanæ, in jure potestas hæc finitur duob. modis. Adoptione ab avo materno facta, & emancipatione, §. *sed etsi pater*, & §. *præterea Instit. Quibus modis jus* P. P. *solv.*

QVÆST. I.

Vtrum Potestas Patria sit jurisgentium, an verò civium Romanorum propria?

Hæc quæstio admodum controversa est inter Politicos & quosdam JCtos. Et pro jure naturali seu gentium pugnant non tantùm Politici, verùm etiam JCti magnæ authoritatis, quorum argumenta hæc sunt. 1. A causa efficiente, quia non lex, sed Deus & natura mentib. & animis, uniuscujusque nostrûm insevit & implantavit, cujus rei nullum argumentum majus esse potest, quàm prima lex secundæ tabulæ, cùm enim totus Decalogus ex principiis, quæ vocant, nobiscum natis, educitur, & secundùm Thomam 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. continet explicatam legem naturæ, & hoc præceptum secundæ tabulæ primo loco occurrit; sequitur illam potestatem esse juris naturalis. Hoc enim

præceptum solum est, quòd præmium liberis proponit, qui parentes cultu prosequuntur, tametsi officio nulla merces debetur, eoque minus, quod nullum est in omnibus tum divinis, tum humanis sanctionibus edictum, nec ulla execratio major in sacris literis, quàm adversus eum, qui ad malè tecta Patris pudenda scelerate arrisit, Bodin. 1. *de Republ.* 4. Natura præest pater filiis, & majores nepotibus, Arist. *8. Eth. c.* 11. *&* 1. *Polit. 8. ult.* inquit: *Mas quàm fœmina, ad imperandum aptior, atque ætate superans & perfectum, quàm id, quòd ætate superatur & imperfectum.* Vide Montecut. 1. Polit. text. 140. *Et non tantùm bono, verùm & malo* Patri *obediendum natura præcipit*, Epictetus *in Enchirid. Et persolvi gratia non potest nec malo patri*, Quintil. *declam.* 5. Naturæ leges sic præscribunt: Etiâmsi cædat, ædibus exigat, quocunque modo puniat, fortiter tolerandum est, nec veniam filio largiuntur, ni paruerit pertuleritque. Pater enim est, qui cecidit, habetque potestatem in re faciendi, quod vult, Chrysost. Et Plin. *in Paneg. ait*: *Lex & vis naturæ semper in ditione Parentum liberos esse jussit, & uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.* 2. A generali consuetudine & moribus omnium gentium. Non enim tantùm jus patriæ potestatis introduxerunt rationes naturales; verùm omnes gentes unanimi consensu

sensu id receperunt. Atqui id est jus gentium, quod vel apud omnes recipitur, *l.1. §.ult.de I.& I.vel* naturalis ratio constituit, *l.omnes 9.in fin. ff.eod.& §.jus autem, Instit.de I.N.G.& C.* Ergo,&c. Quod verò aliæ gentes non tantùm tale, verum & majorem in liberos habuerint, constat,tùm ex sacris, tùm ex profanis. Lege enim Judæorum, vendi etiam poterant(quod Romanis,uti constat ex antedictis, non erat licitum, *l.fin. Cod. de* P.P.) liberi in servitutem, *Exod.21.2. Lev.25.39. Deut.15.12. Jerem.34.14.* Abraham patriæ potestatis auctoritate Ismaelem domo ejecit, *Genes.*21.14. Isaac non defugit mortem,quam à patre sibi imperari videbat, *Genes.22.9.* Jephrah privato imperio condemnavit filiam ad supplicium, *Jud.11.39.* Proinde & Ægyptios potestatem vitæ & necis in filios habuisse, testatur Diod.Sic.*lib.2.*de Sclavis Accursius, *Instit.de P.P.*de Moscovitis, Sigism. Baro *in hist.Mus.*de Arabibus, qui potestatem habent distrahendi filios, Leo *l.4. hist.Afric.* De Lappis, quibus par est potestas in liberos & servos, Joan Hugo *L.ad Schott.in relat.Ind. c.26.part.2. hist. Ind. Orient.* Sic pari modo apud Persas patris imperium tyrannicum est, pari enim modo & servis & liberis utuntur. Rex Thracum sex filiis, qui se invito castra Xerxis secuti fuerant,oculos eruit, Ælian.*lib 5. c.11.* Dejotarus filios omnes sua manu interemit.

emit, ne impedimento essent illi uni, quem ad regimen delegerat, Plutarch. *in Cic.* Sic Gallos vitæ & necis potestatem in filios habuisse testatur Julius Cæsar *in suis comment.* Sic & Indi eandem habuerunt potestatem in liberos, antequam novas leges ab Hispanis acceperunt. De aliis etiam populis, *Vide* Bodin. *d l. 3.* Auctoritate JCtorum, utpote Ulpiani *in l. pronunciatio, 195. §. familiæ. 2. ver. jure propr. ff. de V.S.* dum plures personas in familia, unius potestati subjicit, *aut naturâ aut lege.* Quòd si ergò natura subjiciuntur liberi potestati patris, naturâ eos habebit in potestate: Item Pomponii *in l. veluti 2. de I. & I.* qui ad jus gentium refert, ut parentibus & patriæ pareamus, Obedientia enim præsupponit potestatem, tanquam suum correlatum. Item Justiniani, *in l. 10. §. sed ne articulum. 1. vers. neque n. vers. & ideò sancimus. C. de adopt.* jura naturæ vocat; quæ cadunt inter patrem & filium familias à natura factum. Item Modestini *in l. 1. in pr. ff. de adopt.* ubi filios familias non tantùm natura, verùm & adoptione fieri dicit. Item Justiniani *in pr. Instit. de adopt.* Ubi dicit quod naturales sint in potestate, Ergo sequitur eosdem naturam constituere in potestate nostra Conn. *lib. 2. comment. c. 13. n. 2.* Coras. *ad l. 3. verbo: proprium civium Rom. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris*, Gothofr. *ibid. & ad §. 2. Instit. de* P.P.

Con.

Contrà, quòd Patria potestas sit juris civilis & civium Romanorum propria, probatur his fundamentis. 1. Auctoritate, *Caji. in l.3.ff.de his,qui sunt sui vel alieni juris,* & Justiniani *§.2. Instit.de P.P.* ubi expressis verbis asseritur, potestatem patriam civium Romanorum esse propriam, & ratio est, quòd nulli alii homines talem potestatem habeant. 2. à causa efficiente. Quia P.P. tantum constituitur causis civilibus, utpote, justo matrimonio, legitimatione & adoptione. E. 3. Ab effectibus, quia effectus ejus sunt juris civilis, *l.4.ff.de jud. & l.fin.C.de P.P.l.11.ff.de lib. & posth.* Ergò, &c. 4. à modo finiendi, *per l.nihil tam naturale, 35.ff.de R.I.* finitur enim P.P. per adoptionem, deportationem, & emancipationem, *t.t.Instit.quibus modis P.P.tollitur,* quamvis tali ratione jura naturalia seu gentium non tollantur, uti constat, de deportatione, *per l.15.ff.de interdict.& releg. & arg.l.5.& 7.ff.de cap.diminut.* de emancipatione, *§.minima,3.Instit.de capit.diminut.* 5. à forma. Quia hæc originem ex jure civili habet. Cùm autem forma det & esse & originem rei: Sequitur P. P. originaliter juris civilis esse, cùm absurdum videatur, rem aliquam ad aliud, quam ad rei formam referre. 6. ab absurdo. Quia si P.P. jurisgentium esset; sequeretur & filios naturales esse in potestate parentum. Atqui non sunt in potestate patris naturalis,

ralis, §. *fin. inſtit. de nupt.* Ergò: Item ſequeretur, obligationem, quæ propter conſenſum datur, eſſe efficacem: Atqui non eſt, quia fictione juris civil. pater & filius ſunt una perſona, Huñ. *in reſolut. l. 1. tr. 2. q. 17.* Pro deciſione quæſtionis diſtinguendum eſſe puto inter poteſtatem cõmunem & propriam, Vacon à Vacuna *l. 1. decl. 8.* Vult. *ad* §. *1. n. 4. Inſt. de* P. P. Item diſtinguendum eſt, inter patriam poteſtatem per ſe & generaliter conſideratam, & inter jus vel effectus eidem particulariter ſuperadditos. Item inter originem & formam ratione cauſæ efficientis internæ & impulſivæ. Quibus diſtinctionibus præmiſſis, non erit difficile quæſtionem determinare. Communis enim quatenus per ſe in internis ſuis principiis conſideratur, juris gentium eſt, & hoc confirmant etiam priora argumenta. Propria verò, de qua in ſpecie, Cajus *in d. l. 3. & Juſtinian. Imp. d.* §. 2. loquuntur, quoad originem & formam, ratione cauſæ efficientis impulſivæ civium Romanorum propria eſt. Dicitur autem propria; quod non aliunde aſſumpta, ſed moribus duntaxat Populi Romani introducta. *l. 8. de his, qui ſui vel alieni juris.* Et hoc eſt, quod Imp. Juſtin. *in* §. 2. *Inſtit. de* P. P. annectit, videlicet, quòd talem hoc eſt, iſtiusmodi qualitatibus & effectibus circumſcriptam poteſtatem nulli alii populi habeant.

QUÆST.

QVÆSTIO II.

Vtrum patria potestas Matri etiam competat?

Matri etiam competere potestatem in liberos, videtur probari posse his argumentis. 1. Quia pars continetur in toto, & sequitur regimen totius: Atqui liberi sunt germina & quasi partes, non tantum patris, sed & matris, *8.Eth.12.* 2. A communi regula & præcepto. Qui beneficium accipit, libertatem suam vendit, & redit in ejus dominium, à quo afficitur beneficio: At qui mater plus molestiæ devorare, plus oneris sustinere plus periculi subire, plus diligentiæ impendere cogitur, quàm pater. 3. quia in sacris literis, idem honor, eadem reverentia matri, quæ patri debetur, ut patet è 4. Decalogi præcepto, *& Prov.1. vers.8.* 4. Ab exemplo Ismaelis consilio & voluntate matris suæ uxorem ducentis *Genes.21.21.* Idemque Simsonis, tàm à matre quàm patre uxorem accipientis, *Jud.14.2.* 5. Item confirmari videtur constitut. Impp. Severi & Ant. *in l.1.C.de nupt.* Idem non obscurè videtur significare Imp. *in l.20.C.de nuptiis.& pr. Instit.de nupt.* ubi Imp. dicit, quòd naturalis ratio suadeat adhiberi consensum parentum: Atqui naturalis ratio

non

non minùs sese extendit ad matrem quàm ad patrem.

Verùm matrem liberos non habere in potestate, probatur his fundamentis. 1. Quia pater est principium totius generationis & auctor vitæ, ejus cura & sumptu aluntur, instituuntur, & elocantur, accipiunt familiam, dignitatem, &c. à patre. Ergò magis debetur patri potestas in liberos quàm matri. 2. Quia pater, ut plurimùm ætate, prudentia, & perfectione matrem superat. 3. Quia & ipse, potestati suorum parentum, habita ratione juris civilis, subjiciuntur, *§. sui autem, Instit. de hered. quæ ab intestato defer. & l. 1. ff. de suis & legit. hered.* Quin imò maritis subjectæ sunt? *Genes. 3. v. 16.* 1. *Corinth. 14. 34.* 1. *Timoth. 2. 12. l. marito. 24. & l. patri. 20. ff. ad L. Jul. de adult.* Mariti enim earum legitimi defensores existunt, & hæ illis obstrictæ sunt ad operas & obsequia, *l. 1. §. cùm autem, 7. C. de rei uxor. act. & l. alia, 14. §. 1. ff. solut. matrim.* C. *Adam. 33. q. 5. Schneid. ad §. sed etsi pater, Instit. quib. modis jus* P. *P. solv.* Nec juri Romano convenit, eas, quæ alieno auxilio in rebus suis administrandis indigent, utpote, quarum consilium adversus proprium commodum laborare dignoscitur, alios in potestate habere. 4. Expressis textibus juris, *§. fœmina, 10. Instit. de adopt. & §. cæteri, 3. Inst. de hæred. qualitate & different.* Pro determinatione quæstionis distinguimus, 1. Inter potestatem naturalem & civi-

civilem. Naturalis Potestas, jure naturali & divino tàm matri competit, quàm patri ; Verùm civilis potestas propter dictas rationes tantùm patri; atque sic potestatem, quam mater jure naturali & divino cum patre communem habet, jus civile non sustulit, nam cùm jura naturalia sint immutabilia, illa potestas matri manet perpetua. Alia igitur potestas civili jure introducta est, quæ potiùs patri, propter rationes superiùs allatas, quàm matri est attributa; Atque sic P. P. nullo modo contra jus naturale neque divinum est. 2. Distinguendum est inter reverentiam & honorem & inter patriam potestatem. Nam P. P. reverentiam & honorem matri debitum, non aufert, sed quia pater caput & principium familiæ est, ei aliquam prærogativam concedit in liberos. Reverentia igitur matri debita, ad P. P. non est extendenda. Proinde quod attinet ad factum Ismaelis, Simsonis & aliorum huc non quadrat. Dicitur enim ibi tantùm, quid fecerit Ismaël & Simson, non, quid fecerint necessitate legum coacti. 3. Respiciendum semper est ad id, quod præcipiunt leges, non quod suadent, quamvis enim in aliquibus locis leges suadeant, ut consensum matris filii adhibeant, non tamen præcipiunt, utpote est, *l. semper in conjunctionibus. 179. ff. de R. I.* & ut quidam &. distinguendum est inter honestatem & necessitatem, ac licet, illud quod honestatis, sem-

per

per etiam sit necessitatis, propterea, quod leges honestatem omninò præcipiant, non tamen sequitur matri eandem potestatem attribuendam, quæ patri, quia duplex est honestas, una quam leges præcipiunt, & altera quam naturalis ratio suadet. Ad *l. 1. C. de nupt.* quod attinet. Resp. illam ab Impp. esse rescriptam ad facti speciem, quia fuit propositum, matrem interposuisse suam auctoritatem in liberorum nuptiis, unde profectò inferri non potest, ita juris esse. Quin imò agitur in hac l. de nuptiis puellæ impuberis, quæ cum sibi per ætatem nondum consulere potuerit, consilium & sententiam matris rectè sequi debet, Ad *l. 20. C. de nuptiis*, quod attinet, Resp non ibidem requiri consensum, sed judicium sive consilium. Atqui judicium seu consilium non tenemur necessariò observare, *in pr. Instit. de nupt.* ratio naturalis ad patrem tantùm restringitur & asseritur, quod non uno modo peccet, qui absque consensu parentum matrimonium contrahit sed duplici ratione utpote ratione naturali & civili.

QVÆST. III.

Vtrum jus vitæ & necis, optima ratione parentibus sit ademptum?

Competiisse antiquitùs parentibus jus vitæ & necis

& necis in liberos constat, *ex l.11.in fin.ff.de liber.& posthum.& l fin.* C.*de P.P.* idem probatur, *l.1. ff. ad L. Pomp.de Parricid.* ubi pater inter parricidas non numeratur. Respexit ergò JCtus Martianus ad jus illud antiquum, quod L.Romuli parentibus est datum. Verùm absque justa causa illos hoc exercere potuisse non arbitror, *l. Patri 20.& seq.ff. ad L. Juliam de adult.& l.divus 5.in fin ff. ad L. Pom. de Parric.* Nec exempla fortissimorum virorum aliter attestantur. Utrum autem id jus vel moribus vel expressa lege correctum, non adeò est dubitandum, cùm expresè pater inter parricidas referatur, *d.l. unic.* Cod.*de his, qui parentes vel liber.occid.* & in majoribus delictis judici liberi sint offerendi, *l. unic. C. de emend.propinq.& l.inauditum.2 ff. ad l.* Cornel. *de Sicar.& l.si filius,3.* C.*de* P.P. Verùm utrum jus vitæ & necis parentibus jure ademptum, controvertitur non tantùm apud Politicos, verùm JCtos. *Simplic.in §. officia. Ench. Epict.* naturali pietati hoc jus consonum deprædicat, Alberic.Gent.4.*de nupt.c.1.* sanctissimè defendi dicit: multis argumentis restituendum esse disputat Bodin.1.*de repub.4.* Nituntur autem his argumentis. 1. à jure naturæ. Quia veteres leges Romanorum, tùm excellentia naturæ considerata, tùm laboribus, quos filiorum causa capiunt expensis, tùm eo etiam consilio, ut

liberos omninò, patriæ potestati subjicerent, (fretæ scilicet naturali parentum erga liberos pietate) & vendendi illos, si vellent, potestatem dedêre parentibus & impunè occidendi, *Simplic. d. l.* 2. à lege divina. Quia extat hâc de re lex divina, *Deuter. 21. vers. 18. & seqq.* quæ populis omnibus debet esse sacrosancta. 3. à consuetudine & facto Hebræorum, Celtarum, Persarum, de quibus in præceptis dictum est. 4. ab adjuncto incommodo. Quia nullam cognitionem suscipiunt magistratus, quòd liberi parentum jussa contemnant, quod aspernentur, quòd irrideant, neque judicia constituuntur adversus filios aleatores ebriosos, &c. Et quamvis essent judicia peccatis hujusmodi constituta, nihilominùs tamen, quia parentes existimationi & dignitati suæ consuli volunt: filios apud magistratum nunquam deserunt, nunquam aut rarissimè accusant, atque sic istiusmodi peccata relinquuntur impunita. Atque sic fit, ut liberi sublato metu parentum, sæpiùs eludant parentes & magistratum. Hinc fieri nullo modo potest, ut Reipubl. fundamentis malè jactis, diu Resp. firma esse possit. 5. Ab adjuncto utili. Quia contentiones, dissidia, lites, quæ fratrib. inter ipsos intercedere videmus, vivo ac spirante patre facilè dirimebantur. Item tot. litib. ac judiciis magistratus impeditur, propter dissidia parentum & liberorum

rorum, item fratrum & sororum, ut antea nunquam. *6. ex l. inauditum, 2. ff. ad L. C. de Sic.* ubi JCtus scribit, *inauditum filium non licere occidere patri.* 7. Quia pater videtur dare vitam. Ergò etiam eripere. Verùm optima ratione hoc jus parentibus ademptum esse, probamus his fundamentis. 1. Quia liberi sunt partes parentum *l. cùm scimus, 22. in fin. C. de agric. & cens.* Idque non tantùm fictione juris civilis ob patriam potestatem, ut disputat Anton. Faber. *in Jurisprud. Papin. c. 8 pr. 7. in pr.* Sed potiùs natura ipsa & rei veritate, *ut docet Arist. 8. Eth. cap. 12.* quia nascuntur liberi ex semine & sanguine parentum, Et licet personam completam Physicè referant, tamen nihil obstat, quò minùs diverso respectu, quatenus à patre dependent, pars ejus esse possint. Hinc JCtus Paulus *cons. 264. l. 2.* vocat liberos carnem patris, novâ anima auctam, *& Justinian. in l. fin. in fin. C. de impuberum & aliis substit.* ait: *Naturâ pater & filius eadem persona esse penè intelliguntur.* Ex qua identitate personæ jus & origo sui heredis ductum est, *l. 7 ff. de bon. damnatorum.* Natura ergo nobiscum quasi coalescunt: Quamobrem sicuti nemini concessum est sævire in propria viscera *l. 13. in pr. ad L. Aquil.* Ita neque in liberos summa potestas parentibus est concedenda. 2. Quia est contra adfectum & storgem naturalem Paren-

tum. Adfectum enim paternum summum vocat Tryphon *in l. non solùm, 67. §. 1. in fin. de ritu nupt.* & Justin. ait *in l. ult. in princ. C. de cu. rat. furios. Quis talis affectus extraneus inveniatur, ut vincat paternum?* JCtus Baldus illum vocat ardentissimum, *in l. precibus passim, C. de impub. & aliis subst.* Item non posse filium patre meliorem amicum invenire. Id quod in plurimis legibus & decisionibus præsupponitur, *utpote in l. isti quidem. 8 in fin. ff. quod metus causa l. nec in ea, 22. ff. ad L. Jul. de adult. l. quidam, 46 ff. de her. inst. l. Paula Callin. 27. §. Pompejus. §. 1. ff. de leg. 3. l. ex facto, 43. ff. de vulg. & pupil. subst. l. tale pactum, 40. §. ult. ff. de pactis. l. 3. ff. de confir. tut. l. jure nostro, 26. §. ult. ff. de testam. tut. l. cum pater, §. mando. 24. in pr. ff. de leg. 2. l. amicissimos, 36. §. Lucius in fin. ff. de excus. tut. l. 27. Cod. de Episcop. audient l. humanitatis, 9. C. de impub. & aliis subst. it. l. propter insidias, 14. C. de his qui accus. non poss. l. si unquam, 8. Cod. de rev. don. cùm acutissimi, 3. C. de fideic. l. sicut certi. 9. l. si cum vel in utero, 10. Cod. de test. milit. l. si pater. 4. C. de Sponsal. l. penult. C. de bonis libert. & aliis quam plurimis.* Exinde quamvis Bodinus effugium sibi quærat, dum inquit, majorem esse parentum in filios amorem, quam ut crudelius quicquam in eos tentare possint: Exempla tamen in contrarium testantur: Siquidem Brutus referente Liv. *lib. 2.* sine affectu & perturbatione

tione filiorum cædes spectavit. Et Tullius Manlius pater filium ad mortem, deprecante etiam toto exercitu decrevit. Quò quis enim impensiùs amat, eò semel atque iterum læsus odit graviùs. Siquidem nihil nobis est graviùs, quam lædi & injuriâ affici ab iis, à quibus beneficia meriti eramus. 3. Quia privata judicia omni jure prohibita, *l. non est singulis, 176. ff. de R. I.* Vis enim est non solùm si homines vulnerentur, verùm etiam vim & injuriam facit, qui quod sibi deberi putat, non per judicem reposcit, *l. extat, 13 ff. quod metus causa; & l. creditores. 7. ff. ad L. Jul. de vi priv.* Item vim & injuriam facit, quicunque sine auctoritate publicâ manum privatam alicui injicit, *l. si quis aliquem, 5. ff. de vi priv.* 4. Quia potestas patria in pietate debet, non in atrocitate consistere. Rectè igitur D. Hadrianus in Insulam deportavit patrem, quòd in venatione filium interfecerat, ob adulterium cum novercâ, *l. 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* 5. A mandato divino. Quia præceptum Decalogi quintum non occides, tam ad patrem pertinet, quàm ad alios homines. Et *Deut. 21. v. 18.* immorigeri liberi ad judicem duci jubentur, ut ab eo ad arbitrium patris puniantur.

Superiora ergò argumenta quod attinet, veræ sententiæ non refragantur. Nam ad argumenta tria Simplicii, quod attinet. Resp. ad

primum, quamvis patria potestas ab excellentia naturæ prodeat, interim tamen determinationem recipit à jure quarumque gentium, ne in infinitum & absque ullo modo procedat. Porrò laboribus parentum alio modo, vel ex operibus, laboribus, bonis, reverentia, & obsequio pretium persolvi potest, neque opus est, ut eis omnimoda potestas in liberos propter labores & molestias relinquatur. Denique negamus expedire Reipubl. ut omninò subjiciantur parentibus. Quòd autem *Bodinus d.l.* provocat ad legem divinam, in eo se proprio jugulat gladio. Nam *Deuter.* 21. judicium in contumacem & rebellem filium senioribus tribuitur; executio verò omnibus civitatis civibus; Parentibus verò hic honor relinquitur, ut eorum testimoniis de degenere filio credatur, executio verò ex sententia legis paretur. Porrò nihil facit ad rem, quod L. Romuli talis potestas concessa & multarum gentium consuetudine & exemplis approbata; Quia multitudo errantium, errori nullum præstat patrocinium. Quod autem hæc exempla, contra jus naturæ divinum & rectam rationem sint, evincunt superiora argumenta.

Quod etiam Bodinus inter cætera utatur hoc argumento quòd post sublatam antiquorum potestatem, repleta sint judicia litibus inter patrem & filium, maritum & uxorem, fratres & sorores

sorores, in ea imitatur malos Medicos, qui sentinam humoris gravantis ab uno membro rejiciunt in alterum & gloriantur interim, quòd à morbo ægrotum liberârint: Sic Bodinus liberat curias litibus, sed iisdem replet familias, dum parentibus domum remittit expedienda, quæ tot viri prudentes consilio conjuncto, expedire sæpè nesciverunt. Et si jus est eo modo litium segetem demetere cur non duella antiquorum & Saxonum, Faust-Recht / postliminio redire jubemus. L. *inauditum. ff. ad l. Corn. de Sic.* quod attinet, non ad patrem, sed ad magistratum refertur, ut hic sensus sit legis: *Patrem non posse filium à magistratu inauditum occidere, sed deberi filium deferri & accusari ad magistratum*, ut statim in eadem lege subjicitur. Denique ad ult. &c. Non est statim ejus adimere, qui contulit, nisi justa causa subsit. Præterea neque dedit pater vitam, sed tantùm causa administra est, proinde retorquemus argumentum in Bodinum & alios hoc modo, vitam quam pater nec dedit, nec restituere potest semel ablatam, auferre nullo modo potest. Atqui, Ergò, &c.

QVÆST. IV.

Vtrum per matrimonium in articulo mortis contractum possit fieri legitimatio?

Liberos ex concubina natos fieri legitimos per subsequens matrimonium expediti juris est, § *fin. Instit. de nupt.* Verùm *utrum per subsequens matrimonium in articulo mortis contractum æquè fiat legitimatio*, non usquequaque expeditum. Sunt enim qui hoc negant sequentibus argumentis. 1. Quia in mortis articulo dos constitui non potest, *l. Julianus, 20. ff. de jure dot.* ubi JCtus Paulus in hæc verba scribit: *differri quidem exactionem in id tempus posse, quo matrimonium futurum non sit, verum in id tempus stipulari dotem minimè posse affirmat.* Atqui in legitimatione liberorum dos debet constitui, *§. fin. Institut. de nupt. l. 10. C. de natur. lib. Novell. 18.* 2. Quia finem conjugii præsuppositum non habet, qui ita matrimonium contrahit, *l. 11. Cod. de naturalib.* 3. Quia non possunt reddere debitum & sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, *c. 2. de frig. & malef.* 4. Quod non sit fenestra aperienda fraudibus & nequitiis, atqui hoc in hac legitimatione fieri videmus, quia & parentibus & cognatis hac legitimatione, debita successio aufertur. Ergò. 5. Videtur sic illusio fieri conjugii. Nam sæpius fit, ut in agone mortis cum tali contrahant, cum qua in sanitate nullo modo contraxissent, *c. irrisor, dist. 4.*

Verùm contraria opinio verior est & recepta, & nititur, his fundamentis. 1. Qui matrimonium

monium ad ultimum vitæ terminum rectè cõtrahi potest, *l.106 ff. de condit. & demonstr.* ubi JCtus ait: *Hoc legatum, si Titio non nupserit, perinde habendum esse ac si post mortem Titii legatum esset*, unde non obscurè JCtus testatur, usque ad mortem nuptias contrahi posse. 2. Quia matrimonium hoc casu non solum dicitur jam de præsenti contrahi, verùm magis, affectio maritalis retrò habita, jam & præsenti matrimonio declarari, *l.10. vers. neque enim verisimile. C. de nat. lib. Nov. 117. c. 2. v. ex hoc.* 3. Quia matrimonium etiam valet sine coitu, cum intentione non coëundi, *C. sufficiat, & C. beata Maria, 27. q. 2. & l. 30. de R. I.* 4. Maximus præterea est legitimationis favor, *d. l.* 11. *C. de natural. lib.* qui in hoc maximè, quòd publicè interest, civitatem legitimis civibus repleri, *l. 1. ff. solut. matrimon.* attendi debet. 5. Quia sine dote & dotalibus instrumentis legitimatio per subsequens matrimonium subsistit, *C. tanta. extr. Qui filii sunt legitim.* Neque refragantur nobis superiora argumenta; Nam ad 1. &c. Negativè. Cùm enim matrimonium in agone mortis contrahi possit, uti probatum est, *per l. 106. ff. de cond. & demonstr.* Quidni & dos constitui posset. Non ergò nobis refragatur. *l. 20. ff. de jure dotium*, quæ saltem id negat, quod dos non conferri possit in id tempus, quo amplius nullum matrimonium esse potest. At-

qui constat, eo usque matrimonium firmiter constare, donec ipsa mors solvat. Ad 2. similiter. N. resp. Nam in articulo mortis constitutus, potest etiam habere spem recuperandæ salutis & liberorum procreandorum; *Borch. tract. de gr. p. 187.* Præterea, quamvis præcipuus conjugii finis, sit procreatio sobolis, non tamen est unicus & solus; Constat legitimationem per subsequens matrimonium non tam propter sobolem, quàm in favorem, liberorum legitimandorum institutam esse; sufficit ergò, si illi soli fini legitimatio nitatur per *d. l. 11. C. de natural. lib.* Ad 3. resp. *per l. 10. vers. neque veris. mil. C. de naturalib. lib. Nov. 117. c. 2. v. ex hoc. & C. sufficiat & C. Beata Maria, 27. q. 2. & l. 30. de de R. I.* Ad 4. resp. Non præsumi hîc animum & voluntatem fraudandi, cùm non sit verisimile, in extremis constitutum, salutis æternæ immemorem futurum, & in cujusquam fraudem quicquam facturum, *l. fin. C. ad L. Jul. repet.* Ad 5. resp. Casualia & fatalia esse matrimonia. Et regulariter quod licet in vita, etiam in morte licet.

QVÆST. V.

Vtrum ignobilis à nobili adoptatus per adoptionem consequatur nobilitatem?

Affir-

Affirmativam ſtatuunt non exiguæ auctoritatis JCti & moventur inprimis his rationibus. 1. Quia nepote ab aſcendente per lineam maternam ad optato jura patris naturalis diſſolvuntur, §. *ſed hodiè Inſtit. de adopt.* 2. adoptio confert agnationem, *l. qui in adoptionem 23. ff. de adopt. & l. penult. §. 1. verſ. neq; enim*, C. *de adopt.* Item confert familiam, §. *illud. inſtit. de adopt.* ita ut nomen patris adoptivi ejusque inſignia adoptatus nanciſcatur, *l. 1. §. 4. ff. unde cognati.* 3. Quia adoptio conſanguinitatem conferre dicitur, *l. ſi is. qui 44. ff de adopt.* 4. Quia adoptio dignitatem adoptati non minuit, ſed auget, *l. 35. ff. de adopt.* & ita quidem auget, ut adoptatus à ſenatore filius ſenatoris judicetur *l. 5. & 6. ff. de ſenator.* 5. Quia patria dignitas finita patria poteſtate in filio adoptivo deponitur, *l. 13. de adopt.*

Contrà adoptatum tali ratione non poſſe fieri nobilem probatur his fundamentis. 1. Quia adoptatio non eſt modus conſtituendi nobilitatem, ſed patriam poteſtatem, *pr. Inſtit. de adopt.* 2. Quia nobilem propria virtus facit, *l. providendum*, C. *de poſtul. & c. nos qui, & c. illud autem diſt. 40. & c. nunquam, diſt. 56.* vel natura: ſeu jus ſanguinis, *l. 1.* C. *de aur. jur. an. & l. nobil. 3.* C. *de mercatoribus.* Ita ut à parentibus ad filios, veluti ex traduce atque corruſcatione ſtemmatis tranſeat, *gloſſ. in l. ſtemmata. ff. de grad. & adfin.*

& adsin. 3. Quia adoptio jus sanguinis non adfert, *l. 23. ff. de adopt.* 4. Quia adoptivus non verus filius, sed imaginarius rectè dicitur, *gloss. in l. filio. ff. de liberis & posthum. Baldus in l. si adrogator. ff. de adopt.* 5. Quia jura patris naturalis robustiora longè sunt, quàm ut civili ratione extingui possint. *§. sed naturalia, Instit. de l. N. G. & C.* Nec quenquam moveat, quod nepote ab ascendente per lineam maternam adopta, to, jura patris naturalis dissolvantur, § *sed hodie, Institut. de adopt.* quia verba *in d.* §. secundum subjectam materiam sunt intelligenda, *argum. l. ex conducto, §. Papinianus, ff. locati.* Non enim quæritur, *in d.* §. *sed hodie*, utrum adoptione nobilitas conferatur, sed utrum patris naturalis potestas, eo casu, quo quis ab ascendente, per lineam maternam adoptatur, dissolvatur, atque sic casus ille à nostro proposito planè est diversus. Pro secundo non refragatur nobis, *l. 23. ff. de adopt.* quia nulla est ratio connexionis in argumento, si sic argumentor: Adoptio confert jus agnationis. Ergo & nobilitatem, quia adoptivus nomen patris sui adoptivi gentilitium usurpare possit. Hoc enim accipiendum est, quatenus in familiam hoc est potestatem transivit, non verò quatenus adoptans est nobilis, cum jus sanguinis, quo in proposito casu nobilitas se fundat, separationem à jure agnationis recipiat, uti constat ex *allegata, l. 23. ff. de*

ff. de adopt. & se ad successionem in parentis adoptivi bona extendat, *l. penult. §. 2. C. de adopt.* Proinde committitur in vocabulo familias ambiguitas, cum illud non ad nobilitatem generis sed tantùm ad potestatem, quàm in adoptivum requirit, sit restringendum, *d. §. illud, Instit. de adopt. & d. l. 11. §. 2. ff. de bon. poss. secund. tab. juncta l. pronuntiatio*, 195. *§. familiæ, ff. de V. S.* & ita accipiendum est, quod à Justiniano, *in d. l. penult. §. 1. vers. neque* dicitur, qui legitimus erat familiæ adoptivæ. Tertiò nec stringit nos, *l. si is qui, 44. ff. de adopt.* constat enim non tam verba, quàm mentem legis tenendam esse. *l. scire leges. ff. d. ll.* Nihil enim vocabulum consanguinitas in jure nostro denotat aliud, si strictè accipitur, uti h. l. accipiendum, quàm fraternitatem, *l. 1. §. 4. ff. unde cognati. juncta l. non Epistolis*, 13. C. *de prob. Duar. de adopt. c. 11. & Coras. in d. l. si is qui, 44. ff. de adopt. per. l. 1. §. fin. ff. de suis & legitimis, & c. per adoptionem, 30. q.* 3. Non ergo Proculi mens est, quod verbis d. l. jus sanguinis seu nobilitas ut illud in proposito casu vocari placet, sed jus fraternitatis tribuatur h. e. ut adoptivus nepotis ex filio frater censeatur, *Duar. & Coras. d. l.* Porrò quæ 4. & 5. objiciuntur argumenta, Herculea nō sunt. Quamvis enim dignitas adoptivi per adoptionem non minuatur, sed augeatur, & adoptivus à senatore, filius senatoris vocetur; id tamen non

non fit respectu nobilitatis sed tantùm hoc accipiendum est secundùm ea, quæ proponuntur habito intuitu ad potestatem, quam senator in ipsum habet: subjicitur igitur quamdiu in familia, id est, in potestate ejus manet, emancipatus v. nomen filii, emancipatione amittit. Quare omnia, quæ de adoptivis dicuntur ratione patriæ potestatis tantùm intelligenda sunt, uti constat, *ex l. 23. de adopt.*

QVÆST. VI.

Vtrum parentes magis ament liberos, quam liberi parentes?

Quod in communi proverbio dicitur: *Amor magis descendit, quam ascendit*, id rationibus ab *Arist. 8. Eth. c. 21.* confirmatur. 1. Quia magis inquit, norunt Parentes, qui ex se sunt, quàm liberi, se ex parentibus esse. Mater enim semper certa est, pater incertus, *l. quia certa ff. de in jus vocand.* Et ut Telemachus apud Hom. *Odyss. 1. se matri fidem habere de patre dicit, prater ejus testimonium nihil sibi cognitum.* 2. Quia propius conjunctum est genito, id à quo est, quàm procreatum procreanti. Est enim quòd à quopiam est, proximum ei ex quo est, ut dens, pilus, aut quidvis aliud habitanti, illorum verò nulli id, ex quo est, vel minus.

Hinc

Hinc omnis artifex amat ſuum opus, etiamſi ab eo non redametur. 3. Idque etiam propter longitudinem temporis. Parentes enim quamprimùm natos diligunt, illi verò progreſſu temporis parentes, cùm intelligentiam vel ſenſum nacti ſunt. 4. Parentes enim liberos, ut ſeipſos amant: qui enim ex ipſis oriuntur, ſunt quaſi alteri ipſi, quia ſeparati ſunt. Filii autem parentes, ut ab illis enati, *9. Ethic. 4.* Id quod paulò latiùs explicat. *9. Ethic 7.* Benefici beneficiis affectos amare magis videntur, quàm affecti eos, qui affecerunt. Et paulò pòſt. Hujus rei cauſa, quòd eſſe omnibus expetendum eſt & amabile, minus autem actu vivendo & agendo. Ideò amat opus, quod fecit opifex, quod amet ſuum eſſe. Accedit ratio 5. *ex Oeconom. Ariſt.* Spes videlicet poſteritatis quâ ut ait, Quintil. *declam. 254.* cognitionem mittimus in extremos nepotes. Idcircò enim filios filiáſve concepimus ac edidimus, ait Caliſtr. *in l. liberorum*, 220. *§. ult. in fin. de V. S.* ut ex prole eorum, earúmve, diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Quæ cùm ita ſint, meritò damnanda & deteſtanda eſt conſuetudo, quâ parentibus in proprium ſanguinem ſævire, & liberos de medio propriâ auctoritate tollere licuit: & rectiſſimè conſtitutum, ut neque gladio, neque igni, neque alii ſolemni pœnæ ſubjiciantur, ſed inſuti culeo cum cane,

cane, gallo gallinaceo, viperâ & simiâ, ut inter eas ferales angustias comprehensi, serpentum contuberniis misceantur, & ut regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciantur, ut omni Elementorum usu vivi carere incipiant, & eis cœlum superstitibus, & terra mortuis aufferatur, *l. unic. C. de his qui parentes vel liberos.*

QVÆST. VII.

Vtrum patri homini privato superior locus majorque honor debeatur, quàm filio ipsius magistratum gerenti?

Apud antiquos Romanos, nulla erat dignitas tanta, quæ filium eximeret patriâ potestate id quod vehementer arridet, *Bodin. l. 1. c. 4. de Repub.* Exempla passim sunt obvia, quibus probari potest, antiquitùs parentes de filiis, in ipso articulo muneris publici occupans, supplicium sumpsisse. Cassium quippe consulem, ut primùm abiit magistratu, domi judicatum & damnatum fuisse, non incerti tradiderunt auctores. Sic Audacius pater Flamminei tribuni pl. legem de Gallico agro dividendo, invito ac repugnante senatu, promulganti filio legem & jam pro rostris referenti, manus injecit, &

rit, & privato imperio sacrosanctam potestatem detraxit, quod factum tantùm abfuit, ut vel ipse, vel populus improbaret, ut descenderit sponte, ne minimo quidem murmure destitutæ concionis reprehensus, Valer. Max. *l. 5. c. 4.* Tantum datum fuit eâ ætate auctoritati patriæ, ut sacrosanctam nulliúque impunè objurgandam potestatem violare, & in ipso officii actu in medio concionis applaudentis conspectu impedire potuerit. Sic quod Consuli, quod superiori cuicunque potestati non licuisset, id licuit patri privato. Hinc disputatum invenimus *apud* Gellium *l. 2. c. 2.* & Guazz. *de civil. controvers. Utrum publica dignitas in perpetuum jus patrium extinguat, an verò eo tantùm articulo, quo filius in munere publico occupetur.* Disputatio est habita, inter Philosophũ Taurũ & Præsidẽ Cretæ, qui una cũ patre suo Athenas visendi & cognoscendi causâ ad Taurũ venerat. Introeunte verò provinciæ præside & cum eo patre, surrexit placidè Taurus, & post mutuam salutationnm resedit, atque invitavit patrem Præsidis, ut sederet, ipsum ergò filio prætulit. Contra dixit Præses, hoc modo, sedeat hic potius, qui P. R. magistratus est: absque præjudicio, inquit Taurus, tu interea sede, ut introspiciamus, cui sedere conveniat. Determinavit ergo Taurus quæstionem hoc modo: ut in publicis locis atque congressibus publicis, magistratus præferatur, non habita ratione juris

domestici. In privatis verò, jus domesticum observaretur. Verba Gellii hæc sunt. *In publicis locis atque muneribus, item actionibus patrum jura, cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus collata, interquiescere paululum & connivere, sed cum extra Rempub. in domesticâ re atque vitâ sedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari discumbatur, tum inter filium magistratum & patrem privatum, publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri.* Quam Gellii sententiam, ut veram & approbatam & nos recipimus & approbamus. Nam in tali casu pater non cedit filio, sed Reipub. Quatenus igitur repræsentat Rempub. hoc est, quatenus in eo conversatur loco, eo occupatur actu, in quo vertitur dignitas & potestas Reipub. eatenus cedit pater: in cæteris res redit ad ordinem naturæ. Nam postquam publicam personam exuit filius & ad privatam rediit, vel vitam vel conversationem, consequenter recidit quoque in potestatem patris, §. *filius familias. Instit. Quibus modis P. P.* Quòd nec senatoria nec consularis dignitas liberet, à P. P. *l. 3. de adopt.* Seponendus ergo patri est respectus personæ, quando Rempub. venerari debet in filio, quemadmodum Bathsabea Salomonem accessit supplex cum Adoniæ Sunamitidem petitura esset uxorem, 1. *Reg.* 2. Hinc Fabius Gurges Consul, cùm Fabium Maximum

mum patrem proconsulem obvium haberet equitantem, equo jussit descendere, quod moris non esset Consulem equo adire, quem, tantùm abest, ut pater reprehenderet, ut hortaretur potiùs pergere, eaque auctoritate dignitatem populi R. tueri, Gell. 2. c. 2. in fin. Liv. libr. 24. Plutarch. *in Fab. Max.*

QVÆST. VIII.

Vtrum institutio publica sit præferenda privatæ?

Juventutis institutionem, Aristot. 10. *Eth. 9. & 8. Polit.* 1. in privatam & publicam dividit. Privatam, quæ vel ad solos parentes, vel etiam privatos pædagogos, pertinet, quidam, publicæ institutioni præferendam putant his argumentis. 1. Quia commune bonum ut plurimum negligitur, & negligentiùs, quàm par est, curatur. 2. Quia nemo majorem curam liberorum habet, quàm ipsi parentes, utpote, à quibus nati, educati & enutriti fuerunt liberi. Ideoque privata parentum plus ponderis videtur habere apud liberos, quàm publica aliorum institutio. 3. Quia pueri, qui in Scholis instituuntur, in turba hominum vivunt; Ideoque eò faciliùs pravis eorum moribus & exemplis imitandis corrumpi possunt, quàm qui privatim instituuntur.

untur. 4. Quia adolescentes, qui ad Scholas diversas mittuntur, subinde præceptores & formam institutionis mutant, & sic eandem corruptelæ sortem experiuntur, quàm plantæ sæpiùs translatæ, aut vina crebrò in alia vasa effusa. 5. Quia majore cum fructu labor institutionis paucis, quàm pluribus impendi solet. 6. Quia idem comprobat exemplum Chaldæorum & Ægyptiorum, qui à patribus suis privatim fuerunt in Philosophiâ instituti, virique doctissimi evaserunt, Diod. Sicul. *lib. 2. & Herod. lib. 6.* Sic David moriturus Salomonem ipse instituit, *3. Reg. 2.* August. Cæsar filiam & nepotes informavit, Sueton. *in August.* Julius Cæsar Augustum docuit Xiphilin. *in August.* Carolus Magnus filios suos erudire non est veritus, Aventini *lib. 4.*

Contra institutionem publicam præferendam esse privatæ, probatur his fundamentis. 1. Quia educationis forma illa & constantior & excellentior est, quæ consistit in sapientia & consensu totius civitatis, quam quæ ab unius alicujus judicio pendet. 2. Quia assuescunt pueri à tenero conversari cum hominibus, non reformidare homines, neque illâ solitariâ vitâ pallescere, Quintil. 1. *Instit. c. 3.* 3. Quia publica institutio honestam æmulationem suppeditat, proderit alicujus objurgata negligentia, proderit alterius laudata industria, turpè ducit

puer

puer in istiusmodi æmulatione cedere pari, pulchrum superâsse majores. 4. Quia privata institutio est mollior, propter intemperantem parentum erga liberos amorem. 5. Quia in privatâ & solitariâ vitâ errata & crimina plurima oriuntur: & semper est anteponendum lumen tenebris, maximè iis, qui in luce aliquando vivere cupiunt. 6. Confert etiam publica institutio ad modestiam, uti interim privatim instituti, quia cum nemine se comparant, solos sese sapere, alios tanquam umbras volitare arbitrantur, Quintil. *Instit. lib. 1. c. 2. 7.* prodest etiam eo nomine, ut qualis sit doctrina, quæ traditur, appareat, nec adolescentes decipiantur. Quæ causa etiam Impp. movit, ut ab ostentatione vulgari amoveri juberent, qui magistrorum sibi nomina usurpantes in cellulis collectos undecunque discipulos circumferre consueverunt, *t. t.* C *de studiis liberalibus urbis Rom.* Hinc Franci olim sub quercu discipulos suos docere sunt soliti. Persæ in foro libero, liberos informari curarunt. Xenoph. *lib.* 1. Lycurgus publicè informationem voluit fieri, quia ita assuefecit cives suos, ut nec vellent, nec scirent privatim vivere. Plutarch. *in vita Lycurgi.* Et quamvis rationes pro institutione privata plausibiles videantur; publicas tamen institutiones nou evertunt. Nam quod dictum est, publica utplurimùm negligi, id institutionem

nem publicam nullo modo stringit, sed tantùm negligentiam magistratus vel præceptorum taxat. Ad 2. jam antea est responsum, quia ob amorem & indulgentiam sæpiùs parentes liberos perdunt: *Sæpè patrum segnes facit indulgentia natos:* Quin imò non minor est affectio boni magistratus in patriæ liberos, quàm parentum in filios, nam ut in his & spes sobolis, ita in illis & flos & fructus civitatis. Ad 3. ibidem responsum est. Nam plus mali & pravitatis privata vita importat quàm publica. In publicâ enim institutione vitia taxantur & corriguntur publicè, in privata partim indulgentia parentum, oscitantia pædagogorum, adulatione famulorum supprimuntur vitia, nec pari ratione uti in scholis taxantur. Unde non pravi mores in scholis discuntur, sed in scholas sæpiùs adferuntur, Quintil. *Institut. lib.* 1. *c.* 2. Ad 4. Resp. Committi in illo fallaciam accidentis. Id enim institutioni publicæ non est adscribendum, quòd quidam tam temerario ausu locum mutent. Ad 5. Resp. Committi fallaciam petitionis principii, quia majori cum fructu labor institutionis pluribus, quam paucis impenditur. Ad 6. Resp. Committi fall. conseq. Non enim sequitur, hic & ille privatim suos liberos instituit, ergò privata publicæ est præferenda, *plura hac de quæstione, Vide apud* Casum *in Sphæra*

Sphæra civit. lib. 8. c. 1. p. 472. Jun. *in quæst. Polit. q. 43. p. 50.* Timpl *in Polit. lib. 4. c. 3. q. 3. &c.*

QVÆST. IX.

Quali pœnâ filii contumaces & immorigeri afficiendi?

Filii contumaces & immorigeri pro diversitate delicti variè coërceri & puniri possunt. Si enim delictum sit leve, licitum est parentibus liberos honestè castigare, Si verò atrox, injuria parenti per filium illata, potest illum propria auctoritate incarcerare. *l. si filius C. de P. P.* Cyn. *in l. unic. C. de privat. carcer. & Bart. in l. ex facto, in fin. ff. de hered. instit.* Item potest pater filium ex causa legitima exhæredare, *Nov. 115. c. 3.* vel potest pater filium deferre ad judicem, ut ejus sententia puniatur, *l. inauditum, ff. ad L. Corneliam de Sicariis.* Quòd si verò liberi in parentes blasphemi sint, eos vel verberent vel aliis modis indignè tractent, interdum secundum legem Mosis capite plectendi sunt, *ex constit. Alberti Imp.* Ist derselbige ehrloß ewiglich / und kan zu Ehren und Recht nimmermehr kommen. Si verò eos vitâ spoliaverint, tunc locum habet, *Constit. Constantini Imp. in l. un. C. de his, qui parentes vel filios occid.*

QVÆST. X.

Vtrum per matrimonium P. P. solvatur?

Videtur hoc prima facie omninò asserendum 1. propter textus juris divini, *Gen. 2.* ubi dicitur, *propter hoc derelinquet homo patrem & matrem*, item 1. *Corinth. 7. Vxor non habet potestatem sui corporis, sed maritus.* Item, *Gen. 3. vers. 16. Et ipse dominabitur tibi.* 2. Propter textus juris Canonici, *c. mulierem, 33. q. 5.* 3. Propter textus & rationes juris civilis, quia uxor sequitur familiam & conditionem mariti, *l. fœmina, ff. de senat.* Item etiam forum mariti, *l. exigere dotem, ff. de judiciis, & l. fin. §. item rescripserunt, ff. ad municip.*

Contrà matrimonio non solvi P. P. probatur his fundamentis. 1. Quia nullibi in jure legitur, matrimonium esse modum P. P. solvendi. 2. Expressis juris texibus. *Nam §. 2. Instit. de SC. Tertull.* Mater trium liberorum dicitur in potestate patris esse, *l. 22. §. penult. ff. solut. matrim.* mentio fit filiifamilias mariti. *Et l. 3. §. ff. de donat. inter vir.* maritus in potestate patris existere proponitur, *in l. 20. ff. ad L. Jul. de adult.* JCtus Papin. patri concedit, potestatem occidendi adulterum cum filia, *& l. 2. §. 1. fin. & l. 29. in pr.*

in pr. ff. solut. matrim. Uxor in potestate patris existere proponitur, *& l. 1. §. fin. & l. 8. §. 2. ff. de injur. & §. patitur. Instit. de injur.*

Pro determinatione quæstionis distinguendum putamus, inter potestatem patris & mariti. Diversa enim sunt obsequia: aliud est conjugale & aliud est filiale, quorum unum aliud non impedit nec aufert. In utriusque igitur potestate filia esse potest. Et quidem in potestate mariti, quoad obsequia matrimonii, de quibus Apostolus Paulus, *1. Corinth. 7.* Item, quoad jurisdictionem, & quoad operas. Manet in potestate patris ratione aliorum effectuum: Non enim potest filia nupta vivente patre condere testamentum, *l. qui in potestate, ff. de test.* Item sine consensu patris mortis causâ donare non potest, *l. tam is, §. 1. ff. de don. mortis causa.* Hunn. *in resolut. suis, Instit. tract. 3. q. 35.* Quamvis de consuetudine juris Saxonici, aliter esse introductum testetur, Schneid. *Inst. de patria pot. in fin. & Instit. quibus modis P. P. solv. in fin.*

COROLLARIA.

1. Utrum legitimati per subsequens matrimonium succedant in feudo. Affirmant, Borch. *c. 7. n. 19.* Duar. *de consuet. feud. c. 1. n. 7.* Rüding. *l. 1. lect. feud. c. 16.* Schenck. Baro *in §. naturales, lib. 2. feud. t. 16.* Hart. Pist. *lib. 2. quæst.*

jur. q. 46. Alex. conſ. 60. lib. 2. Guil. Forn. *in comm. de feud.* Negativam tuentur, Vult. *lib. 1, F. c. 9. n. 91.* Rittersh. *in part. feud. c. 13. lib. 1.* Hottoman. *ad d. §. naturales. lib. 2. F.* Hunn. *tr. feud. c. 10. p. 208.* Quos & nos hac in parte ſequimur.

2. Et quamvis de jure civili Romanorum legitimati liberi per reſcriptum Principis, non modo jus ſuitatis, ſed etiam agnationis acquirant: tamen de jure feudorum regulariter non ſuccedunt, Zaſ. *de feud. part. 8. n. 74.* Mynſ. *cent. 5. obſerv. 42. n. 5.* Weſemb. *c. 6. F. n. 11.* Gail. *lib. 2. obſ. 142. n 12. Schurpf. cent. 1 conſ. 1. n. ult.* Schneid. *de feud. part. pr. 6 memb. 2. c. 2. n. 9.* Val. Forſt *in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 6. cap. 39. ubi complures alios allegat*; In qua ſententia & nos firmiter perſiſtimus.

3. De jure communi Romanorum propriè dicuntur minores, qui ætatis annum 14. exceſſerunt & 25. nondum compleverunt, facta computatione de momento ad momentum, ut habet text. *in l. 1. §. 1. & in l. denique, 3. §. minorum. ff. de minoribus*, *& in l. fin. C. qui int. vel. Cur*, *eſſe deſier. pr. Inſtit. de auct. tut.* Unde non ſufficit tetigiſſe ultimum diem, ſed oportet, pervenire ad dici momentum, adeò ut ſi poſtremo die aut ultima hora, quæ ad complementum 25. anni deeſt, deceptus ſit reſtitutioni locus relinquatur, *d. l. denique, §. enim.*

minorem, & l. in omnibus, 6. ff. de oblig. & action. & l. quicquid. 99 in fin. ff. de verb. oblig. Id quod secus est, in materia testamentorum, *l. à quæ ætate, 5. in fin. ff. qui test. fac. poss.* Usucapionum *l. in usucapionibus, 6. ff. de usucap. & l. in usucapione 15 à pr. ff. de diverſ. & temp. præſcript.* manumissionis, *l. de manumiſſ.* in honore consequendo, *l. ad Rempub. ff. de muneribus & honoribus.* Rationem diversitatis vide *apud* Duaren. *comment. ad L. ait prætor. ff. de minoribus, & ad tit. qui test. fac. poss.* Gœd. *ad l. 2, §. 1. n. 26. & seqq.*

4. De jure feudorum, quia dicatur minor, non usque quaque expeditum est. Communiter volunt Feudistæ, minorem in consuetudinibus feudalibus intelligi, quemadmodum jure civili, qui est 25. ann. *per tit. extraord. qi. de invest. vet. & nov. benef. ubi dicitur, investituram novam non posse fieri à minore, 18. ann.* Quibusdam minor est, qui nondum 18. an. superavit. Hotom. *disp. feud. 13.* Tileman. *volum. 1. disp. pand. 11. poss. 34.* Idque ex jure Longobardorum, quo annus decimus octavus ætas legitima dicitur, in aliquibus locis minor intelligitur, tam in specie ita dictus, quàm pupillus in genere, *ut in c. 1. à pr. per quot fiat investit. 1. F. 3.* ubi dicitur, *investituram feudi antiqui posse fieri à minore, hoc est, tàm à pupillo quàm à minore 25. an. uti ibid. Dd. comm. docent.*

cent. Jure Saxonum minorum ætas ætatis anno 21. terminatur. Landrecht / *1. art. 42. vers.* über ein und zwantzig Jahren ist der Mann zu seinen Tagen kommen / & in Lehen-Recht / *cap. 26.* Ex aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris tom. 7. de successione Principum, in Electore Principe tutela anno 18. exspirat: quod in Ducatu Bavariæ sine discrimine dignitatis etiam in plebe receptum est, *ex ordin. Duc. tit. 5. art. 4.*

5. Mater suo potiùs proprio lacte, quàm nutricum, infantem alere tenetur. Constat enim, ex iis, omnium optimè nutriri & conservari, ex quibus res constat: Atqui, cùm ex matris substantia generati sint liberi, matris etiam substantia, tanquam re maximè convenienti, rectiùs nutriuntur. Præterea verissimum est, infantes cùm nondum habeant temperamentum confirmatum, sed impressiones varias, non secus, ut mollis cera, recipiant ex alimento nutricum, quod in succum & sanguinem ipsorum convertitur, temperamentum & naturam nutricum induere. Hinc de Calig. scriptum extat, quod non ex parentibus; sed ex nutrice tyrannidem suam hauserit. De Tyberio legitur, quod per nutricem ebriosam & ipse factus sit ebriosus. Hinc fieri sentiunt Politici multi, quod magnatum & heroum filii plerunque degenerent. Memoria præterea

terea dignum est, quod refert Joan. Casus de Graccho, *pag. 85. Oeconom.* Cùm enim Gracchus nutrici gemmam nobilissimam, vilioren. verò matri daret, irata facta mater, in rationem facti inquisivit, Resp. Gracchus matri, his verbis. Hoc propterea ago, quia tu tantùm novem mensibus me gestasti in utero: hæc verò tribus integris annis, in ulnis & amplexibus me fidelissimè enutrivit. Negâsti id mihi, quod planta ramis, quod simia catulis non negavit.

6. Inter omnes curas domesticas, primar'a esse debet liberorum educatio: toto enim cœlo eos aberrare, *inquit Plutarchus*, qui filiorum suorum curam, divitiis posthabent, eosque imitari illos, qui dum magnam calceorum habent sedulitatem, pedem ipsum parvi pendent. Hinc Crates, *referente Plutarcho*, dicere est solitus, *se in altissimam urbis partem ascensurum, & ita alta voce, si liceret, vociferaturum: Quorsum ruitis, qui omne vestrum studium in comparandis pecuniis ponitis; liberorum verò, quibus easdem relinquitis, nullam planè curam suscipitis*: Rectissimè igitur monet Philosophus *lib. 5. Polit. cap. 8. plus curæ & diligentiæ in liberorum educatione, quàm aliis in rebus esse adhibendum.* Omnia enim sunt & fieri debent propter liberos. Est ergò maxima diligentia in liberorum educatione adhibenda tri-

plici

plici potissimum de causa. Imprimis propter ipsum Deum. Nam ut reliquæ creaturæ propter hominem, ut ipsi inserviant, sunt creatæ: Ita homo propter Deum, ut ipsum celebret & colat. At quomodo colet & celebrabit, si ab infantia & primis incunabulis à parentibus ad pietatem non assuefactus. Præterea fieri hoc ipsum debet, propter Rempub. quia est fundamentum Reipubl. quod nisi probè curetur, corruit & consistere firmiter non potest. Porrò propter ipsos etiam parentes, quia in liberis parentes vivunt, & non divitias, sed liberos suos in æterna vita videbunt. Proinde illis etiam sunt in hac vita solatio, in his in senectute acquiescunt & omnes animi dolores in illos deponunt.

ADDITIO.

Ocio omnia marcescere, & contrà motu servari cuncta, testatur Plato in Tim. *unde* Arist. lib. 7. Polit. ult. cap. monet: *Pueris quarto & quinto ætatis anno, ubi membra ad proportionem pervenerint, motus quosdam à parentibus imponendos esse, non violentos sed moderatos: utpote, ut curam membrorum suorum habeant, membra rectè conformare, & indecenter uti discant. Ad labores autem animi & disciplinam, quarto & quinto anno non sunt cogendi. Labore siquidem animi membra ipsorum, in quibus*

bus tunc temporis naturâ, in nutriendo, augendo & corroborando, tota occupata est, comprimuntur, labor enim animi spiritus animales avocat ad cerebrum & facit, ut reliqua membra nondum consolidata deserantur, & cerebrum frangatur. Quamobrem primo quinquennio, eam tantùm motionem esse adhibendam, ut segnities & desidia corporis evitetur, monet Arist. d. l. *Proinde sexto vel septimo ætatis anno pueros ad disciplinam & artes ducendos tradunt, de his rectè Plutarchus scribit, quod Simias, quæ præ nimio amore catulos suos necare solent, imitentur.*

DISP.-

DISPVTATIO V.

De

CIVITATE ET REPUB. IN GENERE.

Respondente

PETRO BVRCHTORPHIO, Lamspringa-Brunsvvigio, Sax.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

FAmiliis & familiarum partibus, tanquam civitatis membris usque peractis; Consequens est, ut, cujus gratiâ præcedentia præmissa sunt, quæ adipsum Reipubl. subjectum, puta civitatem, immediatè spectant, hâc disputatione perficiamus. Et quia circa civitatem, tria concurrunt; Urbs, Populus & Respub. *Ideò de his singulis breviter hac disputatione videbimus.*

Thesis I.

Cùm totum non melius cognoscatur, quàm ex suis partibus, & *Urbs* congregatum sit, *ex villis*,

villis, vicis, pagis, oppidis, &c. Planum est, antequam penitiùs in urbem inquiramus, de his tanquam partibus urbis, priùs dispiciendum esse.

2. *Sola domus* seu habitatio una, *Villa nobis dicitur, à vehendo*, quòd in illam fructus invehuntur, *quasi vehilla*. *Villa* autem murata, vel muro & vallo cincta *castrum dicitur*.

3. *Vicus* est cœtus hominum in uno loco habitantium & domos suas conferentium. Dictus est *vicus à via*, quæ ab utraque parte ædibus, vel villis septa.

4. Hinc *duplices* sunt vici, *Urbani & Pagani*, *Vici Urbani* sunt plateæ in urbe, ex utraque parte ædificiis cinctæ. In urbe enim fiunt vici connexis & cohærentibus ædificiis, & domicilia conjuncta, ædes dicimus, Cic. *pro Sext.* Vicus paganus, est platea pluribus villis domibusque rusticis, ab utrâque parte, septa. A vicis, vicini dicti, & domus vicinales, *conf. l. 30. ff. ad municip.*

5. Est ergò vicus inchoamentum civitatis & ex numerosis & amplis familiis primitùs ortus, quia societatem conjugalem, sequuntur fratrum, item consobrinorum cõsobrinarumq; conjunctiones, qui cùm unâ domo capi non possint, in alias domus tanquam in colonias exeunt & integrum vicum constituunt. Constat enim ab initio homines vicatim habitâsse,

uti & patrum adhuc memoriâ fuisse in Hispania vicum quendam centum domorum testatur Vives, cujus omnes incolæ erant à sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo à minimis natu vocaretur. Lingua enim Hispanica super abavum non ascendit. *August. lib. 15. de C. D. cap.* 18. Sic narrat historia Scholastica super *Genes. cap. 37. & 38. ex Philone seu Gentili Philosopho, in lib. super Gen.* quòd ex tribus filiis Noæ adhuc ipso vivente prognata sint 24. millia virorum extra mulieres & parvulos, habentes supra se duces tres filios Noæ, quos omnes vicatim, priusquàm civitates condere usus docuit, habitasse certum est.

6. *Pagus* dictus est *vel à fonte*, quem Græci πηγὴν, Dorica verò dialecto πυγὴν: vocant propterea, quod rustici circa fontes gaudebant habitare, ut facilis sit aquatio *Auctore Festo, vel* si malis *à saxoso & montoso loco*, qui πάγος dicitur. Unde Servius Tullius in montosis & naturâ munitis tumulis, tuta agrestibus paravit refugia, quæ πεάγες dixit, ut se eò reciperent omnes ex agris sub adventum hostium & ibidem pernoctarent.

7. *Vox pagi* aliter accipitur apud *historicos*, & aliter apud *Politicos*. Ab *historicis* γενικῶς accipitur pro magno districtu seu jurisdictionis tractu. *Unde Cæsar 1. de bello Gallico scribit:* Helve-

Helvetiam totam in quatuor divisam fuisse pagos, quorum hodiè tredecim numerantur. Politicè accipitur strictè pro rusticanis domibus, seu quatenus designat nudum conventum eorum, qui pastus gratiâ partem ruris insident aut fluentem accoluut, nec dum ad sufficientiam civitatis satis instructam habent cornucopiam.

8. Est ergò pagus hominum cœtus ex duobus vel pluribus vicis collectus absque munitionibus & muro.

9. Differt proinde pagus à vico, quòd vicus propriè nihil sit aliud, quàm locus publicus utrinque ædificiis cinctus, per quem incolæ transeunt, germanicè ein Gasse: Pagus verò constat ex pluribus vicis absque munitione & muro collatis.

10. Oppidum Festo dictum est, quòd opem præbeat, vel quòd ibi opes suas conferant, Isidorus verò ita de eo differit: *Oppidum quidam* ab oppositione *murorum dixerunt: alii ab opibus recondentis, eò quòd sit munitum: alii, quòd sit in eo conventus habitantium & opem det mutuam contra hostes. Nam primùm homines tanquam nudi & inermes, nec contra belluas præsidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipsi inter se homines ab hominibus satis erant tuti, tandem naturali solertia speluncis sylvestribusq; tegumentis, tuguria, casas, virgul-*

tis arundinibusq; sibi contexerunt, quo esset vita tutior, nec iis, qui nocere possunt, aditus esset: hæc est origo, inquit, *oppidorum, quæ quòd opem darent, idcircò oppida opida dixerunt.*

11. Oppidum proinde est pagus amplior nonnihil fossâ, vallo, vel muro cinctus & munitus.

12. Urbs dicitur *vel à causa instrumentali vid. ab urbo vel urvo*, h.e. curvaturâ aratri. Urbũ n. vel urvum curvaturam aratri significat, & urbare vel urvare significat arare vel aratro definire. Antiquitus n. urbiũ ambitus aratri sulco fuit definitus, Varr. 4. *de ling. Latin.* Tholosan. *lib. 2. c. 1. num. 3.* Huc alludit *JCtus* Pompon. *in l. Pupillus 239. §. 6. ff. de V.S. &* Modestin. *in l. si ususfructus, 21. ff. quib. mod. ususfr.* Mos hic erat: Veteres junctis bobus tauro & vaccâ, Hetrusco ritu in condendis urbibus utebantur. Aratro namque sulcum ducere solebant, illoque urbium condendarum magnitudinem definiebant. Et hoc faciebant religionis causâ die auspicato, ut urbs, fossa muroque munita esset, hinc ab munitione mœnia dicta, *Virg. 1. Georg:*

Apta dies legitur quo mœnia signet aratro.

Quin imò non tantùm in urbe condenda aratrum adhibitum fuisse, ut præter dictos, Cic. *in Philip. 2. &* Plutarch. *in Romul.* Sed & in evertenda, Senec. 1. *de Clement. c. ult.* Horat. 1. *carm.*

*carm.*16. Unde Carthago aratrum passa dicitur, *lib.*21.*ff. quibus modis usufruct.* quando expugnata & deleta est, qua de re ex *Alberic.* hos versus citat Dionys. Gothofred. *in not. add. l.*

Vrbs bona Carthago
Cujus non restat imago,
Scripta forma Patrum
Quod passa fuisset aratrum.

Nihil igitur est aliud aratrum inducere, quàm ædificia & muros solo æquare. Sic templo Hierosolymitano aratrum inductum fuisse scribunt *Josephus & Hieronymus.* Et salem inspergere nihil est aliud, quàm ad perpetuam infœcunditatem locum designare. Sic *Sichemo* salem inspersit *Abimelech*, *Jud. cap.* 9. Mediolano Fridericus Barbarossa *Naucl. in Frid.* Per aratrum ergò voluerunt veteres fundum reducere ad pascua & agros; per salem perpetuam infœcunditatem designarunt. Et hæc est illa internecio, quam Judæis Deus minatus est, *Deuter.*13.*cap. si audieris*, 23. q. 5. fore, ut interficiantur gladii cæde omnes, qui sunt in civitate, civitas incendatur igni, & maneat sine habitaculo in æternum, nec reædificetur usque nunc, sed regredimur ad urbis Etymologiam.

13. *Vel* dicta est urbs, *à causa formali nempe ab orbe*, quod sulcus aratri in orbem duceretur.

tur. Nam urbes antiquitùs omnes in orbem fiebant, Tholoſ. *d. l.*

14. Definitur urbs. Quòd ſit multitudo vicorum communibus munimentis & ſecuritate munitorum & ornamentis publicis, & privilegiis exornatorum.

15. Et quamvis appellationes oppidi & urbis vulgò confundantur, propterea, quòd æquè oppidum muris cingatur, atque urbes, & æquè cives nominentur, qui degunt in oppidis, atque illi, qui habitant in urbibus. Hoc tamen inter oppidum & urbem intereſt, quòd ſi reſpiciamus ad originem, oppida non ſint ſolenniter aratro cincta, item quod tam amplum & auguſtum non eſſet oppidum, neque tantis gauderet privilegiis & immunitatibus atque urbes.

16. Conſideranda porrò circa urbem veniunt duo: continens & contentum: Et continens iterum reſpectu totius vel partium eſt conſiderandum.

17. Reſpectu totius cognoſcendus eſt urbis ſitus: ut nempe ejus locus ſit perpetuus, commodus, aquis abundans, ſpatioſus, fertilis, ſalubris, &c. De quibus latè Zwing. *in Theatr. vol. 28.*

18. Reſpectu partium in urbe, conſideranda veniunt tàm publicæ res quàm privatæ.

19. Publicæ res ſunt, quarum poſſeſſio & uſus

usus est publicus & universis civibus communis: Ut sunt: Platea, ædificia & spatia publica.

20. Platea, quæ etiam diverso respectu vicus dicitur, est via publica ex utraque parte ædificiis contiguis coarctata. Numerus plateārum certus in urbibus constitui nequit; sed constituuntur pro latitudine & magnitudine sufficientes, Dan. 4. *Pol. 3.*

21. Ædificia publica sunt vel principalia, vel secundaria. Principalia sunt vel informatoria, vel habitatoria, vel judicialia, vel defensoria, vel phylacteria.

22. Ad informatoria pertinent, Basilicæ, ut sunt collegia Cathedralia, templa, curia senatûs & consiliariorum, item Cancellaria; Scholæ.

23. Ad habitatoria referuntur Palatia & similes ædes habitandi causa factæ. Item ædes commerciales, nosocomia, diversoria, &c.

24. Ad judicialia spectant arces, castella, turres, catarrhactæ, propugnacula omnis generis. Item mœnia; fossæ ac munimenta portārum.

25. Phylacteria appellamus, in quib. aliquid asservatur, ut archivum, ærarium, bibliotheca, armamentaria, granaria & omnis generis promptuaria; quo etiam referendum est, Exoticomathium hoc est, ædificium, in quo asservantur res antiquæ & peregrino ex orbe advectæ; utpote reperiuntur apud Illu-

ſtriſſimum Potentiſſimum Principem & Electorem Saxoniæ, nec non apud illuſtriſſimum & Celſiſſimum Principem Bavariæ Monachii, germanicè ein Kunſt-Kammer.

26. Secundaria ædificia ſunt, quæ ſunt conſtructa ad exercitia & amœnitatem; ut ſunt; Pergula, theatra, balnea, nymphæa, domus conviviorum, item ſtructuræ, arti pugnatoriæ, luſui pilarum & aliis exercitiis corporis, deſtinatæ multis in locis habentur.

27. Spatia publica vel ad uſus publicos, vel, ædificia aſtruenda relicta ſunt: forum, portus, fontes, pomærium, cæmiterium.

28. Ad privatas urbis partes referuntur ædes privatæ & ſimiles poſſeſſiones, quarum, poſſeſſio & uſus privatorum eſt.

29. Urbs porrò duplex eſt. Alia dicitur Metropolis & alia communiter urbs dicitur, *l. 6. ſi duas, §. autem, 2 ff. de excuſat.*

30. Metropolis, uti conſtat ex notatione vocabuli, eſt mater reliquarum civitatum, à qua aliæ tanquam filiæ originem habent. Conſtat enim apud Romanos, cùm propter ingentem hominum copiam Roma non ſufficeret, populos in colonias miſſos. Fuerunt enim Coloniæ nihil aliud, quàm oppida & urbes, in quas Romani populum abundantem miſerunt; atque ſic Roma Metropolis facta, hoc eſt, mater aliarum civitatum, propterea, quòd reliquæ

quæ civitates, & oppida ab eadem progenita videantur, Tholos. *l. 2. c. 1. n. 9.*

31. Nobis autem Metropolis non tantùm est civitas vetustissima, à qua reliquæ originem duxerunt; Verùm illa, quæ omnium maxima mœnibus & aliis propugnaculis firmissima, dignitate, amplitudine & omni commoditatum & virtutum genere, modoque gubernandi & administrandi & reliquis munimentis, quibus tempore belli suppetias & auxilia ferre, perfugiumque reliquis præbere queat, abundantissima & exornatissima, *Tholosan. d. l. Dan 4. Polit. 2.*

32. Urbs igitur communiter sic dicta, est quævis alia, quæ à Metropoli pendet, & olim Colonia dicta.

33. Coloniarum enim origo est vetustissima & à primis gentibus ut Vellej *l. 1 c. 14. & 15.* docet, introducta: sed à Romanis longius latiusque deducta. Cyrene enim, jussu oraculi ex Græcia transplantata, & novæ instar Coloniæ Africano solo inserta legitur apud Herod. Athenienses ex responsis Apollinis Delphici, communi consilio totius Hellados, XIII. Colonias eodem effuderunt tempore in Asiam, quarum seriem, vide apud Vitruv. *lib. 4. cap. 1.* Sic Apolonia & Syracusa Corinthiorum, Epidamnus Corcyreorum, Alexandria in Ægypto, Seleucia in Assyria, Babylon in Mesopotamiâ,

Macedonum Coloniæ dicuntur. Nec defuerunt, qui Romam ipsam Coloniam Græcorum esse contenderint, Strabo *libr. 5.* Idque Cælius putat probari hoc argumento, quòd Græco more sacrificassent Herculi. Romanorum Coloniæ tot fuerunt tam extra Italiam, quàm intra, ut hoc papyro comprehendi non possint.

34. Neque unum idemque sunt Colonia & municipium, quia teste Gell. *l. 16. cap. 13. Municipes sunt cives Romani ex municipiis, suo jure & legibus suis utentes, muneris tantùm cum P. R. honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videntur, neq; ulli P. R. lege adstricti:* & JCtus Ulp. *l. 1. §. 1. ff. ad municip. propriè, scilicet appellari muneris participes, receptos in civitatem, ut munera nobiscum facerent.* Item Sext. Pomp. *municipes erant, qui cùm ex aliis civitatibus Romani venissent, eis non licebat magistratum capere.* Contrà verò Coloniarum alia fuit necessitudo. Non enim veniebant extrinsecùs in civitatem, nec suis radicibus nitebantur; sed ex metropoli quasi propagatæ erant, & jura institutaque P. R. non sui arbitrii habebant. *Ita* Augustin. *de Civ. Dei* ait: *Colonias civitates ex majoribus civitatibus tanquam populorum examinibus conditas.* Nec distinguuntur Coloniæ & municipia ex eo tantùm, quòd illarum cives è civitate Rom. educantur,

cantur, horum v. in illam reducantur; sed præcipuè etiam Coloni recipiant Magistratus & leges, nec non sacra P.R. Municipes verò cum accessione novæ civitatis retinent formam & leges prioris Reipubl.

33. Contentum urbis civitas est. Dicta a civitas est, q. civium unitas Tholos. *l.* 1. *de Rep. c.* 3. *in pr.* vel à coëundo, quòd in illâ cives vinculo quodã societatis in unum cœtum coëant. Quomodo v. veteres Latini quondã istâ usi sunt appellatione, *ex Verr. Flac.* adfert Bod *l* 1. *c.* 6 *p.* 77.

36. Et quamvis non rarò civitatis & urbis appellatio confundi soleat: id quod apud disciplinæ civilis interpretes familiare esse *ex Accurs. in l. ult. ff. de præscript. long. temp. Alexand. in l.* 2. § *si autem, ff. admunic. Angel. in l. ult. ff. de jurisd. Bl. in l.* 3. *ff. de natur. lib. Bart. in l. urb. appell. ff. de V. S. Oldrad. cons.* 176. *Cyn. Salic. & alios probat Bodin. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 49.

37. Nobis tamen ista duo distinctè sunt tenenda. Urbis enim appellatio muris & mœnib, finitur, JCtus Paul. *in l. urbis appellat.* 2. *ff. de V. S.* & loco certo est alligata. Civitas verò neque loco certo alligata, nec muris seu mœnibus concluditur: Hinc urbes sæpiùs everſæ sunt salvâ civitate. Exẽplo nobis est Carthago. Nã cùm Cato, dicente *Floro l.* 2. *c.* 15. inexpiabili odio delendam Carthaginem pronunciaret; Scipio verò Nasica servandam diceret, ne videlicet

licet ablato metu & æmulatione, luxuriari felicitas urbis inciperet, mediam ire viam senatus constituit, ut urbs tantùm loco moveretur. Legatis ideoque Carthaginensium responsum est datum, obsides cum classibus traderent, civitati & privilegiis nihil ademptum iri. Quod cùm Carthaginenses de muris & ædificiis interpretarentur, Scipio Africanus Junior ad urbem delendam missus, qui cum evocatis principibus urbis, si salvi esse vellent, ut migrarent continuò finibus, imperavit, & Principes secum contra pacta conventa agi objicerent, sic respondisse Scipio fertur: malè illos interpretari de urbe, quod promissum de civitate.

38. Per *civitatem* ergò in propria significatione, nihil aliud intelligimus; quàm ipsum *populum*, qui in societatem civilem ideò conspiravit, ut rebus meliùs consuleret. Et quia *civium unio* & congregatio faciat civitatem, sicuti collegarum conventus facit collegium, & civis non definiri potest ex muris, portis & ædificiis, sequitur, quòd nec civitas ex iis æstimari possit propterea, quòd civis & civitas sint in uno prædicamento, non secus, ut socius & societas; æqualis & æqualitas.

39. Cùm ergò ex civibus omnis cognitio civitatis pendeat, priusquam penitùs in ipsam civita-

civitatem introspiciamus, de civi, civiumque differentiis & juribus breviter videbimus.

40. Civis absolutè & simpliciter, nullo habito respectu ad Rempublicam definitur: *Quod sit socius multitudinis, qui particeps est suffragiorum, & juris de Repub. statuendi τὸ ἀντέχειν κελεύσεως καὶ ἀρχῆς, Aristot. 3. Polit. 1. & 2.*

41. Quamvis non rarò *civis & subditus* confundantur; nobis tamen hoc loco omninò distincta esse debent. Civis enim vocabulum cum hoc loco absolutè & abstractivè consideretur nullo habito respectu ad Rempublic. subjectionem actualem nullam designat, sed communionem & socios æquales denotat. Verùm cũ Respub. quæ est forma & ordo illius societatis, varias habeat species, factum est, ut hodiè ratione Reipublicæ varia sit civium conditio. Respublica ergò est, quæ vagam civium libertatem contrahit & circumscribit. Quantum igitur interest inter civitatem & Rempublicam tantum etiam interest, inter civem & subditum. Hinc fit, ut distinguantur civilia à juribus Reipubl. Uti videmus in pluribus civitatibus, quod ea quæ sunt civitatis germanicè die Stadt-Sachen / sint tantùm penes senatum civitatis; Ea verò quæ sunt Reipubl. germanicè die jurisdiction. Sachen penes magistratum superiorem. Diverso

verso ergò respectu aliquis civis & subditus esse potest; Civis, ratione societatis civilis; subditus ratione Reipubl.

42. Hinc civium distinctio oritur: Alii enim *veri* dicuntur cives alii contrà *anologicè tantùm cives* sunt: *Veri* iterum duplices sunt Perfecti sive in toto, vel ex parte.

43. Verus civis ille est, qui habet plenum ac totum jus civitatis, hoc est, qui habet non tantùm potestatem utendi fruendi omnibus commodis privilegiis ac libertatibus, quæ ratione societatis civilis, civibus competunt; Verùm etiam, qui sunt capaces magistratus & suffragiorum ferundorum. Differunt enim, jus civitatis, suffragiorum & magistratus secundùm gradus: nec statim cum civitate alicui obveniunt. Nam Cærites civitatem obtinuerunt, sed sine suffragio, Gell. 16. *cap.* 13. Sic plebs in civitate R. ante legem Valeriam, jus suffragiorum non habuit, Plutarch. *in* Val. Liv. *lib.* 2. Halyc. *l.* 5. Cic. *lib.* 3. *de ll.* & 2. *de orat.* Nec ad magistratus aspiravit auctoritatem Plebs Romana, donec ad sacrum montem extorsit Tribunos plebis. Unde apparet ad civem Romanum, ut sic & absolutè acceptum, non requiri præcisè jus suffragiorum ferendorum, vel potestatem adeundorum magistratuum. Nam plebs Romana dignitatem magistratus diu per annos 142. solis patritiis cessit, nisi quis

per

per seditionem fortè, ex plebe Tribunus Militum, consulari potestate crearetur extra ordinem. Sed quia hodie verus civis ex natura status & conditione Reipubl. æstimandus, hic determinatè de vero cive loqui non possumus. Accidit enim ratione Reipubl. formæ, ut, qui in uno Reipubl. statu, est verus civis, in alio non sit verus. E. g. qui in Democratiâ est verus civis, in Oligarchiâ non est civis.

44. Apud Romanos verò cives perfecti fuerunt Patritii, qui quantis privilegiis & dignitatibus præ reliquis nationibus gavisi sint, historiarum annales replicanti non potest esse ignotum, majestatis enim nomen affectarunt, & amplissimos Galliæ proceres fastidiosè spreverunt, *ut Cic.* indicat *pro Rabir.* imò *L. Junia & Porcia*, omninò sanctos & inviolabiles se constitutos jactarunt Liv. *l. 2. & 10.* Valerius Maxim. *l. 4.* Et sic pro singulari illo fastu peregrinos non facilè in civitatem receperunt; Tranquil. *in Aug.* Quod imitati sunt Veneti *Statut. Venet.* Bithyni. Plin. *l 10. c. 84.* Londinenses, Polyd. Virg. *in histor. Richard.*

45. Ex parte Cives sunt: Incola & confœderatus.

46. Incola, qui & alio nomine forensis vel advena dicitur, est, qui domicilium quidem habet in civitate & uno partiali civitatis jure, non

non tamen omnibus uti potest, & talis incola obligatur ad observantiam consuetudinis ejus loci, in quo habitat, *l incola. 29 ff. admunicip.* Incolatus hodiè passim in civitatibus germaniæ post annum acquiritur, neque permittit magistratus, propter communia civium onera, advenam diutiùs ibi morari, si lapso anno jura civium redimere nolit, Gail. 2. *observ. 35. numer. 8.* Nisi fortè vocationis seu professionis suæ expediendæ gratiâ ædes sibi acquisivit, Vide Cothman. *vol. 2. cons. 73.*

47. Inducitur enim domicilium non nudâ contestatione, *l. 20 ff. admunic.* nec solâ domus emptione, *l. 17 §. 13. d. t.* sed re & facto, *d. l. 20.* juncta *l. 27. eod.* Id est, ipsa habitatione concurrente cum animi contestatione, seu quando quis ita singularem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, ut ex eo loco rursus discessurus non sit. Id quod ex circumstantiis & conjecturis facilè patet, verbi gratiâ si aliquis studii causâ, vel cognatos & propinquos visitandi, vel servitii causâ, aut quietis gratiâ, in loco commoratur, domicilium nullo modo contrahit, Vide Cothman. *d. l.*

48. Confœderatus civis ille dicitur, qui jure fœderis & pacti inter unam & aliam civitatem mutuò initi, jus civitatis habet: quale pactum

ctum est inter Bernates & Genuenses in Helvetiâ, Bodin. *l.1.c.6.*

49. Analogicè cives dicuntur Honorarii & Inquilini.

50. Honorarius civis est, cui jus civitatis honoris causâ oblatum est, quales hodie multi sunt honorarii cives Romani, Augustani, &c. Hi cives tantùm à veris civibus absunt, ut de utrisque nomen civium non dicatur, nisi æquivocè, quibus præter splendorem & dignitatem, nihil cum veris civibus commune. Nomen enim civium tantùm gerunt, jura non attingunt. Quod nomen honoris civem imperio, munere vel onere nullo modo stringit. Nec Evagora Cypri Rex, Antigonus & Demetrius Asiæ, Cotys Thraciæ, Dionysius Siciliæ Tyrannus, imperio Athenienſium se subjecerunt, vel privilegiis urbis uti voluerunt, cùm oblatam civitatem ab Athenienſibus acceperunt. Sic neque Alexander Macedon. Rex se Corinthiis subjecit, ubi civitatem oblatam ab iis accepit.

51. Inquilinus est, qui in civitate habitat animi vel negotiorum causâ, qualiacunque etiam sint, sive liberalia, sive illiberalia, sive militaria sive civilia quævis: ut nobilis, studiosus, miles, mercator, opifex. Hi enim omnes prædicto modo in civitate viventes præter jus

habitandi & commorandi nihil obtinet, Keck. *libr.* I. *Syst. cap.* 15

52. Acquiritur autem civitas juxta *ICtum Vlp. in l.* 1. *ff. ad municip.* trib. modis, qui attinguntur, *in l.* 7. *C. de incol.* puta; *nativitate, manumissione & cooptatione.*

53. *Nativitate*, quia liberorum conditio rectissimè æstimatur ex conditione parentum, à quibus vitam traxerunt. Unde & talis civis dicitur Originarius & naturalis. Althus. *c.* 5. *Polit* Sive ex utroque parente, sive patre saltem cive genitus, *l.* 1. §. 2. *ff. ad municip.* Et quidem tantum est originariæ civitatis jus, ut nemo ei renunciare possit de jure civili, quocunque enim se transfert civis originarius, nihilominus jus originis retinet, *l.* 4. *C. de municip.* nempe, quoad jurisdictionem: Forum enim originis amittitur relicto originis domicilio & alibi novo constituto. Id quod hodiè de consuetudine generali secus est, qua domicilium aliò transferēs desinit esse civis, tàm quoad munera, quàm jurisdictionem, Gail. 2. *obs.* 36. *n.* 7. & *seqq.*

54. *Manumissione*: libertos enim apud Romanos in civium censu fuisse habitos *l.* 2. *C. de municip. &* §. *ult. vers. quia & à primis instit. de Libert.* Quamvis minùs cives erant, quàm ingenui. Sed hic modus cum servitute antiquâ ab usu recessit.

55. *Coo-*

55. *Cooptatione* sive illectione, *l. 7. C. de incol.* Quando scilicet peregrini, consensu & suffragio magistratuum, in communionem & jus civitatis recipiuntur. Unde & cives assumpti, voluntarii, adscripti, adoptati vel allecti dici possunt, *Vide* Gothofr. *ad l. 1. ff. ad municip.*

56. Amittitur contra jus civitatis, quando quis se suaque bona in alium locum transfert, *Bl. in l. 2. C. de inf. expos.* Afflict. *decis. 384.* Menoch. 2. *A. J. Q. c. 796. n. 13.* Quæ tamen translatio, hodie secundum cujusq; loci consuetudinem onere plerumque fit, ut nempe pro bonis pensitatio, Nachsteuer detur, *Gail. 2. obs. 36. n. 110.*

17 Et quia Consensu, tam Philosophorum. quàm JCtorum non dicam æqualis, sed plus debeatur gratiæ, Patriæ, quàm parentibus, *arg. l. 35. ff de relig. & sumpt fun.* Ea enim ratione patriæ salutem præferre debet, *quod publicam perdendo privatam nequaquam servet.* Lævinius *Consul apud Liv. libr. 26.* Quidni etiam communem patriam si contentio exorta fuerit, anteponas privatis: cum salus in publ. contineatur concluſa, Val. Max. *l. 5. c. 6.* Hinc. *Cic: Non nobis solum nati sumus, sed maximam ortus nostri partem sibi patria vindicat.* Sequitur, quod nemo debeat deserere patriam invitam. Hinc omnibus Principibus omni tempore jure civitatis & Reipubl. licuit peregrinaturos ad ini-

micas suspectasque regiones, in salutem publicam, domi detinere & ab externis bellis ad commoda patriæ secludere: Item ab exteris regionibus revocare & prohibere, ne ad externam militiam proficiscantur.

58. *Definitur* civitas, quod sit *societas ad benè vivendum & domibus & familiis instructa vitæ perfectæ & abundè instructæ gratia.* Aristot. *5. Polit. 6.* Seu *est societas plurium vicinitatum perfecta, quæ habet omnia, quibus opus est ad vitam beatam*, Arist. *1. Polit. 2.* Paulò secus ait, *lib. 3. cap. 1.* Civitas est multitudo eorum, qui judiciorum & imperiorum sunt participes & vitæ usibus necessariis instructi.

59. Magnitudinem civitatis, quod attinet, non facimus cum Canonistis qui magnitudinem civitatum ex numero Episcoporum metiebantur, *ad c scitote, 6. in pr. q. 3.* Quâ de causâ Abbas, *in c. constitutus. 2. de test.* Bohemiæ Principem non Regem, sed Ducem extitisse scribit, cùm non haberet, nisi unum Episcopum Pragensem. Quorum sententiam refutat *gl. in c. si civitas, de sentent. excomm. in sex.* quia & ante Episcopos erant civitates & post Episcoporum institutionem, non enim fuerunt in omnibus civitatibus positi Episcopi, sed tantùm in magnis & populosis, *Vide Thol. l. 2. c. 1. n. 6.*

60. Por-

60. Porrò certus & definitus numerus civium ad civitatem constituendam non requiritur: sed pro qualitate Rerumpubl. & conditionibus locorum sunt assumendi. Nam sicuti pauciores, quàm par est ad benè vivendum sibi non sufficiunt, ita plures, quàm regi possunt, non minora afferunt incommoda. Quamobrem tutissimum erit mediâ incedere viâ, & mediocrem civium copiam perfectæ Reipubl. seligere. Arist. 7 *Polit.* 4.

61. Distinguitur proinde civitas à Republ. ut materia à forma. Est enim Respublica ordo, vita, forma & anima civitatis. Nam uti materia per formam, recipit unitatem, & existentiam: ita civitas per Rempubl. efformatur, Et sicuti subjectum non continet in se, quæ performam demum superventura sunt, sed iis subordinatur tantùm: sic civitas per se non continet jurisdictionem, majestatem & leges, sed ea omnia demum per Rempubl. in civitatem introducuntur. Civitas igitur h. l. ab omni majestate, legibus, jurisdictione & cæteris Reipubl. partibus est abstrahenda.

62. Variæ traduntur definitiones Reipubl. quas huc adferre non opus puto: Illud tamen monemus, minus esse accuratam definitionem, quam Bodinus adfert, *in pr. lib. de Repub.* quem propterea rectè refutat, Arnis. *lib.* 1. *Polit. cap.* 5. *sect.* 5. *pag.* 388. Nos ergò ex Arist.

repetimus definitionem Reipubl. talem: *Quòd sit ordo consistens in regimine summæ potestatis & magistratus.* Verba Arist. *3. Polit. 4.* hæc sunt: ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων.

63. Et tantùm de societate civili, quæ universitas dicitur: sequitur jam de illa, quæ dicitur collegium vel corpus.

64. *Collegium* dicitur *vel à colligando vel eligendo*: à colligando, quia collegæ colligatione societatis & complexu amicitiæ, quæ vigere inter collegas debet, tenentur. Hinc collegæ etiam dicuntur, qui simul habitant, quasi unà sese colligant. Ab eligendo, quia ad idem munus & officium collecti dicuntur, Varro *lib. 5. de ling. Lat.*

65. *Vox collegii* dupliciter accipitur, *Generaliter & Specialiter. In genere* significat congregationem & societatem quorumcunque hominum. Quâ in significatione collegæ dicuntur contutores, cohæredes, magistratus, ejusdem potestatis, qui conjunctim habitant & lecti sunt ad idem munus, *l. collegarum, 173. de V. S.*

66. *In Specie* definitur, *quòd sit legitima trium pluriumvè personarum ejusdem conditionis, professionis & ordinis consociatio, l. 4. ff. de colleg. & corporib. & l. Neratius, 85. & l. 173. ff. de V. S.*

67. Ad

67. Ad collegium constituendum adminimum tres personæ requiruntur, *l. Neratius, 85. ff. de V.S.*

68. Generaliter omne collegium prohibetur, nisi lege, SCto vel constitutione approbetur, *l. 1. & 3. §. 1. ff. de colleg. & corp.* Hinc privatus non habet potestatem constituendi collegium, *c. dilecta, 14. ext. de excess prælat.* Sed illud inire oportet ex auctoritate superioris, *l. 3. §. 1. de colleg & corp.* Et Princeps prudenter fecerit, si non permiserit ullum collegium à subditis institui, cui ipse sua auctoritate non præsit per personam aliquam à se ipso delegatam, *Schönb. lib. 1. Polit. c. 11.*

69. Constituuntur autem collegia non ex qualibet causa, sed tali, quæ est justa & legitima & ad communem utilitatem pertinet, *l. Collegia, 3. ff. de Colleg. & corp.*

70. Quia collegium sit societas, ergò communione quadam est opus. Est ergò inter collegas, communio rerum, operarum, juris & benevolentiæ.

71. Rerum communio inter collegas facienda, consistit in mutua singulorum collegarum contributione & acquisitione. Proinde communes habent res utpote arcam, actorem & Syndicum, *l. 1. §. quibus, 1 ff. quod cujusq; universi. nomine.*

72. Operarum respectu, possunt collegæ pa-

ctionem, quam velint inire, *l. sodales. 4. ff. de colleg. & corp.* Sunt enim istiusmodi operæ aliquando pares, aliquando impares, prout ergo constitutum, ita postmodum servandum venit.

73. Juris communicatio inter collegas certis pactis & legibus exprimi & confirmari, inque certum quendam librum describi debet. quod jus vel communi collegarum consensu receptum & introductum est inter collegas; vel speciali insuper privilegio superioris magistratus collegis concessum & indultum.

74. Ex quo jure communi singulorum consensu inter collegas recepto, collegæ etiam mulctari possunt, qui contrà collegii leges aliquid admittunt, quæ mulcta fisco seu arcæ communi collegii inferenda. Quod autem sic collegio debetur, non singulis sed universis debetur; Uti quod collegium debet nec singuli debere dicuntur, *l. sicut, 7. §. si quid. 1 ff. Quod cujusque univers. nom.*

75. Edictum collegii valet ex eo, si major pars consenserit, *l. 19. ff. ad municip. c. cùm in cunctis. 1. extr. de his, quæ fiunt à major part.*

76. Benevolentia mutua & reciproca est affectus & charitas collegæ singularis erga collegam, cum concordia, quaidem volunt collegæ & nolunt ad communem utilitatem sine dissidio, *arg. l. 14. ff. ad municip.*

77. Dif-

77. Differt collegium, corpus & universitas, tanquam pars & totum: Collegium enim est pars respectu corporis, & corpus pars respectu universitatis.

78. Hinc ex Collegiis pluribus & personis conditione dissimilibus coalescit corpus, ut collegia consulum, tribunorum, senatorum, unum constituunt corpus: Sic ex diversis Collegiis Academicis unum corpus constituitur, cui si annumerentur omnes Academici cives, fit universitas.

Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum urbes muris cingendæ & regiones arcibus & propugnaculis muniendæ?

Uberrimâ verborum copia contra muros insurgit Bodin. *lib 5. c. 5. de Repub.* Uti contra arces & propugnacula Principum in regionibus maximis sumptibus instructa & exædificata, *Machiav. lib. 2. disp. c. 24.* Bodini argumenta dicto loco hæc sunt: 1. Quia muri urbium cives reddunt partim ignavos & otiosos, partim securos & confidentes, Idque confirmat Bod. *d. l.* auctoritate Cleomenis fortissimi Imperatoris, de oppido, arte & natura munitissimo, dicentis:

tis: *O muliebres latebras.* Item auctoritate Lycurgi, qui Lacedæmoniis non tantùm arces & propugnacula ademit; verùm etiam mœnia & muros sustulit, *ne in mœnibus & muris; sed in animi fortitudine præsidia salutis collocarent* 2. Putat Bodinus inter se pugnate, urbes valdè munitas, & fortes cives habere, & addit, quod nec strenui videri possint; qui murorum præsidia quærunt. Confirmat suam sententiam exemplo Tartarorum & Æthiopum, qui nullas habent arces, nullas urbes, ac ne oppida quidem vallo munita, sed in tentoriis tantùm totam vitam agunt, & tamen maximis imperiis ac bellicis laudibus clarissimi putantur, Sic Negus Maximus antea quidem Indorum, nunc vero Æthiopum Imperator, cui Reges, attestante Jovio, quinquaginta obediunt: semper in tentoriis versatur, nec arcem ullam tam latè patentibus regnis habet præter eam, quæ à majoribus suis in Anga monte excelsissimo exstructa, in qua Principes severiore disciplina educantur, ne plebem seditiosis factionibus à Regis obsequio divellant. Nulli tamen toto terrarum orbe Reges Æthiopum ac Tartorũ Regibus vel imperandi majestate superiores, vel subditorum obedientia sacratiores; vel hostium legionibus formidabiliores esse memorantur. 3. Quia hostibus præbent tutum receptaculum, quæ suspicio Matthiam Ruerum Urbinatum Ducem commo-

commovit,ut cùm se hostium copiis imparem, exploratum haberet, omnes suæ ditionis arces diruerit,ac Venetias se receperit,nec spes illum fefellit,nam postquam populatis agris ac direpto suppellectile, nullas integras arces invenerunt, regionem illam rursum deseruerunt hostes,&sic Dux Urbinas salvus & incolumis domum rediit. Cæteri verò Principes in suis propugnaculis capti & cæsi sunt. Ita veteres Syracusani Achradinam, Romani, Corinthum, Numantiam, Carthaginem, deleverunt. 4. Quia ansam tyrannidis præbent Principibus improbis.Propterea gentes, arces appellarunt nidos tyrannidis & juga populorum.Ut Grillerus Helvetiorum præfectus Uranam arcem, quam ipse exstrui jusserat Zwing Uri, id est, Uranorum jugum ac flagellum appellabat,unde tyrannidis illius præfecta & origo defectionis Helvetiorum,à Domo Austriaca,uti ex annalibus & monumentis satis luculenter constat. Quæ ratio etiam movit Flaminium ut ad Græciam tyrannidis metu liberandam tres arces, Acrocorinthum, Demetriadem & Chalcidem, quas Philippus Macedoniæ Rex, Græciæ compedes vocare solitus fuit, funditus everteret. Quia urbes & loca munita Principibus & aliis vicinis populis suspicionem & diffidentiam ingenerare solent.Quamobrem nec Reges Anglorum, nec Moschovitarum rusticas domus turri-

turribus aut propugnaculis, ac ne vix quidem vallo fossave muniri patiuntur, ne sit occasio rebellandi. 6. Quia nullæ urbes, hodie tam munitæ esse possunt, ut his potissimum temporibus, quibus tormentorum bellicorum vi & impetu, non urbes modo, sed & montes; concussis fundamentis subruuntur, hostium vim ferre & sustinere possint, *Machia vellus* utitur *d.l.* hoc argumento; *Arces & propugnacula exstrui solent, vel ad arcendos hostes, vel ad subditos compescendos, & in officio retinendos: Atqui ad priorem usum nullo modo sunt necessariæ, ad posteriorem sunt inutiles & noxiæ.* Noxiã esse dicit ad compescendos subditos, quoniam rebellionis periculum, quòd semper cavendum, oriri solet ex odio subditorum adversus Dominos concepto. Nam Principes si valde munitas habent arces, injuriis afficere subditos, eosque malè tractare pro arbitrio, & libidine dominari & domare posse putant. Non necessarias esse arces ad hostes, quia civitatis robur nõ positũ est in lapidibus, sed in præstanti fortissimorum civium virtute, qui pro aris & focis, pro liberis & libertate, pro civitate & patriâ, pro fama & vita fortiter dimicant: Proinde illam munitissimam arcem dicit *Machia vell. Si quis habeat subditorum benevolentiam & vicinorum favorem, nitatur propria virtute, &c.* Plura de his vide apud *Cod. & Machiav. d.l.*

Nostram

Nostram sententiam in hac controversia, pauciſſimis verbis, præmiſſa una atque altera limitatione, aperiemus. 1. diſtinguen. putamus inter ipſam eſſentiam civitatis & inter majorem ſecuritatem civitatis & regionis. 2. Inter verum uſum & inter abuſum propugnaculorum. 3. Inter id, quod per ſe, & quod per accidens accidit. 4. Inter civitates liberas & municipia principium.

Quibus præſuppoſitis hæc ſit noſtra ſententia, quod muri, arces & propugnacula, nullo modo pertineant ad conſtitutionem & eſſentiam civitatis, ſiquidem, uti rectè dictum eſt à Bod. robur civitatis nō cōſiſtit in muris & lapidibus, ſed in præſtanti fortiſſimorum virorum virtute & experientia. Id quod Ageſilaus etiam judicare voluit, dum Spartanos juvenes armatos oſtendens, inquit: *Hæc ſunt Sparta mœnia*, Plutarch. *in Ageſil.* Verùm ad majorem ſecuritatem, contrà incurſiones hoſtium, item direptiones puerorum, cædem ſenum, ſtupra & adulteria fœminarum, non parum conducunt. Quamobrem antiquiſſimas etiam urbes muris cinctas & regiones propugnaculis munitas paſſim invenimus. Sic Babylonis muri in ambitu ſuo. 385. ſtadia habuerunt, Cæl. *l. 8. 6. 12.* De Jerichunte vid. *Joſ. c. 6.* de urb. Hetruſ. Plutarch. *in Camil.* de Carthag. Diod. Sicul. *l. 20.* Romani non urbes modò, ſed & exercitus locis omnibus

mnib. vallo ac fossis munire docuerunt, nec sine castris prælia gesserũt, Paul. Æmil. *Imp. in orat. ad milit. apud* Liv. *l. 35.* Quibus accedit & hoc, quod ipsa natura munitiones & docere & suadere videtur: Illa enim bestiis sua decrevit lustra in quibus tutò vivant, Veget. *l. 3. de re milit. cap. 1.* & aves in securioribus locis suos nidos constituere facit, Tholos. *lib. 2. de Republ. cap. 1.* Imò quasdam urbes, & paludibus, montibus, & fluminibus ipsa munit, Veget. *lib. 4. cap. 1.* Sic Hierosolymam non tantùm arte; verùm & natura munitam testatur, Joseph. *lib. 6. cap. 6.* Addo, quòd muri & sancti & inviolabiles semper habiti, uti testantur; Marcianus *in l. 8. §. 2. &* Ulpian. *in l. 9. §. 4. &* Pompon. *in l. ult. ff. de divis. rer. & qual.* Ad argumenta *Bodini*, quòd attinet, negamus, arces & propugnacula pugnare cum fortitudine civium; nam si nuditas robur animis ingeneraret, cur fortissimi quique casside, & clypeo teguntur, cur non potiùs nudi milites ingrediuntur: reliqua argumenta fallaciâ accidentis, partim inconsequentiæ, partim à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, laborant. Simili ratione & argumentis Machiavelli occurrimus.

QUÆST.

QVÆST. II.

Vtrum cohabitatio Civium pertineat ad essentiam civitatis?

Cohabitationem civium necessariam esse ad constituendam civitatem negamus, quia auctis Rebuspubl. non solum illi dicti sunt cives, qui muris continebantur, sed qui per universam provinciam habitabant, sicuti D. Anton. Cives Romanos jubet esse; quicunque in orbe Romano vivunt, *l. in orbe. 17. ff. de stat. hom.* Id quod Imp. Justin. non tantùm ratum habuit, sed & latiùs adhuc extendit, *Novell. 78. cap. 1.* Nec verò tantùm ad comitia, sed etiam ad summos honores olim rure vocabantur Romani. Nam Attil. Regul. sua manu spargentem semen, qui missi erant, invenerunt, Cic. *pro Roscio Amer.* Val. *lib. 4. cap. 4.* Sic L. Quinctio aranti sua rura, delata est dictatura, Val. *ibid.* De Lucullo testatur Plutarchus, quod magnificentiæ & invidiæ satur, in villam suam secesserit. Usque adeò cohabitatio civem non facit, nam quamvis Pompejus Attic. domicilium suum non tantùm extra urbem, verùm Athenas transtulerit; Romanam tamen civitatem non perdidit. Sic omnes Helvetici pagi, Rheno, Rhodano & monti Juræ inclusi, unam con-

constituunt civitatem, Cæsar *lib.* 1. *de bell. Gallic.* Adeoque certum & firmum est, cives Romanos non ex habitatione, sedibus vel ædificiis æstimari solitos: quamvis Speusippus in defin. Plat. eandem maximè urgeat, quem refutat. Plura hac de quæstione, vide apud Casum *in Sphær. civit. l.* 7. *c.* 11. *p.* 439.

QVÆST. III.

Vtrum conducat Peregrinos in civitatem recipi?

Non desunt rationes & exempla, quibus peregrini à civitatis communione arceri posse videntur. 1. Quia diversarum regionum & nationum diversi sunt mores, adeò ut non possint simul convenire sine aliqua antipathia, quæ in Republ. nihil aliud excitat, quàm perpetuos motus & seditiones, item læsionem & subversionem consueti status, Tholosan. *lib.* 4. *cap.* 4. Quin imò tam contrarii sunt mores nationum, ut nullo modo conciliari possint, ut Scythas crudeles & Lotharingos mites: Sesones fortes & Lacones timidos: Narbonenses candidos, & Britones vafros: Gallos stolidos & Siculos acutos: Italos devotos & Cenomanos profanos, quis unquam conciliare

ciliare potuit? Sanè, ut inter hos nunquam firma fuit amicitia, ita neque inter peregrinos & originarios. 2. Quia, ut multa pericula illi timenda sunt, qui peregrinos & incognitos recipit: Sic facilimè abit & degenerat in proditorem, quem tu speras fidelem civem futurum. Unde statim certa Reipubl. imminet pernities, quam sentire coacti sunt Babylonii recipientes Zopyrum, Herodot. *lib. 3.* Sic Xerxes magno cum damno Demaratum secum habuit consiliorum suorum proclamatorem. Xenoph. *Inst. l. 2.* Nec novum homines, simulatâ quâdam fidelitatis & amicitiæ specie, tanquam glaucomate fascinari & in exitium agi præcipites. Sic Abner & Amasa nihil omninò mali suspicantes à Joab trucidati sunt, 2. *Sam. 3. v. 27. & c. 20. v. 10.* Ita Alexander Ptolomæi Regis Ægypti gener in exilium pulsus & nefariè à Zabdiel Arabe decollatus est, 1. *Macc. 11. v. 16. & 17.* 3. Quia non præsumitur peregrinum, persecutionis tempore civitati fidelem mansurum, cum non tàm tangatur gnesio publici boni amore, quàm originarius, in quo magis sese amor patriæ exerit, quippe, *cui ipsis parentibus charior censetur* Cic. 2. *offic. & pro cujus salute nullum omninò periculum vitandum censet,* Cic. 4. *ad Heren.* Quamobrem Catilina furiæ nomine notatus est à Cic. quòd contra amorem innatum pestem patriæ suæ nefariè moliretur sit,

Cic. 2. *Catil.* 4. Non desunt exempla satis tragica, quæ cumulatim testantur, ingentes clades à peregrinorum receptione Reipubl. fuisse inflictas. Corcyræi à peregrinis in communionem civitatis cooptatis, tempore belli Peloponnesiaci in vincula conjecti, imò trucidati sunt. Nihil præterea aliud Syracusanorum Rem. publ. flore suo privavit; nihil aliud Budam sub. vertit; nihil aliud Londinum infecit, quàm peregrini, Diod. *lib.* 11. Bonfin. *l.* 4. *decad.* 3. Polyd. Virg. *hist. Angl. lib.* 27. Aristot. 5. *Polit.* 3. Hinc ergò factum est, quòd Spartani nunquam peregrinos receperint, Xenoph. *de Republ. Spart.* Quòd populi Sinarum, aditum Hispanis capitali pœnâ interdixerint, Oros. *lib.* 11. Quòd Athenienses ad civitatem peregrino communicandum 6000. civium vota requisiverint, *Demosth.* contra Eubulid. Quòd in plerisque Germaniæ regionibus, imprimis universa Bohemia, ac fermè tota Italia nominatim Ferraria, ne gleba quidem agri, jure dominii peregrinis concedatur, Alex *cons.* 157. *vol.* 2. *n.* 2. nec possessio prædiorum Perasinorum moribus permittatur, Ancharan. *in c. canonum, ext. de const.* Quòd legibus Polonorum à Casim. M. usque ad *Sigismund. August.* tempora, à sacerdotali munere arcerentur. Hinc inter decem in eligendo magistratu requisita, illud quoque connumeratum est, ut ex orig petatur *gl in rubr.*

C. *Quem.*

C. *Quemadmodum civ. mun.* 10. 42. *Joh. de Plat. d. rubr. Capoll. de Imp. in fin.* §. *circa hanc.* Id quod & in *Gall. à Carol. VII.* constitutum fuisse notat, *Guilhelm. Benedict. in c. Rayn. p. 1. de-cis. 5. n. 490.* Quin & eo tandem fuit res devoluta, ut à Græcis veteribus ac Latinis hostes ac peregrini pro uno eodemque acciperentur, Cic. *offic. ex ll. 12. tab.* hinc illa vetustissima: Peregrinus sive hostis murumne ascendat, Rodig. *lib. 8. lect. antiq. c. 5.*

Verùm non indifferenter & generatim omnes & singulos peregrinos à societate civili arcendos esse, probamus his fundamentis. 1. Quia ipsa natura inter homines societates constituit mutuas, ut testatur *Jac. Cruc* Florent. *in l. ut vim, 3. ff. de l. & l.* qui ergò simus tam à natura & humanitate alieni, ut societatem nobiscum colere expetentem absolutè & simpliciter rejiceremus? Sic quidem cum dignis & probis societates ac sodalitia inire Reipubl. est perquam utile, Bodin *lib. 3. c. 7. n 329.* Id quod Numa Pomp. probè animadvertit, nam in eum finem collegia omnis generis instituit, & eam solennibus sacrificiis & epulis, statis anni temporibus celebratis conglutinavit, Plut. *in Num.* Halicarnas. *lib. 2.* In quam rem, Lycurgus etiam convivia publica instituit, ut animos civium conjunctiores redderet, Plutarch. *in Lycurg.* Simili ratione & Cretenses olim

ad testandam benevolentiam publicè consueverunt epulari, Bodin. *d. l. n. 330.* Id quod de Pythagoræis singularis testatur, Jamblich. *in vita Pythag.* 2. Ex historiis & exemplis. Constat ex *Dionys. Halicarn.* Romulum civitatem suam constasse, non ex uno genere hominum, sed ex Albanis, peregrinis & ita etiam postea auxisse, admissis etiam hostibus in numerum civium fœderibus transactis bellis, ut nunquam fuerit intermissa à majoribus largitio & communicatio civitatis, Tholosan. *l. d c. 4. n. 19.* Qua arte non tantùm Romani Imperium acquisiverunt, dilatârunt, verum etiam tutiùs confirmarunt, ut contra nihil aliud Lacædemoniis & Athenienſibus videatur fuisse exitio, quàm quòd victos bello exosos haberent, nulloq; commercii jure dignos ducerent. Plutarch. *in Romul.* Simili ratione & Theseus, civitate peregrinis proposita, urbem fecit clarissimam, ut idem testatur Plutarch. *in Thes.* Ad eundem modum Alexander Magnus urbem ad ostia Nili exstructam, & de suo nomine Alexandriam vocatam, peregrinis eandem concedendo florentissimam, ampliſſimam & mercibus ditissimam reddidit. Joseph. *lib. 3. de bell Judaic.* Sic Londinensium urbs ampliata, Polyd. Virg. *in hist. Richard.* Sic Burdegalensium instaurata, Boër. *decis.* 13. Sic Athenienſium Schola floruit, ut ex Plutarcho refert

Tholo-

Tholosan. *l.4.c.4.n.17.* Aristoteles enim fuit ex Stagirita ex Eresco Theophrastus ? ex Lampsaco Strato: Glycon ex Troade. Arist. ex Cea. Cleantes Lysius fuit: Chrysip. Solensis, Diogenes Babylonius, Antipater Tarsensis. Sic Archedemus Athenienſ. in Parthos migravit Babylone, atque ibi ſucceſſionem Stoicam reliquit. 3. Experientia teſtatur: probatiſſimos & optimos peregrè vivere, non quòd pulſi ſint, ſed quòd emigrârint: Et non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria ſua, ipſa S.S. atteſtante: Et memoria dignum eſt, quod refert Pompon. *ICtus in l. 2. §.4. in fin. de O.I.* Hermodorum quendam Epheſium, in Italia exulantem, auctorem fuiſſe legum 12. *tab.* quæ univerſam Rempubl. reformarunt. Et quamvis Solon Athenienſibus præter eos, qui ſacra aut genus, aut ſtirpem antiquiſſimam haberent, jus civitatis nulli peregrino dari mandaverit, tamen excipere conatus eſt, niſi ei, qui aut perpetuo exilio patria pulſus eſſet, aut alicujus artis cauſa cum penatibus & domo Athænas commigraſſet.

Pro determinatione quæſtionis diſtinguendum putamus inter temeritatem, qua indifferenter & indiſcretè recipiuntur peregrini, quo nomine Cic. 1. *Philip.* Cæſari dicam ſcribit: & inter conſuetudinem, qua cum diſcretione, habita ratione loci, temporis & perſonarum reci-

piuntur. Qua distinctione præmissâ, contraria argumenta, quat. ad temeritatem, qua omnes indiscretè recipiuntur, incusandam proferuntur, admittimus; Secus verò, si contra consuetudinem illam, qua cum discretione admittuntur, adferuntur, omninò rejicienda esse putamus. Nam quæ allata sunt de periculis ex peregrinorum assumptione pullulantibus; adhibita justa discretione & deliberatione præmissa optimè possunt evitari. Nec est, quòd urgere cupias, de moribus extraneorum. Nam constat mores & virtutes non nasci cum hominibus, sed fieri, mutari, emendari & poliri, neque tam ortus & à quibus quis natus inspiciendum, quàm qualis sit peregrinus. Præterea, ut arbores transplantatæ deponunt noxiam substantiam, mutata terra ac cultura: Sic quidam aliò commigrantes meliores effici possunt & ex malis optimi, uti contrà boni, transeuntes ad infectos mores, infici possunt, *Tholos. d. l. n. 17.* Peregrini olim non simpliciter dicebantur hostes, sed tantùm illi; qui in confœderatione cum Romanis non fuerunt: Hodie autem hostes non ita dicuntur, sed tantùm illi quibus bellum indictum est, & qui olim perduelliones non hostes dicebantur, hostes nominantur, *l. hostes. 24. ff. de capt. & postlim. reversi. & l. hostes. 118. & l. 234. ff. de V. S.* Hinc Cic. *Contra Rull. Nos autem jam non hostes, sed peregrini atque advenæ nominabamur.*

bamur. Et rursum *1. Off. qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur*, lenitate verbi tristitiam rei mitigante: hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Non ergò eo solo nomine, quod peregrinus quis sit, contemni & rejici debet.

QVÆST. IV.

Vtrum conducat Iudæos in civitate tolerari?

Judæos nullo modo & ratione ferendos, sed finibus Imperij Romani esse ejiciendos videtur probari posse his argumentis. 1. Quia sunt infensissimi hostes Christianæ religionis Non tantũ ex suis falsis & ementitiis libris Codicem sacrum & volumina legis multis in locis corruperunt & depravarunt, uti à multis fidei ipsorum gnaris proditum est: Verùm etiam Messiã omnibus diris devovent & execrantur, ipsum omnipotentẽ Deum, populi seductorẽ, suspensum latronem, & spurium appellant, adeoque mortem & passionem Domini nostri Jesu Christi, & sacramenta à Christo Servatore nostro instituta, conviciis turpissimis proscindunt, *Ant. Marg. Nic. Card. Martq. de Susan, in tr. de Iud & Tib. Dec. in prax. Crim.* Cum igitur istiusmodi blasphemia morte debeat puniri,

niri, prout ex variis circumstantiis latè confirmat & deducit, Menoch. *l. 2. arbitr. jud. cas. 375. & in const. criminali, art. 106.* Sequitur Judæos non esse in civitate ferendos. 2. Quia Judæi aliis infidelibus longè pejores sunt, *l. fin. ibi* veluti insultâtes fidei nostræ. *C. de Iudæis & Cælicol.* Rolandus à Valle *Cons. 35. n. 15. vol. 2.* 3. Quia hæreticis, qui in unum tantùm fundamentalem Christianæ religionis articulum impingunt pœna ultimi supplicii cum publicatione omnium bonorum proposita est, *l. Manichæos, 4. & l. 11. C. de hæreticis & Manich. 4.* Quia insidiantur vitæ Christianorum. Annales historiarum replicanti, obscurum esse non potest, quomodo non tantùm singulos Christianos, verùm integras Respubl. & Christianam militiam multoties explorârunt, & Turcico jugo aliisque tyrannis proditione sua submiserunt: quomodo aerem & fontes veneno infecerunt, Münsterus *Cosmogr. lib. 2. c. 84. & l. 3. cap. 148.* Quomodo Diabolicis artibus & Venefiiis, sæpiùs etiam sub specie medicinæ homines è medio sustulerunt. Idem Münst. *lib. 3. c. 19.* Quomodo Christianorum infantes non solùm circumciderunt: verum etiam punctim aciculis ipsis mortem inferendo, miserè trucidârunt. Idem Münst. *cosmogr. lib. 3. cap. 77.* plura de his vide apud Tholosan. *lib. 13 cap. 8. numer. 8. de Repub. & in syntagm. jur univers. lib. 33. cap. 4. num. 6. & seqq.* 5. Quia non tantum vitæ & re-

& religioni Christianorum, uti dictum est, insidiantur, verùm etiam bonis ipsorum inhiant avidissimè & variis fraudibus ad sese trahunt, non solùm contra divina & humana jura usuras mordentes & perdentes, illicitas & immoderatas exercendo, sed & pupillos, viduas, liberos perdendo & corrumpendo. *conf.* Wurms. *nucl. jur. controv. tit. 9. cont. 2.*

Contra Judæos in civitate tolerandos, probatur his fundamentis. 1. Quia nullibi in toto codice sacro sancitum reperitur, Judæos præsertim sanctionibus politicis sese subjicientes, ex civitate Christianorum in universum expellendos esse. 2. Quòd vaticinia divina de convertendis aliquando Judæis contrarium efflagitent, cùm non solum in veteri utpote, *Esa. 59. v. 20. & Psal. 59. v. 11.* sed etiam in novo Testamento, *Rom. 11. v. 26. & seqq.* expressè cautũ habeatur, post plenitudinẽ gentium Judæos etiam ad veram fidem iterum convertendos esse 3. Quia nostram religionem testimonio suo ratione Veteris Testamenti confirmant. Quin imò exemplo suo, nos iræ divinæ adversus peccata admonent, à conceptu verbi divini, omniq́ue securitate deterrent ut omnibus populis in universo mundo in perpetuum constet, hunc ab initio mundi dilectum & selectum Dei populum, propter rejectum & crucifixum verum Messiam, qui prætiosissimo sanguine genus humanum redemit, nunc in pœnam, commissi

sui facinoris & horrendæ ingratitudinis superesse per universum mundum sine certo capite dissipatum. Petr. Greg. *in syntag. jur. univ. l. 33. c. 4. num. 11. 4.* Tolerantur auctoritate juris civilis, *l. Nullus 14. C. de Iud & Calic. l. Christianis. 6. C. de pagnis. Novell. 45 & 146. & Nov Leon.* 55. synagogas suas liberè exercent, *l. 4. C. de Iud. & Calicol. & ex Ordin. Cam. p. 1. t. 86.* jurisjurandi formulam habent præscriptam 5. Tolerantur etiam de jure Canonico *tt. & c. sicut Iud. 9. vers. nullus extr. de jud. & Sarracen. 6.* Quia jus habendi & tolerandi Iudæos est de reservatis Imperatoris, quod olim non, nisi summo Principi seu Imperatoribus Romanis competiit; posteaverò Electoribus secundùm Auream Bullam cap. 9. successu temporis ex singulari privilegio etiam Archiducibus Austriæ concessum. Melchior Goldast. *in tr. suo de statut. & rescript. Imp. sub. rubr. Fridericorum* 1 & 2. Et tandem quibuslibet membris Imperii, Regalia obtinentibus, Id privilegium indultum est, *Reformation* guter Policey zu Augspurg/ *Anno.* 1530. auffgericht/ *sub. tit* von Juden/ & Policey-Ordnung. *de Anno. 1577. tit. 20.* Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 5. numer. 9.* Petrus Heig. *part. 1. quæst. 4. numer. 30.*

Pro determinatione quæst. distinguendum putamus inter tolerantiam, & jus positivum. Tolerantur tantùm in civitate Christianorum; non

non quidem, quoad jura civilia positiva Rom. verùm tantum ad ea quæ sunt jutis gentium, Roll.à Valle *cons. 25. n. 13. & 14. vol. 3.* Sic secundum jus gentium contrahunt nuptias & liberos in potestate habent, *c. ex literis. 2. & ibi* Panorm *n. 3 ext. de conversi. infid.* Roland.à Valle *cons. 35. n. 72. & seqq.* Felin. *in c. Iudæi. ext. de Iud. & Sarrac.* Hinc cum Christianis, citra tamen nimiam familiaritatem, commercia exercere, rerumque dominia acquirere possunt, *arg. c. Quanto, 18. ubi Panorm. num. 3. & 4. extr. de usurpat.* Præterea distinguendum esse putamus inter populum civitatis, & inter corpus spirituale. De populo civitatis Judæi sunt non jure, sed ex gratia & quidem certis conditionibus, ut videlicet sint servi Christianorum: Proinde non sunt capaces dignitatum, sed homines prorsus infames, *l. fin. C. de Iudæ. & Cæl.* Ad differentiam Christianorum flavo annulo supra vestes, non solùm de die, verùm etiam de nocte distinguuntur, *cap. in nonnullis. 15. ubi* Panorm. & Felin. *ext. de Iudæ, & Sarrac.* ad nullum munus publicum & dignitatem admittuntur, *l. fin. C. de Iud. & cœlic. & c. cùm sit, 16. ubi* Panorm. *n. 2. ext. de Iud. & Sarrac.* & proinde ipsorũ Collegio legari prorsus est inhibitũ, *l. 1. C. de Iud. & Cœlic.* Sic Judaicas suas Synagogas de novo fabricare prohibentur, veteres tamen & antiquas, si ruinam minen-

minentur fulcire, in iisque in perpetuum testimonium coram universo mundo ingratitudinis & dissipationis suæ, insanam suam religionem exercere & ritus suos citra contemptum Christianæ legis retinere permittuntur. *l. ult. §. 1. C. de l. & C. c. 3.* & ibi Panorm. & Felin. *ext. d. t.* Magistratus inprimis caveant ne enormib. usuris Christianos circumvenire velint, ab emptionibus rerum furtivarum abstineant, & quæ sunt alia plurima ejus generis.

Quod ergo ad objecta argumenta attinet, Resp. ad 1. Quòd blasphemiæ in Deum à Christiano Magistratu sint vindicandæ, & acerrimis coërcendæ pœnis. Ad 2. Resp. Negando. Nam, cùm Judæi Christianam fidem nunquam amplexi sint, nec hæretici nomine nec pœna hæreticorum affici possunt, quia lex Judæos in orbe Christiano tolerat, *l. 14. Cod. de Jud. & Cœlic.* Roland. à à Valle *d. cons.* Ad 3. Resp. Negando. Nam hæreticos morte naturali plectendos eosdemque flammæ addicendos, non juris scripti est, sed fit tantùm ex perversâ Pontificiorum consuetudine. Nam jure civili, nec non jure Canonico summa hæreticorum pœna est exilium, seu deportatio cum publicatione bonorum, *l. 4. & l. 8. C. de hæret. & Manich. & l. nullus hæreticis, 2. §. 2. C. de summ. Trin. c. vergentis, 10. ibi:* quantò magis, qui aberrantes in fide, *ext. de hæret.* Sic Arriani omnium penè hæ-

nè hæreticorum nocentissimi in exilium tantùm pulsi à Constant. Imp. Atque proinde pœna mortis non ad omnes hæreticos, sed tantùm ad Manichæos, propter extremam ipsorum malitiam & scelerum nequitiam, est extensa, *l. 11. C. de hæret. & Manich.* Uti etiam Judæis pœna concremationis proposita, eo casu, quo suæ sectæ profugum, & ad meliora conversum saxis vel aliâ vi tentant, *l. 3. C. de Jud. & Cœlic.* Ad 4. resp. Quod sit à particulari desumptum. Quorum scelera meritò gravissimis pœnis vindicata sunt, prout monumentis historiarum proditum. Ad 5. resp. Quòd ipsorum illicita facta per magistratum sint corrigenda, &c. Plura de hâc quæstione, qui desiderat, videat inter alios auctores citatos clarissimi & consultissimi Viri, Dn. Johannis Kitzelii, Jurisconsulti & Cancellarii Academiæ nostræ amplissimi, discursum Academicum de regali habendorum Judæorum, in solenni promotionis actu habitum.

QVÆST. V.

Vtrum spurii in civium societatem recipiendi?

Spurios in societatem civium non esse admittendos videtur probari posse his argumentis: 1. à vi naturæ, quæ nuptialem societatem justitiæ suadet. Instituta enim olim in civitate sancta &

cta & individua viri fœminæque conjunctio, ut certa proles libera & immunis quasi leges Reipublicæ nasceretur, qui ergo hanc conjunctionem violat qui hoc fœdus dextrâ naturæ percussum dirimit, & vel alterius thorum spuma suæ turpitudinis contaminat, vel brutorum instar libidinem exercet, is primùm, contra naturam, deinde, contra justitiam, tertiò contra seipsum peccat, & propterea odium civitatis incurrit: Cum verò spurii effectus sint tantorum scelerum, indignares esset, si dignitatem in Republica obtinerent & participes civitatis fierent. 2. Ab incommodo civitatis: Nam admittere spurios ad civitatem, nihil aliud est, quàm libidinis quasi faces accendere, laxasque habenas corruptoribus virginum, adulteris incestuosis, aliisq; hominum monstris concedere, & facere, ut eò licentiùs ad istiusmodi scelera ruant. 3. A decoro. Quia civitas maximam rationem suæ famæ & dignitatis habere debet. Indecorum enim esse istiusmodi homines ad subsellia convocare & in pari dignitate cum legitimè natis esse. 4. A moribus spuriorum. Quia plerumque sunt mali, & homines perditissimi & dissolutissimi, ut proinde, tales libertate donare civesque constituere, nihil sit aliud, quàm facinorosam Rempublicam efficere: *redit enim ut plurimum ad auctores, genus, stirpemq; primam de genere sanguis,*

ut

ut refert Seneca *in Hippol. 5.* à minore. Quia hæreditas denegatur spuriis. Ergo. multò magis civitas est deneganda. 6. Ab exemplo aliarum civitatum. Qui: Romani, Athenienses, Lacedæmonii, aliæque permultæ civitates, secundum normam justitiæ viventes, spuriis libertatem ac communicationem civitatis pernegârunt. 7. Quia civitas non nisi liberorũ est hominũ. 1. *pol. c. 4. & 2. pol. c. 1. & 1 & 3. polit. c. 8 8.* à S. Scriptura. Deus n. adulteros morte dignos, & spurios indignos civitate judicat, Casus *in Sphær. civ. lib. 4 c. 6 p. 273.* Quinimò apud Hebræos non recipiebantur ad decimam usque generationem, nec licuit illis inter honestos versari apud Suecos, & Gothos & Novvegios, *Ioh. Magn. l. 18. c. 6.* Nec opprobrio tantùm sunt omnibus, *Tholoss lib. 7. c. 8. n. 13* sed etiam exosi & abominabiles, *Chassan p. 11. cons. 15.*

Contra in societatem civium admittendos probatur his fundamentis: 1. *per l. 6. in princ. ff. de decurion,* ubi dicitur quòd spurii ad dignitatem decurionatus pervenire possint, & quòd impedienda dignitas ejus non sit, qui nihil admisit. 2. Quia calamitas matris non debet ei nocere, qui in utero est, *arg. pr. Instit, de ingen. 3.* Pœna suos tantum debet tenere auctores, *l. crimen, 26. ff. de pœn. 4.* textibus juris Canonici, *cap. nunquam, 4. dist. 56.*

ubi

ubi dicitur, *cùm, si quis propriâ virtute decoratur, parentũ suorum opprobrius non debeat dedecorari*, Et *cap. nasci, 5. d. dist. 56.* ubi dicitur, *quod non sit ejus culpa, qui nascitur vel ex adulterio vel ex concubinâ; sed ejus, qui generat. Vide Palæott. in tract. de spur. c. 56.*

Pro determinatione quæstionis distinguendum puto inter spurios virtute & eruditione claros, & inter illos, qui in sordibus & vitiis parentum turpiter permanent, nec maculam generis virtutum splẽdore & vita honesta & egregia, obfuscare & delere studeant. Quâ distinctione præmissâ, nostra erit sententia, posterioris generis spurios ad civitatem & Rempublicam non esse admittendos, sed quamvis non positivè; attamen privativè puniendos. Contrà verò prioris generis propter virtutem & eruditionem omninò admittendos esse. Id quod etiam evincunt & suadent posterioris membri quæstion. argumenta.

QVÆST. VI.

Vtrum aliquis duarum civitatum simul civis esse possit?

Usu receptum videmus, ut unus idemque civis, distinctis numero civitatibus innectatur: Unde non immeritò quæritur, utrum commode illud cõcedi & fieri possit; Et quod non possit, probatur his rationibus. 1. Ab adjunctis incomodis. Nã fieri posset, ut inter diversos magistra-

gistratus & civitates, quibus civis juramento obstrictus, bellum aliquod suboriatur, quo casu fieri sanè non potest, quin perjurus fiat, & quocunque modo se verterit, in patriam tui piter peccat. Sive manum abstineat à tabula, & è medio secedat utramque civitatem, neutri, quam debebat, opem ferendo, perfidè prodit, sive in alterius castra transeat, scelestè tamen & contra datam fidem alteri parricidiales manus infert. Quin imò contra semetipsum militare cogitur, quod iniquum & crudelitati proximum, *l. præses. 6. C. de serv. & aq.* Item gravius homicidio dicitur, *cap. si non licet, 9. C 23. q. 5.* & Seneca ait: *Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus, si fieri potest multis: sin minus paucis: sin minus proximis: sin minus sibi. de vita beata.* 30. 2. à genere. Quia civis est membrum civitatis: Atqui duorum corporum, ut unum idemque numero membrum sit, per naturam fieri non potest, nisi Chimæricam quandam coalitionem tibi imaginari velis. Ergo, &c. 3. à negatione debiti officii. Impossibile enim est ut unum debitum in plures civitates dividi possit, nisi personas multiplicare velis 4. Ab auctoritate Cic. *pro Cœn. in fin.* ubi præclara vocat jura, atque divinitus jam inde à principio Romani nominis à majoribus comparata, ne quis Romanorum plusquam unius civitatis esse possit.

Pro determinatione quæstionis distinguen-

dum esse putamus. 1. Inter verum & completum civem, & inter honorarium vel inquilinum. 2. Inter subordinata municipia, uni communi capiti subjecta, & inter diversas Respublicas diversis Principibus subjectas. De vero & completo cive, qui non tantùm secundùm forum, quemadmodum provinciales Præsides, *l. provinciales, ubi Gœdd. num. 3. ff. de verb. signif.* vel secundùm munera & honores, uti incolæ, *l. penult ff. ad municip. l. est verum, 3. & l. si in patria, 5. junct. ll. seqq. C. de incol.* sed etiam secundùm corpus, operas, bona, civitati uni tantùm innectitur & obligatur, militant & pugnant, superiùs allata argumenta, non verò de cive honorario, confœderato aut incola. Nam honorarium, quod attinet, cùm Imperio & muneribus illius civitatis sit exemptus, absque controversia multis adscribi potest Rebuspublicis. Sicuti & incola quis potest fieri plurium civitatum, aut domicilium transferre, *l. Labeo, 5. in fin. l. si quis, 7. l. ejus qui, 27. §. Celsus, 2. in fin. l. nihil est. 31. ff. ad municip. & l. in adoptionem, 7. C. de adopt.* Nec propterea desinit quis esse civis, quamvis domicilium in aliam civitatem transtulerit, *l. incola, 29. ff. ad municip.* Quoniam non fit propriè civis, *l. 1. ff. d. tit.* sed domicilium tantùm acquirit, *l. cives, 7. C. de incol.* Sic confœderati plurium civitatum cives esse possunt: Ut est hodie inter Genevates & Berna-

Bernates, nec non inter Vallesios & quinque Cantones Helvetiorum ita pactum, ut harum civitatum cives, utrobique jus civitatis habeant, si videlicet ex alia in aliam emigrarint, *Simler. de Republ. Helvet.* Porrò duorum municipiorum uni capiti subjectorum posse aliquem simul civem esse non inficiamur, *l. si quis pluribus, 7. & l. si quis pluribus, 7. & l. filii, 22. §. municipes, 2. & l. ejus qui, 27. in princ. ff. ad municip. Vide Arnisæ. de hac quæst. lib. 1. Polit. cap. 5.*

QVÆST. VI.

Vtrum Collegia Reipubl. sint necessaria & utilia?

Rationes dubitandi hæ sunt: 1. Quia sæpè turbationes & seditiones gravissimas in Republ. excitârunt. 2. Quia sæpè multæ fraudes contra publica Reipubl. commoda in Collegiis opificum struuntur. 3. Quia sæpè efficiunt, ut populus, nec Regum, nec Optimatum Imperiis facilè coërceri possit. 4. Quia multi Imperatores & Reges Collegia prohibuerunt, quemadmodum testatur exemplum Tarquinii Superbi, item Neronis, Dionysii, & aliorum. Rationes decidendi hæ sunt: 1. Quia conservant in Republ. charitatem & amicitiam, sine qua Respubl. stare nullo modo potest. 2. Quia ad evertendas tyrannides, nihil est Collegiis accommodatius. 3. Quia nihil est, quod

Rempubl. æquè frangere ac debilitare possit, quàm si tolerantur Collegia. 4 Quia Principes & Legislatores, qui Respublicas primo fundârunt, nullum ad eas continendas stabilius fundamentum esse judicarunt, quàm societates ac sodalitia tueri. Hinc Pompilius Numa optimus Romanorum Rex, non modò Collegia omnis generis opificum, sed etiam mercatorum instituit, eaque sacrificiis solennibus ac epulis, quæ statis anni diebus fierent, obligavit. Idque Solonis exemplo feciſſe videtur, qui omnia omnium ordinum ac generum Collegia instituere, iisque statuta, modò legibus contraria non essent, condere permisit.

Pro determinatione quæstionis distingui. mus inter Collegia, quæ justa de causa, Magistratus auctoritate, scientia & confirmatione sunt inita: & inter conventicula clandestina hominum conjuratorum, aliorumque flagitiosorum. Porrò distinguendum esse putamus, inter illud, quod fit per accidens, & quod fit per se, seu inter verum usum & abusum, &c. Quibus distinctionibus præsuppositis non erit difficilè ad objecta argumenta respondere.

QVÆST. VIII.

Vtrum pro privato religionis exercitio in civitate inconsulto Magistratu Collegium inire sit licitum?

Pro

Pro privato religionis exercitio collegia inconsulto magistratu institui posse, videri alicui posset: 1. Per ea, quæ in constitutione religionis circa beneficium emigrandi, & de libertate conscientiæ ponuntur in recessu Imperii, *de Anno* 1555. §. Wo aber unsere / auch der Churfürste / Fürsten und Ständte / Unterthanen / &c. quibus verbis satis clarè indicatur, quòd subditis integrum sit, si publicum religionis suæ exercitium habere velint, emigrare: aut si ad publicum religionis amplexæ exercitium emigrare nolint, placidè manere, & privatim suam religionem exercere. 2. Quòd vigore illius constitutionis permissum sit, modestè sua civitate vel pago diebus Dominicis exire, ad communicandam alibi sacram Domini Cœnam: prout à Christo sub pane & vino ad participationem corporis & sanguinis sui instituta est, ad audiendam puram Evangelii doctrinam, si domi corrupta est, & sana haberi non potest. Id quod ulterius probatur ex recessu Imperii *de Anno* 1530. ubi Imperator ad instantiam Reformatæ religionis Principum Catholicis improbat, quod subditos sub pœna coërceant, §. item, etliche Obrigkeit haben ihren Unterthanen bey schwerer Straff verbotten / &c. Tertiò videtur idem probari posse ex *l.* 1. §. 1. *ff. de Colleg. & corporib.* ubi dicitur, quòd religionis causa coire non sit prohibitum.

Verùm contraria sententia hodiè verior, propterea, quod inscio magistratu hodiè Collegium nullum institui possit, *l. 3. §. 1. ff. de Colleg. & corporib.* Item, quòd privata conventicula de jure sint prohibita, *d. l. 3. & arg. c. dilecta, 14. extr. de excess. prælat.* 3. Quòd magistratus aliam religionem in civitatem, præter eam, quæ inducta est, clanculum introduci haud facilè permittat. 4. Quòd seditionibus & turbis, quæ inde facilè nasci possunt, ansam præbeat, 5. *per l. 1. ff. quod cujuscunque univers. nom.* ubi dicitur, legibus & SCtis & principalibus constitutionibus coërceri, ne societas vel Collegium, vel hujusmodi corpus passim habeatur. Contraria argumenta, quod attinet nostræ sententiæ non refragantur: Siquidem longè aliud est, placidè in civitate manere, & cum aliis societatem vel Collegium inire, & longè diversum, modestè civitate, ad audiendam Evangelii doctrinam exire, & in ipsa civitate exercitium religionis cum aliis instituere. Neque refragatur nostræ sententiæ, *l. 1. §. 1. ff. de Colleg. & corporib.* Siquidem additum est in ipsa *l. 1. §. 1. ff. d. t.* Quòd hoc non fieri debeat contra SCtum,

&c.

QVÆST.

QVÆST. IX.

Vtrum Augustanæ Confessionis civibus integrum sit, aut emigrare, aut si alibi ad publicum religionis exercitium emigrare nolint, placidè in civitate permanere?

Cùm præcedenti quæstione, ex constitutione religionis, hoc à nobis nude assertum, nõ immerito hoc loco, uno atque altero argumento probatur. Quod ergò placidè manere in civitate possint, probatur his fundamentis. 1. Quia verba in dicta constitutione nullam necessitatem important, sed conditionaliter loquuntur, si videlicet ad publicum exercitium discedere velint, id ipsis integrum erit, de necessitate nulla omninò fit mentio. Quòd igitur scriptura non dicit, neque nos dicere debemus. Et quod lege cautum non est, opponi non potest, cùm erubescamus sine lege loqui. §. *consideramus, auth. de trient. & semiss.* 2. Quia emigrandi beneficium in favorem Augustanæ Confessionis constitutum est. Ergò non debet ad læsionem ejusdem extendi, *l. quod favore*, 5. C. *de ll.* Et quod in favorem volentium permutare introductum est, non debet iis esse odiosum, ut necessitate cogantur, *l. cum pater*, 77. §. *mando*, 24. *ff. de legat. 2. ubi gloss. & Bart.* quod verba consilii non

importent necessitatem. 3. Quia illa constitutio expresè monet, ut alter alterum placidè in civitate ferat. 4. Quia constitutio jurisdictionem Ecclesiasticam generaliter suspendit & non modo statuum inter se, sed etiam subditorum conscientiæ, ejusque securitati & tranquillitati consulit. Ergò, ubi lex non distinguit, ibi neque nos distinguere debemus, *arg. l. de pretio, ff. de pub. in rem act. & l. 1. §. generaliter. ff. de legat præst.* 5. Non solùm ex generalitate suspensionis censuræ, & generali constitutionis fine id colligitur, sed subditorum, respectu sui magistratus expressa passim fit mentio, *ut* §. 1. *ibi*: Daß die Ständte und Unterthanen sich beständigen gewissen Sicherheit. Et paulò pòst: Solche nachdenckliche Unsicherheit auffzuheben / der Ständte und Unterthanen Gemühter / wieder in recht Vertrauen gegeneinander zu stellen. Ubi verba: Ständte und Unterthanen, benè sunt consideranda. Ex quibus non obscurè constat, pacem religionis obtinere non tantùm inter diversos status Imperii, verùm etiam inter statum & ejus subditos. Sequitur ergò vigore constitutionis, Magistratum tyrannicè vel refractariè, propter religionem, contra subditos, turbando, molestando, aut ejiciendo, agere non posse.

QVÆST.

QVÆST. X.

Vtrum cives Augustanæ Confessionis in civitatibus Imperialibus, majorem potestatem in puncto religionis, quàm cæterorum Statuum subditi habeant?

De hac quæstione Anno 1588. quidam cives Coloniæ contra Consilium & Senatum Colonienſem in Camera disputârunt, qui ad probandam assertionem suam, his usi sunt argumentis: 1. Quòd singulariter Imperialium Civitatum, & in iis habitantium civium atque incolarum constitutio eò meminerit: ne alterum alter ulla ratione ob religionis negotium in persona, honore & bonis turbet. Nachdem aber in vielen Frey- und Reichs-Städten/ꝛc. *de constit. relig. de Anno* 1555. Quòd si ergo nulla ratione cives & incolæ in civitatibus Imperialibus se invicem ob religionis exercitium, turbare debeant. Sequitur cives in civitatibus majorem habere potestatem, & aliquam prærogativam præ subditis cæterorum Statuum; Atqui antecedens verum, ex *d. §. const.* ergò & consequens. 2. Quia longè alia ratio est subjectionis civium erga Magistratum, quàm aliorum subditorum erga Principes, Comites, Nobiles. Quare licèt his liberum exercitium religionis invito Magistratu non competat: de illis

lis statuendũ. 3. Quia statibus Imperii Romani mutatio religionis libera est, ut patet ex dictâ constitutione religionis. Atqui Senatus non est status per se, sed simul etiam cives statum Imperii repræsentant, qui non minùs, ac ipse Senatus, Cæsareæ Majestati & Sacro Imperio fidem & obedientiam jurant. Ergo ipsis etiam civibus competit liberum exercitium religionis. 4. Quia licet cives actu non sint Magistratus: capaces tamen sunt Magistratus, & sic potentiâ id sunt, quod ipse Magistratus actu. 5. Quia cives extra Senatum sunt potissima civitatis pars. 6. Quia declaratio Divi Ferdinandi Romani Regis, super promulganda religionis constitutione Anno 1530. Augustæ factâ, idem vult, & incolis imperialium civitatum liberam potestatem tribuit, religionis exercitium sumendi:

Verùm hæ rationis tantum ponderis non obtinuerunt, ut Camerales in eorum sententiam irent. Nam quod primum argumentum attinet, non alia ratione, *d.* §. *constitutio*, civitatũ incolarum meminit, quàm subditorum & statuum reliquorum. Et 2. Quamvis in multis differant subditi Principum â civibus & incolis civitatum, interim tamen ratione jurisdictionis in eo conveniunt, ut non minus cives suo Magistratui, quàm subditi Principi obtemperare debeant. Ad 3. Non sequitur: omnes simul

mul ſtatum Imperii faciunt: Ergo ſinguli omnibus privilegiis gaudent. Tota enim civitas eſt Imperii ſtatus, non verò cives, qui in civitate ſunt, quia hæc conſideratio univerſitatis eſt, non ſingulorum. Ad 4. Quod â potentiâ at actum non valeat conſequentia. Nam quatenus Senatus vel conſilium liberæ civitatis totam univerſitatem repræſentat, eatenus eſt ſtatus Imperii. Et ſicuti plures ſunt in capitulo Canonici, & unus tantùm Epiſcopus; tamen non Canonici, ſed Epiſcopus eſt ſtatus Imperii: Ita etiam in civibus & Senatu uſu venit. Ad 5. Quòd à potiori debeat fieri denominatio. Ad 6. Quòd declaratio Ferdinandi Regis non ſit receſſibus Imperii inſerta, neque authentica. Unde efficitur, quòd cives in Imperialibus civitatibus non majorem poteſtatem in puncto religionis habeant, quàm aliorum ſtatuum ſubditi: Præſertim cum §. Nach dem aber in vielẽ. loquatur de utraque religione in iis tantum civitatibus Imperialibus, in quibus tempore conſtitutionis erat; non verò de futuro & imposterum civibus dat licentiam inconſulto & invito Senatu religionis publicum exercitium ſumere vel introducere. Quare cum hoc jurisdictionem requirat, quæ penes cives non eſt, prudentius faciunt cives, ſi ſupplicando exercitium liberum non ſtatim obtinuerint, ut in patientia & invocatione Domi-

Domini exspectent, donec ex iis civibus, qui Augustanæ Confessionis sunt, Senatus ita sit constitutus, ut melioribus votis exercitium religionis obtineant.

DISPVTATIO VI.

DE MAGISTRATU IN GENERE.

Resp. *Georgio Daniele* Schautantz/ *Giessense-Hasso.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

DE *subjecto & fine Politices, quoniam huc usque præcedentibus Disputationibus generaliter satis actum; operæ & temporis pretium erit, ut ad Reipublicæ partes transitum nostrum instituamus. Et quia Respublica constat ex* imperantibus & obedientibus, *meritò cum Althusio & aliis Politicis duas Reipublicæ partes facimus*, subditos videlicet & magistratus. *De his ergò, ut ordine imposterum dicamus, initium de præcipuo & difficilimo Reipublicæ munere faciemus, & de Magistratu in genere hâc Disputatione tractabimus. Vt autem hanc materiam suâ naturâ satis diffusam & perplexam perfectè cognoscamus, de his quinque distinctis membris agemus. 1. Definitionem Magistratus adferemus. 2. Modos constituendi Magistratum investigabimus. 3. De confirmatione. 4. De divisionibus. 5. De administratione brevissimè dicemus.*

THES. I.

THESIS I.

Magistratus vocabulum originem ducit, *à Magistro, quod moderari vel gubernare* significat, Idque propterea, quod Magistratus subditos suos regat, moderetur & gubernet non secus uti Magistri suos discipulos. Hinc etiam Moderatores & Duces appellantur. Græcis ἀρχαὶ hoc est, Imperantes καὶ ἄρχειν dicuntur. Hæc enim est vis Magistratus, ut rectè præsit & præscribat recta & utilia, *Cic. lib. 8. de ll.* Nam, ut Magistratui leges, ita populo Magistratus præsunt. Hinc verè dici potest, *Magistratum legem sequentem esse legem populi.*

2. Appellatio Magistratus dupliciter accipitur: *formaliter & materialiter*, seu quod item est, *abstractè* & *concretè*. *Formaliter sive abstractè* significat ipsam potestatem vel officium, de quo Paulus *Rom. 13. v. 1. & 2.* sic inquit: *Omnis anima potestatibus, sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo. Materialiter sive concretè* significat ipsas personas in officio magistratus constitutas quâ in significatione hoc loco potissimum capitur.

3. Variis porro nominibus Magistratus, tum in scripturis sacris, tum à Politicis & Historicis insigniuntur. Dicuntur enim propter officium, quod gerunt divinum: 1. Dii. *Psalm. 82. vers. 1. & 6.* 2. Vocantur ἐξουσίαι, hoc,

hoc est, potestates, *Roman. 13. vers. 2.* 3. Appellantur ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι, hoc est, potestates supereminentes. 4. Alio nomine dicuntur ordinatio, *Rom. 13. vers. 1.* 5. Item dicuntur Principes, *ibid. vers. 3.* 6. Appellantur *Matth. 22. v. 21.* Cæsares. 7. *Luc. 22. v. 25.* vocantur Reges. 8. Vocantur Diaconi DEI, *Rom. 13. v. 4.* & ministri DEI, *ibid. v. 4.* 9. Item vindices sive ultores ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit, *ibid. v. 4.* 10. Vocantur benefici, Gnädige Herrn, *Luc. 22. v. 25.* 11. Item Dominatores, Gewaltige, *ibid. v. 25.* 12. Dicuntur nutritii Ecclesiæ, *Esa. 49. v. 23.* Item dicuntur κτίσις ἀνθρωπίνη, hoc est, humana creatura, *1. Petr. 2. v. 13. Matth. Dithmars. lib. 3. pol. sect. 1.*

4. Definimus magistratum (*non abstractè, sed concretè*) personam publicam, legitimâ imperandi potestate instructam, ad benè regendam & administrandam Rempublicam, *Hæn. disp. Pol. 3. th. 2.*

5. Constitutio magistratus est vel *legitima*, vel *humana*. *Legitima* rursum duplex: vel *divina*, vel *humana*.

6. *Divina* vocatur, qua ipse Deus imperium magistratui immediatè decernit. Cujus rei illustre exemplum extat in vocatione Mosis, *Exod. 3. 10.*

7. *Humana* est, quæ fit consensu subditorum

rum vel expresso, vel tacito. Estque duplex: *Ordinaria*, vel *extraordinaria*.

8. *Ordinaria* duplici modo expeditur: *Electione & successione*.

9. *Electio* est ordinarius imperium demandandi modus, per quem magistratus à subditis rectè & ritè eligitur.

10. Causa efficiens electionis est jus seu potestas eligendi, quæ pendet vel à *lege scripta*, vel à *consuetudine*, diu in Republica recepta & usurpata. Atque sic hoc jus eligendi vel universo competit populo, vel concessum est certis quibusdam hominibus: quemadmodum in nostro Imperio, septemvirale est Collegium, cui jus Cæsarem eligendi competere, nullum prorsus est dubium, *per cap. venerabilem 34. extr. de elect. Aur. Bull. t. 7.* Quibus ergo neque à lege, neque à consuetudine hæc potestas competit, illi Magistratum eligere & constituere, omninò prohibentur.

11. Forma seu modus electionis cuique Reipublicæ certus esse solet: prout Romani nostri Imp. forma & modus eligendi describitur *in Aur. Bull. tit. 2.* In qua singulariter disponitur, ne Electores ex electionis loco discedant, quàm si legitima omnibusque numeris absoluta electio fuerit peracta, itemq; quod si spatio triginta dierum non consenserint, pane & aqua tamdiu alendi sint, donec voluntates eorum in unum conspirent. 12. Ex-

12. Expeditur autem Electio duplici ratione, vel per *suffragia*, vel per *sortem*.

13. Per *suffragia* electio quando fit, dicitur modus principalis, & fieri debet in conventu & loco publico omnibus, quos jus suffragiorum tangit, peculiariter civitatis, ut is, qui majore eorum consensu destinatus est, admittatur.

14. Cùm autem potestas eligendi iis, ut collegio & omnibus competat, ab uno vel altero electio expediri nullo modo potest.

15. Estque electio porrò *voti liberi* vel *restricti*.

16. *Voti liberi* electio dicitur illa, cùm licita est suffragatio in personam quamcunque ad magistratum magis idoneam, sive ea sit ejusdem, sive diversæ nationis aut conditionis.

17. *Voti restricti* & determinati dicitur illa, quæ certis circumdata limitibus, ad certas & determinatas personas, gentem, familiam nationem determinata est. Qua electione Imperium nostrum etiamnum, *ex Caroli IV. Aur. Bull.* præscripto utitur, & ad fasces neminem admittit, qui se non ex sanguine germano satum docere possit, Schleid. *lib.* 1. *sub ann.* 1519. ubi Moguntinus cordatè & eleganter pro ea consuetudine disserit.

18. Per *sortes*, vel alio aliquo casu fortuito, quando fit electio, dicitur modus minus principalis,

cipalis, quia ad eum eligendi modum rariùs est deveniendum, & non nisi necessitate urgente; quando videlicet ratio, & consilium deficit & candidatorum discordibus eligentium votis nominatorum, par est, genere, virtute, opibus, aliisque requisitis conditio: tunc enim sorti electionem committendam, & rem detidendam esse, quicquid alii dicant, affirmare non dubitamus.

19. *Subjectum* electionis est persona ad Magistratum idonea, vel ex toto Populo, vel ex certo ejus genere & ordine cooptanda. Ubi adhuc quædam principaliter, quædam minus principaliter requiruntur.

20. Principaliter sexus & bona animi in considerationem veniunt.

21. Quoad sexum, ad potiorem & natura, & lege capacem deferri Magistratus debet: est autem is, teste Aristot. 1. *Polit.* 5. masculinus. Mulieribus proinde Imperium ordinariè non concedimus.

22. Bona animi, quæ in Magistratu eligendo requiruntur, sunt virtus & eruditio.

23. Virtus propterea, quòd impossibile sit, ut alios aliquis contineat, qui seipsum non continet, Cic. *pro L. Man.* aut commodè puniat illa flagitia, quibus se quoq; affinem esse novit, cùm semper illud tritum audire cogatur: *Medice cura te ipsum.*

24 Virtus in eligendo Magistratu solet considerari tripliciter: Respectu *Dei* vel *sui ipsius* vel *aliorum*.

25. Respectu Dei est pietas, quam imprimis Plato in Magistratu eligendo requirit *lib. 3. de LL.* Pietati enim cum se dat Magistratus, duos istos, qui circa eum sunt, scrupulos studiosè evitet, scilicet superstitionem & impietatem. Utriusque pestis satis nobis cognita: Præcipuè verò superstitionis, quam verissime Curt. *l. 7.* humanarum mentium ludibrium, dixit: quæ ut plurimùm rudibus & barbaris animis inesse consuevit, Plutarch. *in Sertor.* humilemque & depressum arguit. *Lucret.* Impii omni rerum suarum successu prospero carent. Nam desertores sui deserit Deus.

26. Ipsius Magistratus respectu requiruntur potissimùm hæ virtutes: *1. Temperantia & sobrietas.* Nam *qui voluptatibus ducuntur, & cupiditatum lenocinis sese derunt demissos facere honores, nec attingere Rempubl. debent.* Cic. *pro Fest.* Nam, *ut ignava animalia, si cibum suggeras, jacent torpentq;, præterita, instantia & futura, pari oblivione dimittuntur*, Tacit. *2. hist.* Ita qui servitio voluptatum corporis adstricti sunt in publico versari, & in foro agere non possunt, nisi eorum, quæ noctu fecissent, de die testimonium proferre velint, *Philissus apud* Dion. *lib. 38. Vide* Schönb. *lib. 2. polit. c. 13. 2. Castitas*, ut scilicet non tantùm corpus

corpus ab omni macula purum conservent, sed etiam occasiones ad impudicitiam ducentes, sanguine viperino cautiùs evitent. Nam qui obnoxii sunt huic crimini, subitò convolant ad alia; Id quod docet suo exemplo *David*, *Salomon*, *Themistocles*, *Pausan.* *Nero*, *Tiberius*, *&c.* Abstinere ergò debent Magistratus à tanta turpitudine, ne pœnitere Demosthenicum â tergo sequatur, Macrob. *lib. 2. c. 2.* Schönb. *lib. 2. c. 25. 3.* *Magnanimitas*, ut neque perturbationi animæ, neque hominis fortunæ succumbat, Cic. *1. Offic.* Sed adversus convitia & malos rumores firmus sit ac patiens, neque tam facilè lubricum linguæ ad pœnam trahat. *l. 7. §. 3. ff. ad L. Iul. majest. & l. un.* C. *si quis Imp. maledix.* Ita acerba ferat, ut nihil à statu naturæ, nihil à dignitate sapientis discedat, Cic. *1: Offic.* Propterea illud Senecæ *4. de virtutibus*, in ore sit: *Si magnanimus fueris, nunquam judicabis tibi contumelium fieri: de inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & cùm illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse: scito enim magnum & honestum vindictæ genus esse ignoscere, & magnam fortunam magnum animum decere: cujus est proprium, placidum esse & tranquillum, atque injurias ac offensiones supernè despicere.* 4. *Fortitudo*, quæ munimentum humanæ imbecilitatis inexpugnabile dicitur. Seneca Ep 113. *Schonb. d. l.* 5.

Modestia, ne videlicet ob fortunæ indulgentiam rerumque prosperitatem luxuriet, sed potiùs ex monito Plin. *in Paneg. non minùs hominem se, quàm hominibus præesse cogitet, seq; ab illa lege & conditione omnibus indicta mortalibus, non esse exemptum*, Schönb. *d. l. c. 26.* Keck. *l. 1. Syst. c. 3.*

27. Aliorum respectu requiruntur inprimis: 1. *Prudentia* natura & usu acquisita. Sunt enim Magistratus oculi civitatis, quibus excœcatis, reliquæ partes non vident, Melch. Jun. *part. 1. q. 20.* Unde versutum magis & callidum, quàm simplicem, eligendum esse dicimus, Keck. *1. syst. 3.* 2. *Justitia*, quia Magistratus debet esse jus quoddam animatum, & lex loquens, Aristot. 5. *Eth. 4.* Qua remota regna nihil aliud sunt, quàm magna latrocinia, August. 4. *de Civ. Dei.* 3. *Clementia*, cum severitate conjuncta, quæ firmum ac stabilem reddit Magistratum: *hæc in quamcunque domum pervenerit, eam facilem ac tranquillam præstabit*, Senec. *1. de Clem. c. 5.* Nam *qui benignitate & clementia Imperium temperavêre, his candida & læta omnia semper fuêre*, Salust. *ad Cæs.* Unde rectè Seneca. *Qui vult amari, languida regnet manu.* Errat, *si quis existimat, tutum esse ibi Regem, ubi nihil à Rege tutum. Securitas securitate mutua paciscenda est*, Senec. *ibid. cap. 19.* Schönb. *d. l. cap. 31.*

28. Potissimùm a. Magistratus sibi acquirat cognitionem artium, linguarum & eloquentiæ, quò

quo populum admodum insolentem, delicatum, contumacem sua oratione mollire & levigare possit. Disciplinarum item practicarum, & duarum facultatum superiorum Juris & Theologiæ, scientiam sibi acquirat non contemnendam.

29. Cæterùm minus principaliter in Magistratus electione spectanda sunt bona corporis, & bona fortunæ. Bona corporis, utpote ætas, statuta, forma. Bona fortunæ, utpote facultates, ortus, familia.

30. Ratione ætatis, nec pueros, nec penitus immaturos adolescentes, ut nec climacterem magnum & fatalem ingressos, sed mediæ ætatis homines eligendos censemus. Mediam autem ætatem ab anno 30. ad 60. dicimus. Nec tamen juvenes, post 25. annum aptos excludimus, cùm & ex *Aur. Bull.* præscripto ad Electoratus, & alios Principatus Imperii admittantur juvenes 18. annorum. *Vide hac de quæst.* Melch. Jun. *p.* 1. *quæst.* 14. Keck. 1. *pol.* 2.

31. Quantum ad staturam attinet, quia augustam personam, augustum decet corpus, magis eligendum putamus hominem proceræ staturæ, quam humilis, quia ista externa, & in oculos incurrens corporis spectabilitas atque majestas subditos magis ad venerationem & reverentiam commovet; cæteris tamen paribus, ut semper dotes animi præferantur dotibus corporis. Nam non rarò accidit, ut in pulchro & procero cor-

pore malus habitaverit animus. Unde non frustrà dictum: *Parvo in corpore magnam sæpè virtutem*; & sub deformi corpore, vim mentis magnam absconditam latere.

32. Et quod de statura, idem quoque de formæ præstantia & apta membrorum proportione asserimus, Cas. 3. Pol. 11. Nam præstat Regem, quàm regnum claudicare.

33. Ratione facultatum, pauperem virtuosum dicimus decem divitibus præferendum, Cas. *in Sph. civ. c. 7. Jun. p. 1. q. 17.* Keck. 1. *Syst.* 2.

34. Ratione ortus incolam peregrino præferendum esse putamus Melch. Jun. & Keckerman. *d. l.*

35. Familiæ insuper ratione, nobiliori loco & familia ortos ignobilioribus parentibus progenitis plerique præferunt: Quos, si digni sint, & reliquos virtute excellant, meritò præferendos, & nos arbitramur: Alias non tam homines, quàm hominum actiones in bene constituta Republ. considerandas esse, dicimus.

36. Denique, cùm in Magistratum omnes oculos suos habeant fixos, in cujus vitam veluti speculum intueantur, dicta simul & facta animadvertant, non abs re faciunt Politici quando communiter omnes ac singulos Electores hortantur, ne eligant in Magistratum, vitâ viles, vel sordidarum artium professores, *l. 6. C. de dign. & l. un. C. negot. ne mil.* nec improbatæ vitæ viros &

nota-

notatos infamia, *l.2.C.de dign. & l.un.C.de infam & l.12.ff.de decur.* nec criminis publici reos, *l.17.§.12 l.21.§.antep.ff.ad municip. & l.un. C.de reis postul.* nec hæreticos, *Nov.45.à pr.usque ad §.enim verò*, nec ære alieno nimiùm gravatos, *l.6.§.1.ff.de mun.& honor.* nec ambitiosos, *l.un ff. ad L. Jul.de amb.* Schönb.2.*pol.7.*

37. Effectus electionis est, ut electus ita ritè delatum munus suscipiat. Verùm, cùm vel is, qui electus est, sæpè abhorreat à delato munere, vel vi, qua majore & causa fortuito impediatur, fit ut interdum electio careat fine. Quo casu, si delectus haberi possit, & plures sint excellentes, & ad hoc vel illud munus apti, & tempora Reipubl. libera, & extremis necessitatibus non exposita, neminem cogi posse arbitramur. Secus verò si unus dictorum casuum se offerat, Cas. *l.5.c.7. q.4. Jun.p.1.q.8.* Illud tamen probè observandum, multos recusationis specie, delatum munus flagrantissimè desiderare. Et tantùm de electione.

38. *Successio* est modus constituendi Magistratum ordinarius, per quem, Magistratui prædecessori vita defuncto, succedit alius.

39. Estque duplex: *Testamentaria & legitima.*

40. *Testamentaria* est, qua is, quem ultima prædecessoris voluntas, plenum de suo regno jus disponendi habentis, successorem esse voluit, succedit.

41. *Legitima* seu ab intestato, quando nempe legibus, & sine facto hominis Magistratus, liberis primò, *arg. l. 12. ff. de suis & legit. & l. cum ratio, 7. ff. de bonis damnat.* & post eos agnatis secundùm gradus prærogativam, defertur.

42. Nomine liberorum intelligimus regulariter masculos, non fœminas, uti antea dictum.

43. Item intelligimus liberos naturales & legitimos simul. Spurii & naturales, cùm in locum & hæreditatem alicujus privati hominis, ex ll. Rom. succedere non possint, quantò minùs in regno, *cap. innotuit, 20 de Elect.* Tholos. *2. de Republ. c. 9.*

44. Nec interest, legitimati sint, nec ne. Nam extra legitimum matrimonium, ortus Regalis & Principalis, non militat, *Dar. Phryg. in pr. lib. de bell. Trojan.* nec gry allegare possunt, quod ad successionem faciat. Cùm enim nullum habeant jus, nulla etiam injuria illis hac ratione infertur, Vult. *l. 1. F. c. 9. n. 21.* Rittershus. *part. F. lib. 1. c. 13.* Hottom. *ad §. naturales, l. F. 2. 36.* Zas. *de F. part. 8. n. 74.* Mynsi. *cent. 5. obs. 42. n. 5.* Wes. *c. 6. F. n. 11.* Gail. *l. 2. obs. 142. n. 12.* Val. Forster. *in tr. de succes. ab intest. l. 6. c 39.*

45. Inter ipsos tamen liberos legitimo matrimonio procreatos in successione, non est par semper omnium conditio; sed in Regnis & feudis, præsertim majoribus dignitatem annexam habentibus, ut sunt, *Ducatus, Marchionatus, Comi-*

Comitatus, primogenitus omnibus suis fratribus secundo, tertio, quarto, ultimo, &c. genitis præfertur: ita tamen, ut primogenitus fratribus suis, de alimentis honestè, dignè & congruè sic provideat, ut & ipsi statum suum & locum pro dignitate tueri possint, & ut primogenitus regnum sibi commissum, à nimio onere liberum retineat, *arg. l. 5. §. 10. 19 ff. de agnosc. lib. & l 3. & 4. C. de alend. lib.* Tiraq. *tr. de primogen. q. 4.* Cothman. *jur. resp. 1. vol. 3. per tot.*

46. Eo verò casu, quo gemelli nascuntur, primo in lucem editum potiorem habendum statuimus, *arg. Gen. 25. v. 25. & seq. & l. 15. ff. de stat. hom.* Quòd si verò nesciatur, quis sit primogenitus, res sorti committenda est, Tholos. *ante cit. loc.* Tiraq. *d. tr. q. 17. n. 2.*

47. Si verò primogenitus moriatur, relicto filio & fratribus: nepotem patruo hoc casu, præferendum esse asserimus, Forst. *2. de succes. 18. n. 15.* Tiraq. *d. tr. q. 40.* Covar. *in qq. pract. c. 38. 70.* Id quod in Germaniâ nostrâ de Septemvirorum liberis expressè decisum, *in Aur. Bull. Caroli IV. rubr.* Von der Ertz-Bischoffen Segen/ §. Und soll der erstgebohrne Sohn.

48. Nec interest, utrum primogenitus ante vel post acquisitam à patre Imperii dignitatem, natus. Nam tempore mortis demum bona paterna in divisionem veniunt, non verò tempore acquisitionis, *l. 6. C. de inoff. test.* Atqui tempore

mortis, æquè est filius, qui ante, quàm qui post regnum adeptum natus est, *arg. l. 5. ff. de Senat. l. 2. §. 2 ff. de decur.* Tholos. *7. de Republ.* ValForst. *d. tr. c. fin. à n. 27.*

49. Porrò primogenitum adsumendum esse omnem, statuo, etiamsi ob vitium corporis vel animi, quia vel mutus, vel surdus, vel alteri cuidam affectui obnoxius, ad regnandū inhabilis videatur, Kecker. 1 *polit. 4. p.* 117. Ut & in casu, si adhuc in utero vel minor, vel ab hostibus captus, tutores agnati vel cognati constituendi sunt, Tholos. *l. 26. de Republ. c.* 5. Dan *3 polit. 6.* Et tantùm de modis ordinariis.

50. *Ad extraordinariam* Magistratus constitutionem; referimus omnes alios modos; justos tamen, qui juxta quosdam dividuntur *in armatam & togatam.*

51. *Armata est*, cùm jure belli regnum aliquod occupatur à Magistratu, atque adeò, quando populus armis subigitur, & vi constituitur Imperium. Cùm id, quod captum est ex hostibus, dominio victoris statim subijciatur. *l. 5. §. fin. l. 7. in pr. l. 51. ff. de A. R. D.* Armis tamen dico justis, justâque ex causâ susceptis. Secùs enim si vel *animo ampliandi Imperium*, quia justa causa belli non est, sed quasi latrocinium & homicilium: quemadmodum Turca magnam orbis terrarum partem subegit: vel *ob propriam gloriam & commodum* quia non ad

Ma-

Magistratus, sed ad Reipublicæ utilitatem bellum dirigendum, quis susceperit, *Casm. c. 36. vit. Polit. Hippol. in* Pr. *c.* 2.

56. *Togata est*, cùm jure contractus & obligationis Magistratus obtinetur. Id quod fit vel *jure legitimæ emptionis*, cujus exempla plurima sunt, vel *donationis*, quemadmodum Rex Galliæ Delphinatum à principe Umberto *anno* 1349. accepit, eâ lege, ut Regis filius natu maximus *Delphinus* diceretur & ditionem illam, tanquam imperii feudum ab Imperio recognosceret, Theod. Nihem. *lib.* 2. *hist. cap.* 25. Quo etiam titulo cuculatus Papa suum suorumque Imperium defendere conatur, sed quam falso, in sequentibus disput. planum faciemus: vel *jure dotis*, ejus rei exempla habemus plurima in Principibus Germaniæ nostræ. Hoc enim legitimo titulo, Maxim. I. Imp. ductâ in uxorem Mariâ, Caroli Burgundiæ Ducis bellicosi filiâ sortitus est Belgium, Philippus ejus filius, ductâ Johannâ Regis Ferdinandi filia, universam Hispaniam, &c. vel *jure fœderis*, & pactorum familiarum seu gentilitiorum, quæ dicuntur, die Erbverdrüderung oder Erbvereinigung. Et *huc usque de modis legitimis.*

53. *Modo illegitimo* magistratus & administratio acquiritur, *violentiâ, fraude & largitionibus &c.*

§ 4c.

54. *Violenter* ſeſe ingerunt multi, cum magno eorum, qui parere debent, faſtidio. Sic Abimelech auſpicatus eſt imperium cæde 70. ſuorum fratrum, *Jud. 9.* Sic Tarquinius Superbus ſcelere partam poteſtatem meliùs egit, quàm acquiſivit, Flor. *l.* 1. *c.* 7. Sic Agathocles, de quo Machiav. *de princip. c.* 8. Sic Turcæ hodiè auſpicantur ſuum Imperium à jugulatione fratrum, peſſimo Monarchiæ obtinendæ zelo.

55. *Violentiâ* interdum acquiri dominatum diximus. Conſtat n. Piſonem ſic Præfectum eſſe factum, Plin. *l.* 14. Suet. *in Aug. c.* 42. Sic plurimi ad Rerumpubl. adminiſtrationem venerunt, tẽporibus Alexandri Magni, Tiberii, & Heliogabali &c.

56. *Aſtu & fraude*, proditionibus ad Magiſtratum & Provinciam adminiſtrandam veniunt, dum per cuniculos rem agunt, alios multis convitiis proſcindunt, & aliorum ruinis ſua ædificia exædificare ſtudent: qua ratione & Agathocles, de quo Machiav. *d. lib.* & Semiramis Juſt. *lib.* 1. ad Imperium venerunt. Quod apage!

57. Eſt adhuc alius modus, parum mitior, videlicet per *largitiones*. Nam cum mortalibus nihil carius pecunia, muneribus animos eorum, qui jus ſuffragiorum habent illaqueare ſtudent, ii, quorum animus ad Magiſtratum gerendum ardet. Sic Nero caſtris illatus, promiſſo donativo Imperator ſalutatus eſt, Tacit. *l.* 12. *ann. in fin.*

Sic

Sic post mortem Pertinacis Imperator. emebant Sulpitius & Julianus Imperium factis contra se mutuis licitationibus; atque actione paulatim ab iis facta, eo ventum est, ut singulis militibus vicena sestertia se daturos promitterent. Dion. *l. 73. pag. 842.* Et tantùm de constitutione Magistratus.

58. *Confirmatio fit auguratione & jurejurando.*

59. *Inauguratio* est cæremonia solennis & publica, qua in possessionem quasi inducitur, mittitur & investitur Magistratus novus, *vid.* Tholosan. *de Republ. c. 19.* Schleid. *l. 19.*

60. *Jusjurandum* est, quo se Princeps subditis suis concepta juramenti formula obligat & obstringit, *Nov. 8. in fin.*

61. *Distinguitur Magistratus dupliciter:* Ratione *potestatis*, & ratione *numeri.*

62. *Ratione potestatis*, Magistratus est *summus*, vel *inferior.*

63. *Summus* in genere dicitur, qui totius Reipubl. curam gerit, & jus habet imperandi Magistratui inferiori.

64. *Dividitur porrò* in summum *secundùm quid*, qui alium superiorem recognoscit *& in simpliciter ac absolutè summum*, qui superiorem humanum non admittit, & jura Reipub. administrat, & executioni mandat, Hœnon. *disp. pol. 3. th. 35. & seqq.*

65. *Infe-*

65. *Inferiores* Magistratus sunt, quibus Reipubl. potestas est demandata ad Magistratum superiorem auxilio & consilio juvandum & intra limites officii continendum. Unde Ephori, item Patricii, seniores, Principes, status, priores regni, officiarii, consiliarii, contutores, inspectores & observatores, Magistratus inferiores dicuntur.

66. *Ratione numeri* magistratus dividitur *in Monarchicum*, & *Polyarchicum*.

67. *Monarchicus* magistratus est, ubi unus tantùm rerum potitur.

68. *Polyarchicus* est, vel *paucorum*, vel *omnium*. Si est *paucorum*, dicitur *Aristocraticus*: Si verò *omnium*, dicitur *Democraticus*.

69. *Aristocraticus* magistratus est, ubi præstantiores & selectiores ad Reipublicæ clavum sedent. Cui opponitur *Oligarchicus* Magistratus quando non præstantiores, & prudentiores, sed potentiores & opulentiores sive ditiores Rempubl. administrant.

70. *Democraticus* sive popularis Magistratus est, quando universus populus Imperium vel magistratum obtinet. Cui opponitur *Ochlocraticus* Magistratus, & est nihil aliud, quàm effusa populi, vel potiùs furentis, ac turbulentæ plebis impotentia, in quo statu egenorum major, quàm publicæ utilitatis ratio habetur, nihilque magis intenditur, quàm ut omnia furibundè pervertantur. Cujus Magistratus exemplum habuimus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0312
DFG

mus superiori ætate in Germaniâ nostrâ in tumultu rusticorum, *Anno* 1525. Bodin. *de Republ.* 1. *Dan.* 1. *cap. ult.* Unde etiam oritur status Anarchicus, quando non reperitur qui quoquo modo imperet, nec qui qualiter qualiter tantùm pareat, sed quilibet pro suo arbitrio agit, Bodin. 6. *de Republ.* 4. Dan. *d. l.* Keckerm. *1. System.* 28. Atque sic huc usque Magistratus rudi minerva est divisus; pluribus de singulis in sequentibus agemus.

71. Forma & norma administrationis consistit in legibus, quæ sunt anima & spiritus Magistratus. De quibus pluribus etiam agemus suo loco. Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum Magistratus Politicus DEO placeat?

Magistratum non esse statum Deo placentem & acceptum, Anarchi illi & ἄπακτοι homines teterrimique hæretici Donatistæ, ab Augustino refutati olim somniarunt, & etiamnum hoc nostro tempore pervicacissimi Anabaptistæ insaniunt. Quorum argumenta hæc sunt: 1. Quia Reges & Principes mundani plerumque magnam superbiam & tyrannidem exercent in subditos, & in magna omnium rerum licentia (interdum & scelerum) vivunt. 2. Quia Nimrod, qui fuit ex maledicta Chami progenie, *Genes.* 10. (venator robustus) primus fuit, qui Poli-

Politicum Magistratum sibi arrogavit. 3. Quia Deus dedit populo Regem in furore suo, *Ose.13. 11.* 4. Ex verbis Dei ad Samuelem, *1.Sam.8.7.* Cùm n. Israelitæ Regem poscerent, respondit Samueli Dominus: Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Ergò ubi est Magistratus Politicus, ibi Deus, ne regnet, rejicitur. 5. Quia omnis, qui sumit gladium, gladio peribit, *Matth. 26.52.* 6. Quia mundus non placet, *Joh.19.* Ergò neque regnum mundanũ Deo placebit. 7. Christus Ecclesiæ dedit potestatem clavium, non gladii, *Matth.16.19.*

Verùm Magistratum Politicum non tantùm à Deo ordinatum, sed & esse statum honestissimum, omni laude dignissimum, Deoque acceptissimum & commendatissimum, probamus fundamentis inconcussis. 1. Quia Magistratus est Dei ordinatio. Idque probatur expressis testimoniis tam ex veteri, quàm Novo Testamento, ex Veteri Testamento, *Gen.9.6.* Deus statim post diluvium ordinavit Magistratum Politicum Noæ & filiis illius dicens: Quicunque effuderit sanguinem humanum, *per hominem*, fundetur sanguis illius, ubi per hominem, Deus ordinarium Magistratum Politicum potestate gladii armatum intelligit. Et *Deut.16.18.* Moysi dicit Dominus, Judices & Magistratus constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent popu-

populum in justo judicio. Et 2. *Sam.* 6. 21. David de regio suo officio dicit, Dominus præcipit mihi, ut essem Dux super populum Domini in Israel. Et *Dan.* 2. *v.* 21. dicitur: Quod Deus transferat atque stabiliat regna. Sic *Dan.* 4. *v.* 14. & 22. Altissimus dominatur in regna hominum, & cui voluerit, dabit illud, & hominem constituet inter homines super illud. Sic & Josaphatus judices à se constitutos verbis ponderosis, & prægnantib⁹ alloquitur, quando inquit: Videte quid faciatis. Non n. hominis exercetis judicum, sed Domini, & vobiscum est Dominus in negotio judicii, 2. Par. 19. 6. Item ex N. T. *Rom.* 13. *v.* 1. & *seqq.* *Joh.* 19. *v.* 11. Christus de Pilato dicit: Ipsi desuper datam esse potestatem. 2. Probatur idem ex elogiis honorificentissimis, de quibus in initio disp. dictum, quibus videl. nominibus in S. S. insigniuntur. 3. Ex mandatis divinis. Severissimè n. Deus præcepit subditis, ut Magistratus suos honorent, quemadmodum, *Rom.* 13. *v.* 1. præceptum adeò generale datum, quod tam ad Ecclesiasticos, quàm Politicos se extendat. 4. à comminationibus divinis gravissimis, *Exod.* 22. *v.* 28. tale extat præceptum: Diis non detrahes, & Principi populi non maledices, *Rom.* 13. *v.* 2. habetur, quod talis resistat ordinationi Dei: Quibus argumentis firmissimè contra omnes fanaticos concludimus: statum Magistratus verè divinum esse atque ab ipso Deo originem tra-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0315
DFG

here. Quod verò attinet ad argumenta Anabaptistarum. Resp. ad 1. Committi in eo fallaciam accidentis: dum vitia personarum ipsi statui adscribuntur. Non n. sequitur Pontifex Rom. ministerium suum perperam administravit. Ergo totum Ecclesiasticum ministerium est è medio tollendum. Non enim tàm ad unius aut alterius mali Regis vel Principis, quam ad laudatorum & bonorum exempla respiciendum. Ad 2. Resp. Committi in eo fallaciam æquivocationis. Verba enim textus *in d.l.* sunt ambigua, & variant interpretes, quorum aliqui venationem in bonam, aliqui in malam interpretantur partem. Deinde negamus Nimrodum primum fuisse Magistratum, contrarium n. constat ex *Gen. 9. de quo suprà.* Et quamvis tyrannicè administrâsset, nihil hoc derogaret statui, uti jam ante responsum. Ad 3. &. Committi fallaciam à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Non n. iratus est Israelitis Deus, quod Magistratum vel haberent, vel non haberent, sed quod diffisi sint Deo, & non aliâ ratione coram hostibus se tutos existimarent, quàm mutato Politicæ administrationis statu, nimirum statu Judicum in statum regium. Ad 4. Resp. Similiter in eo committi fallaciam à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter. Ideò n. reprehensi sunt Israelitæ, quòd non fuerint contenti Magistratu illo Politico à Deo ordinato, & aliam formam regiminis petierint. Ad 5. &. com-

committi fallaciam æquivocationis in vocabulo sumere gladium. Christo enim sumere gladium *d.l.* est idem, ac Magistratui ordinario potestatem eripere, & sibi vendicare, quod in seditionibus contra Magistratum fieri solet: Adversariis autem sumere gladium est, gladii potestatem legitimè administrare. Ad 6. Resp. Similiter committi fallaciam æquivocationis in vocabulo mũdi. Quando enim dicitur. Quod mundus Deo non placeat, tunc per mundum intelligimus colluviem hominum impiorum & damnatorum, & sic opponitur regno cœlorum, & non regno Christi Ecclesiastico, seu spirituali. Ad 7. Resp. Committi fallaciam conseq. Plus est in conclusione, quàm fuit in præmissis. Unius enim inclusio, non est statim alterius exclusio, præsertim in rebus per se distinctis. Alibi enim Magistratui Politico jus suum tribuit, *Matth. 22. 21.* Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Et *Luc. 22. 25.* Reges gentium dominantur; vos autem non sic. Plura hac de quæst. qui desiderat, *videat* Osiandr. *in Enchirid. Anabapt. q. 1.* Jun. *p. 1. q. 3.* Matth. Dithm. *l. 3. polit. sect 3.*

QVÆST. II.

Vtrum vir pius & verè Christianus bona conscientiâ officium Magistratus gerere possit?

Negant hoc Anabaptistæ motihis argumentis: 1. Quia in N T. unum tantùm habemus Regem, nempe Jesum Christum, Ergò, cessare debent illa, quæ in V. T. concessa populo Israelitico. 2. Non aufferetur Sceptrum de Juda, &c. donec veniat Schilon, *Gen. 49. 10.* Ergo, postquam jam Christus apparuit, nullus potest esse amplius locus Sceptro, hoc est, Magistratui Politico. 3. Ex *Luc. 22. 25.* Reges Gentium dominantur. Ergò non Christianorum Principes & Reges 4. Quia *Matth 20 26.* Christus filiis Zebedæi petentib. prioritatem in regno Christi, hoc simpliciter denegavit. Ergo non vult, ut sit Prioritas vel Magistratus Politicus inter Christianos. 5. Ab exemplo Christi. Quia Christus, cùm animadverteret populum hoc agere, ut in Regem ipsum crearent, in desertum aufugit, *Joh. 6. 15.* Et cùm postularetur ab aliquo, ut judicem se interponeret dividendæ hæreditatis, respõdit: Homo, quis me constituit judicẽ, *Luc. 12. 14.* Nõ e vult Christus, hominẽ Christianũ Politicis officiis occupatum esse, 6. *Luc. 6. 37.* Nolite judicare, & nõ judicabimini, Nolite condemnare & non condemnabimini. 7. *Math. 16 24.* Quia Christus non gladium, sed crucẽ Christianis imponit. 8. *Matt. 5. 5.* Beati sunt misericordes, pacifici, & qui propter justitiam patiuntur. Atqui, qui sunt in Magistratu non possunt esse misericordes, & pacifici. Ergo 9. Quia *Matth. 10. 16.* tanquam oves

inter

inter lupos se emittere, dicit Christus ad suos discipulos: Atqui, cùm Magistratus sint lupi, non possunt pii magistratum gerere. 10. Quia Christus Petrum jubet recondere gladium in vaginã, *Matt.26.52.* 11. *Joh.*15.21. *Luc.*21.12. *Joh.16.2.* Christus vaticinatur discipulis suis, quod sistendi sint coram Regibus, ab iisdem persecutionem experturi. Cùm ergò Magistratus Politici sint persecutores Ecclesiæ, Ergò, &c. 12. Quia 1. *Petr.*2.13. inquit Petrus, Subjecti estote: Vult ergò Christianos esse subditos, & non imperantes. 13. Quia viginti quatuor Seniores mittebant coronas suas ante thronum Christi. *Apoc.* 4.10. Quod designat Politicos Magistratus conversos ad Christum sese abdicare debere coronis & Imperiis. 14. Quia Jotham in Parabola sua docet, Regnum non appeti ab oliva, ficu aut vite, hoc est, ab hominibus piis, frugi, aut pacificis, sed à rhamno, hoc est, ab hominibus profanis & impiis, *Jud.9.7.* Ergò officium Politici Magistratus hominem Christianum non decet.

Verùm Christianis & piis hominibus æquè ac infidelibus, Politici Magistratus functionem competere, quin & illos oblato munere recipiẽdo & piè & laudabiliter facere asserimus, & probamus his fundamentis: 1. Quia constat ex præcedenti quæstione, Magistratus Politici administrationem esse justam, piam, sanctam, Deo

placentem. 2. Exemplis tâm V. quàm N. T. idem probatur. Ex V. T. Melchisedek fuit Rex & Sacerdos, *Genes.* 4. Moles Princeps populi, *Num.* 12. Josua fuit Dux Israelitarum. Totus Judicum chorus, Propheta Samuel, qui & simul Sacerdos fuit, Rex David, Rex Asa, Josaphat, Joas Hiskias, Josias, &c. quos certum est fuisse Dei amicos. In N. T. Nicodemus erat unus ex Principibus Pharisæorum, *Iohan.* 3. Joseph ab Arimathiâ fuit Senator, pars Politici Magistratus, &c. Quod ergo attinet ad objecta argumenta resp. Ad 1. Nullam esse consequentiam in argumento. Contrarium enim manifeste probatum est. Non enim adversatur officium Politici Magistratus apud Christianos regno Christi: Magistratus quippè Christianus Dei gloriam & Ecclesiæ salutem promovet, & nullo modo adversatur. Ad 2. resp. Esse fallaciam petitionis principii: Non enim Patriarcha Jacobus docuit adventu Christi omnem potestatem Politicam esse abrogandam, sed voluit notare certum tempus, quo Christi adventus in carnem certò fit sperandus. Ad 3. resp. Esse fallaciam ignorationis Elenchi. Christus *d. l.* non distinguit inter Christianos quoscunque, & inter Politicum Magistratum: sed inter ministerium Ecclesiasticum, & Politicum gubernaculum. Ad 4. Committi fallaciam à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter, quia denegavit illis Politicas dignitates

tantùm

tantùm ob eam causam, quòd erant electi ad Ecclesiasticum ministerium obeundum. Ad 5. resp. Christum suo exemplo nullo modo Politicam administrationem damnare, sed distinguere inter officium Ecclesiasticum & Politicum. Ad 6. Christum *d. l.* reprehendere privata & intempestiva nostra judicia. Ad 7. Quòd non sint contraria tollere crucem, & gerere gladium. Nam habent etiam Politici pii Magistratus suos carduos & tribulos, quibus in officio vexantur. Ad 8. resp. Quòd sit vana & futilis ratio consequentiæ. Hoc autem sequitur: Magistratus est Christianus, Non igitur aliter sperandum, quàm ipsum secundùm leges Christi misericordem & pacificum futurum. Ad 9. resp. Quòd sit similiter vanum, futile & blasphemum, quòd dicant, Magistratus esse lupos. Est proinde à baculo ad angulum argumentari. Christus Apostolis suis mundi furores prædicit Ergo de Magistratu Politico sermocinatur. Ad 10. resp. Petrum, ideò reprehendi à Christo, quòd tanquam privatus officii limites transgressus sit. Ad 11. resp. Non valere consequentiam à Magistratibus infidelibus ad fideles, à persecutoribus ad defensores & nutritios, à malis ad bonos. Ad. 12. resp. Sermonem tantum esse de subditis & non de officio Magistratus. Ad. 13 resp. Quòd illa visio mere spiritualis sit, unde nihil huc pertinere potest.

potest. Per seniores enim illos Ecclesia triumphans designatur, quæ depositione coronarum, fatetur, se non nisi ex gratiâ vitam æternam, accepisse. Ad 14. resp. Quòd sit falsa & blasphema ratio, qua Anabaptistæ magistratum inter rhamnos & tribulos numerant. Jotham non invehitur in officium Politici Magistratus; sed in levitatem & scelus Sichemitatum, uti ex contextu constat. Plura, qui aveat, legat Luc. Osiand. *d. Enchir. Anabapt. q. 2.*

QVÆST. III.

Vtrum electio successioni præferenda?

Pro successione pugnant Tholosan. *l. 7. c. 4.* Bodin. *lib 6. c 5.* Ægid. Rom. *lib. 3. de reg. pr.* Buridan. *3. polit. q. 25.* Johan. Marian. *lib. 1. de regn. c. 3.* Cas. *3. polit. c. 1.* Hottom. *de antiq. jur. Reg. Gall. lib. 1. c. 14.* Didac. Covar. *p. 1. pract. qq.* Lipsl. *lib. 3. polit. c. 4.* Eberhard â Weihe *in q. de hac mater.* Keck. *lib. 1. polit. c. 4. 1.* Quòd plurimi populi successione sint delectati, atque ex illa Reges suos petierint, utpote de Ægyptiis, Parthis, Medis, Africanis, Turcis, Indis, Francis, Hispanis, Corinthiis, Thebanis, Epirotis, Pertisinis, Arabibus, Moschowitis, Lacedæmoniis, Hetruscis, &c. testatur, Bodin. *d. l. num. 718.* 2. Quia successio est naturalis modus constituendi Magistratum; electio verò artificialis: Atqui naturalia præferenda sunt artificialibus. Ergò 3. Quia successio con-

continuat regni statum bene constitutum, & impedit interregnum, quod nihil aliud, quàm ἀναρχίαν importat & graves in Rempubl. clades infert, dùm enim Respubl. sine Rectore fluctuare incipit, ut navis in medio mari sine navarcho, legibus silentibus, & spe concepta impunitatis, Respubl. repletur homicidiis, vindictis, sceleribusque aliis, Tholosan *d.l. num 29. & Bodin. d.l. p. 1124.* 4. Quia libentiùs & facilius obtemperat populus consueto domino, quàm alteri, qui eligitur ex familia non recepta, de qua re eleganter Tholos. *d.l. n. 21.* 5. Quia illi diligentiùs & accuratiùs præparari possunt ad regnum gubernandum, qui succedere debent, cùm contra illi qui eliguntur, sæpè non sint præparati ad regnum tàm amplum administrandum, Cas. *Sph. civit. lib. 3. cap. 11.* 6. In electione, aut eligitur, vel potentior aut inferior. Si potentior, tunc magis stupebit regno Patrio, quàm electivo, atque sic fit, ut ærarium ejus & jura imminuantur, patrimonia Reipubl. exhauriantur, qua de re eleganter Tholos. *d.l. n. 22.* Quòd si verò eligatur inferior & humilior, is cum tenuioribus rebus assuetus, statim animum attollit, secùndùm illud:

Deterius nihil est humili, cùm surgit in altum.

7. Huc accedit, quod nova subditis imponantur tributa atq; vectigalia & exactionib. aliis multis subditi affligantur, Tholos. *d.l. n. 16.* 8. Quia electio

ctio pendet ex potestate vel favore eligentium. Atqui eligentes multis modis corrumpi possunt. 8. Quia spes de aliquo concepta facilè eligentes potest fallere. Non enim novum, ut homines, quorum virtus, dum privatis suis intenti agellis, fuit conspicua, in deterius vergant adepta licentia, Schönb. *lib. 2. polit. c. 1.*

Contrà electionem præferendam esse successioni evincunt hæc argumenta: 1. Quia Germania, Ungaria, Polonia, Bohemia, &c. hucusque electione usi sunt, magno cum Reipubl. suæ commodo. 2. Quia electio est antiquior successione, Nulla enim potest esse successio, nisi olim aliquis fuerit electus, in cujus locum postea alius succedere possit. Sic Romanorum primi Reges auctoritate Senatus, jussu populi constituti sunt Halyc. *lib. 4.* 3. Quia electio dignissimum quemque & optimum quærit, Atqui Imperium digniſſimo cuique attribuendum ipsa natura suadet, Bodin. *lib. 6. c. 4.* 4. Virtus semper certior Dux est, quàm natura, Cas. *lib. 3 Sph. c. 11 q. 2.* Atqui electio fit secundum virtutem, Ergo, &c. Quia per electionem libertas Reipublicæ magis stabilitur. Nam possunt sic conditiones proponi & præscribi Principibus futuris, in quas oportet eos omnino consentire, antequam recipianrur. 6. Quia electio majorem parit benevolentiam erga subditos. Nam quia in electionibus plures sunt candidati, qui regnum am-

ambiunt, quod & ipsa vox electionis indicat; eligere enim est, ex multis unũ legere: Idcircò, qui novit se regnum ambivisse, & quæsivisse, agnoscet se magis esse obligatum regno, ad quod fuit assumptus, cum contrà is, qui successit, cogitet coactos fuisse subditos, ut hunc Regem ferrent. 7. Quia is, qui electus est, facilius potest moneri & moveri, quàm is, qui successit. Atque sic acies ab utraque parte parata est; cujus jam turmæ nostra jungenda vexilla? Ita habe: Utramque Reipubl. utilem & necessariam esse, & in eo consuetudinem loci maximè esse attendendam, quâ si successio probetur, nostrum non est, ut illam improbemus. Verùm in comparatione, pro electione pugnandum statuimus: plus enim ponderis & roboris in se habent argumenta, quæ pro electione afferuntur, quàm quæ pro successione. Nam, quod primò illatum de multitudine populi, nos nullo modo stringit. Cùm multitudo errantium errori non pariat patrocinium. Quinimo constat longè plures gentes electione usas. Ad 2. resp. Ex ratione quarta pro electione à nobis allata, Ad 3. Non animadverit *Bodin. & Tholos.* longe majora incommoda ac pericula successionem commitari. Quod si enim mascula proles deficiat & adsint fœmellæ, nonne inter has & patruos litium semina de successione spargentur. Quid si masculus adsit, qui verò ob ætatis imbecilli-

cillitatem ac impotentiam falces moderari nequeat, annòn his plurimorum annorum nascetur ἀναρχία, Nec est, quod *Bodin.* & *Tholos.* prætendunt de præfectis vel tutoribus. Nam periculosissimã eorum administrationem esse, edocti sumus ex multis historiis. Annòn Demetrius Soter mortuo Antiocho fratre, relicto filio primogenito, cujus Tutor ille constitutus erat, hunc fratris filium curavit necari, ut solus regnaret, Justin. *l.* 34. Annòn Cassander Alex. M. hæredes jugulavit, quorum itidem Tutor designatus erat, ut ita regno potiretur, Justin. *l.* 15. Annòn Gelon Tutor datus Euclidi & Cleandro filius Hippocratis Gelorum in Sicil. Tyranni, illis ex regno expulsis imperium occupavit. Herod. *l.* 7. Annòn ita Comes Gelwiscorum Wittigornus Constanti Regi Britan. insidias struxit. Alan. *in Prophet. Merlin.* Annòn Saphadinus novem Saladini filios suffocavit, ut ille solus regnaret. Jac. Meyer. *lib.* 7. *ann. Flandr.* Ergò quid opus est plura aliunde conquirere exempla: Nonnè Bodinus ipse *d. l. n.* 719. infert Gustavum Suecorum præfectum hac via regimen impetrasse? Quod ergò ad interregnum attinet, in electione facilè præcaveri possunt, quæ inde oriri videntur pericula. Si nimir. successor ante mortem Regis designetur, sicuti Carolus V. petiit, ut sibi Ferdinandus substitueretur, Schleid. *l.* 17. Ita Poloni Jagelloni adhuc vivo surrogarunt Uladislaum filium, ne post

ne post obitum Jagelloni aliquid mali suspicari tenerentur, Cromer. *l.* 20. Et satis hac de re provisum est in Germania, præsertim in electione novi Imperatoris, ubi duobus Electoribus, Comiti Palatino, & Duci Saxoniæ mortuo Imperatore, administratio est demandata, *§. quoties, in Aur. Bull.* donec tempore statò & præcisè ad hanc rem disposito, novus eligatur. Ad 4. resp. per rationem 6. pro electione adductam. Ad 5. & 6. & 7. resp. per rationem 5. pro electione adductam. Quinimò plura sunt mala, & incommoda in successione timenda, inter quæ primarium fermè, quòd talis approbandus, qualem illa suppeditat, sive is jam sit bonus, sive etiam malus, quòd omninò in electione præciditur, cùm suadeat optimum esse eligendum, si ergò contingat, ut qui in imperio vivunt, perversæ sint vitæ, omninò præteriri possunt & debent. Ita Lydii hominem simplicem & probum ad imperium evehere maluerunt, quàm potentioris ferociam experiri, Heraclyd *de Cymens. Polit.* Quod & Hispanis placuit in electione Bambæ Rit. *l. 2. Reg. Hisp.* Et singulare omninò & notatione dignum illud, quod Conradus I. cùm in stirpe suâ nullum Imperio aptum deprehendisset, Henricum Aucupem hostem suum, successorem sibi elegit ob virtutes, quas in ipsius animo splendere animadverterat, Peucer *l. 4. Chron.* Ad 8. resp. Quòd illud non facilè præsumatur, cùm inprimis ejusmodi

modi personis electio demandetur, quæ ab omni suspicione liberæ sint & immunes, adeoque sanctè polliceantur, se abjecto omni affectu, spreto omni munere dignissimum electuros, quod Electores facere in electione Imperatoris, *ex Aur. Bull. Caroli IV.* colligere possumus. Neque rarissimi casus, certæ cuipiam regulæ, opponendi sunt. Quinimò & illud ad reprobandam successionem adduci à quopiam posset, quòd non rarò Principes ob ardua negotia, quibus implicantur, liberos suos negligentiùs curent institui; hinc sylvescere incipiunt, & cùm postmodum in libertatem se vendicare cœperint, parùm mehercule præcepta juvabunt, cujus rei exemplum habemus in Nerone, qui frustra postmodum habuit Senecam Præceptorem, hic non indolem ejus erudiit, sed sęvitiam armavit, ut inquit Ausonius *in grat. act. ad Gratian.* Nec Zopyrus Thrax discipulum suum à scortatione potuit abstrahere, nec Nausitous Achillem ab ebrietate Clem. Alexandr. *lib.* 1. *Pædag.* quia uterque in primo ætatis flore corruptus erat, frustrà enim præcipitur illi, quem mali mores corruperunt, Senec. *c.* 94. Unde pernitiem certissimam Reipubl. importare exemplo Sybaritarum & aliorum confirmari posset, de quo Athen. *l.* 10. & Angel. Polit. *in miscell.* Ad ultimum: Quod si accidat, ut Princeps ex electione constitutus durante Imperio degeneret, & à regia virtutis via ad vi-

ad vitiorum colluviem deflectat cum Domitiano, Suet. *in Domi.* & ex leni patre cruentus carnifex fiat, quod de Ferquardo II. Scotorum Rege scribit Hector Boet. *l. 9.* Ille rursum regno exui potest. Ita Dionysius filius Dionysii Syracusani tyranni (qui primùm dùm benè se gereret, populo gratus & acceptus erat) ob crudelitatem regno pulsus est, Justin. *lib.* 2. Ita Poloni Mirzelaum de regno deturbarunt, Crom. *lib.* 6. Qui nec Casimirum I. pro Rege unquam agnoverunt, &c. Plura hac de quæstione vide apud Arnis. *l.* 26. 2. *s.* 4. qui copiosissimè illam pertractavit.

QVÆST. IV.

Vtrum Magistratus constitutio sorti sit committenda?

Invenies multos, qui sortitionem nullam admittunt. Quorum rationes hæ sunt: 1. Quod sortiri propemodum sit, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, in quibus temeritas & casus, non ratio & consilium valet: totam rem esse inventam fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem, Cic. 2. *de divinat.* 2. Recoquunt illud Arist. 1. *Ethic.* 8. extremæ dementiæ esse, id quod maximum optimumque est, fortunæ committere: quandoquidem Isocrates sortitionis gubernatricem fortunam esse dixerit. 3. Conquerantur item pessimos quosque sortitione acquiri posse, Philostrat. *in vita Appellon. lib.* 3.

multis,

multisque fraudibus & imposturis eandem obnoxiam, cujus rei exemplum est apud Apulejum *l. 9. Met.* de Sacerdot. Isidis referente Schönb. *l. 2. c. 2. pol. 4.* Quòd tentare fortunam, ubi consilio locus est, temerarium judicari debeat, Bodin. *l. 6. de Republ. c. 5.* Sors n. inter Neronem & Tiberium, inter præstantissimum & deterrimum discernere non potuit. 5. Quia secundùm tritum proverbium: *Fortuna favet fatuis*: Nam sæpius in audaces & temerarios, quàm in viros prudentes cadit, secundùm illud: *Audaces fortuna juvat.*

Contrà per sortem etiam constitui posse Magistratum, evincunt hæc argumenta: 1. Testantur id sacræ literæ, *Deuter. 1.* Sic terra per sortem divisa est, *Num. 26. v. 55. & 33. v. 54. & 36. v. 2.* Jos. 7. 14. c. 18. 10. 1. Sam. 10. 20. c. 14. 42. 1. Paral. 25. 5. 7. Prov. 16. 33. c. 18. 18. Ez. 21. 21. Jon. 1. 7. Sic in locum Judæ proditoris ad Apostolatum per sortem evectus est Matthias, *Act. 1. v. 26.* quod commune olim fuit omnium Sacerdotum. Nam cum suffragiis aliqui creati essent, res revocabatur ad sortem, ita scil. quotquot renunciati essent, tot in hydriam conjiciebantur, & cujus nomen prius exivit, is habuit Sacerdotium, Arist. 5. *pol. 15.* quanquam hodiè sortitio omnis in Ecclesiasticis beneficiis prohibita sit, *c. ult. ext. de sortileg. in fin. & l. 47. C. de Episc. & Cler.* 2. Quia non tantùm divinis, verùm etiam civilibus legibus sortitio approbata est: Ita n. respondet Ulp. *in l. 14. ff. de jud.*

ff. de jud. Si in judiciis duplicibus facilè discerni non possit, quis litigantium actoris, quis rei partes obtineat, sorte rem discernendam esse. Idem stabiliri potest, *ex l. 2. post pr. C. quando & quibus quarta pars. l. 24. §. 17. v. & fortassis ff. de fideicom. libert.* 3. Exemplo Romanorum. Romæ n. dignitates omnes per sortem cuivis obveniebant, Liv. *l. 2. de sortit. Val. Publ. & Horat. Cos.* Iidem comitia ex sorte habebant, Liv. *l. 5. dec. 4.* Sic Consulibus ambobus Italia provincia decreta: Sic etiam censores inter se sorte comparabant, uter eorum lustrum conderet, Varro *l. 5. de ling. Lat.* Sic provinciarum administratio adsignabatur Prætoribus, exemplum in Jul. Cæs. qui ex prætura ulteriorem sortitus est Hispaniam, Suet. *c. 18.* 4. Exemplo aliarum gentium. Constat n. pluribus gentibus sortium usum non fuisse incognitum. De Germanis testatur Cæs. *l. 1. de bell. Gall.* Cùm ex captivis quæreret Cæsar, *quamobbrem Arioviſtus prælio non decertaret? hanc reperiebat causam: Quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiàs eorum sortibus & vaticinationibus declararent: utrum prælium committi ex usu esset, nec ne? eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent.* Sic de successoribus Alexandri M. memoriæ prodidit, Just. *l. 13.* eos sorte divisisse regna & provincias, Schönb. *d. l.*

Hæc ita in utramque partem disputantur: Nos pro determinatione quæstionis duplici limita-

tione utemur, & sortem habere locum dicimus: 1. Ubi extrema urget necessitas, & ubi nec ratio, nec consilium adhiberi potest. 2. Si in electione concurrant duo vel tres candidati, virtute & aliis requisitis pares, & eligentes inter se convenire non possint, melius est, si sorte utamur, ne & alteruter ex contemptu videatur rejici, Keck. *Syst. pol. l. 1. c. 4.* Quod ergo supra objectum, fortunæ arbitriis regi sortem, nec prudentem debere se illi subjicere, cum consilio, non fortuna res expedienda, id facili ratione dilui potest: Non enim fortuna, sed Deus sortes temperat: Illæ mittuntur in sinum: Dominus verò dirigit, *Prov. 16. 33. & c. 18. 18.* dicitur. *Sors contradictiones comprimit, & inter potentes quoque dijudicat.* Quod, cùm ita sit, non dubitamus asserere, sortitione interdum, si videlicet necessitas postularit, Magistratum eligi & postulari posse.

QVÆST. V.

Vtrum, fœminæ ad Magistratum vel Imperium admittendæ?

Pro Gynæcocratiâ seu Imperio mulierum acriter pugnant inter Politicos Joh. Cas. *in Sph. Civ. l. 1. c. 3.* Lips. *2. doct. Civ. c. 3.* & inter JCtos Boc. *Cer. Class. 5. disp. 8. Bronch. cent. 2. ads. 81.* Posset etiam hic in scenam produci Corn. Agrippa, acerrimus sexus muliebris propugnator, qui *declam. de sex. fœm. nobil. & præstant.* ad astra usque sexum istum ob multarum virtutum possessionem

sionem evexit, sed omissis auctoribus rationibus pugnabimus & videbimus, utrum pari ratione fœminæ ad Imperium admittendæ, quàm mares. Rationes ergò, quæ pro sexu fœmineo adferri possunt, hæ sunt: 1. Quia non minùs ad fœminam, quàm ad marem pertinet benedictio illa divina, *Genes.* 1. *28.* Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus. 2. Quia Deus mulierem fecit ex viri substantiâ, & non ex pedibus, ne inferior, neque ex capite, ne superior esset, sed ex latere, ut æqualis esset in facultatibus hominis, & sic naturam fœminæ non excluſit ab Imperii administratione. 3. Quia inhumanum planè videtur mares præ fœminis meliori in successionibus jure potiri, quod persona utraque, & mas & fœmina simili naturæ officio in hominum procreatione, ac generis humani conservatione jungatur, *ut per l. penult.* C. *de legit. hæred.* §. *sed hæc quidem vetustas*, 5. *Instit. de exhær. liber. l. maximum vitium*, 4. C. *de lib. præter.* arguit Gregorius Rolhag. qui hac de re copiosiùs etiam tractat. 4. Quia neque jus divinum, neque jus gentium simpliciter adimit mulieribus potestatem publicè regendi Rempub. quis verò, ut à sacris ordiamur, nescit: Deboram satis feliciter populo Israelitico præfuisse, *Iud* 4. Nec mali quid suspicari debemus de Regina Arabiæ, 1. *Regum.* 10. 2. *Paral.* 9. Austri, *Matth.* 12. 42.

& Æthiopiæ, *Act. 8. 27.* Præterea constat ex historiis non malè regnasse Helenam, apud Russos. Sigism. Bar. *in hist. Mosc.* Zenobia Odenati Regis uxor, Jul Capitol. *in Galien.* Margerita Valdemari III. Danor. regis filia, *Thol. l. 7. c. 11. n. 59.* Venda, Cromer. *l. 2. & c. 5.* Quia fœmina non minus ac vir potest à Deo prudentiâ & virtute ornari, & sic apta reddi ad Rempubl. gubernandam. Nulli n præclusa virtus est, Senec. *Epist. 3.* Sed illa omnes admittit, nec censum, nec sexum respicit. Historiæ Ecclesiasticæ prolixum texunt Catalogum earum mulierum, quæ pro religione mortem oppetere non dubitarunt. De virgine Catharina inprimis proditum, quòd non tantum religionem Christianam firmiter amplexa sit, sed & Philosophos Platonicos à Maxent. Imp. convocatos, S. S. donis instructa confutarit, Marc: Macul. *in inst. ben. viv. l. 2. c 10.* De pietate Saræ, Judith, Hesther, Annæ, &c. testatur sacra pagina. 6. Nec dici potest, omnes fœminas perpetuis mentis imbecillitatibus laborare cum contrarium ex indubitatis pateat historiis, Philata Antipatri filia, incredibili fuit mentis acumine, Diodor. *l. 4.* Athyrtia Sesostris Reg. Ægypti filia, sua prudentia parentē gubernavit, Diod. *l. 2.* Corinna ea fuit mentis ac artis præstantia, ut quinquies Lyricæ festivitatis magistrum Pindarum superaverit, unde etiam nomen musæ Lyricæ impetravit. Suid. *in Corin.* Aspasia à literis & eruditione satis celebris est, Plat. *in Sympos.* prolixum

lixum præstantissimarum fœminarum Elenchũ, vid. ap. Tiraq. *ad l. 11. Con.* Nec desunt exempla admirabilis in variis calamitatibus & casibus & tragicis constantiæ, Ambros. *l. de virg.* Tacit. *l. 18. hist.* Sic mollities non tàm fœminis, quàm viris etiam competit, cujus rei exemplum luculentum habemus in Sybaritis, Athen. 10. in Lydis. Thoios. 7. *c. 11. n. 79.* in Sardanapalo, Justin. *l. 1.* Quinimò plurimæ inventæ sunt, quæ laboribus & armis viros superarunt, in quarum numero etiam sunt Amazones Crantz. *l. 1. c. 7.* Just. *l. 1.* Oros. 1. Item Artemesia Cariæ Regina, Camilla Volscor. Cleopatra Ægypti, Polyen. *7. stratag.* Just. l. 2. Piccol. *gr. 6. c. 10.* Herod. *l. 1.* Zonar. *l. 1. annal.* Sic apud Ægyptios negotiantur, & cauponantur fœminæ; viri v. contra intra domos texunt, *Herod.*

Contrà fœminam ad Magistratum non esse admittendam, evincunt sequentia argumenta: 1. à jure naturæ, quia fœminæ non ad imperandum; sed ad parendum nascuntur, ita enim naturalis fert ordo, ut serviant fœminæ viris, Aug. 153. *in Gen.* Hinc naturam ipsam suadere, ut domi sese contineant, nec in publicum egrediantur scribit Xenoph. *in Oecon.* & apud quamplurimas gentes mulieribus publicum conspectum interdici patet *ex* Alex. Sard. & aliis, qui variarum gentium mores descripserunt; Rutheni nullam fœminam honestam æstimant, nisi domi conclusa vivat, Sigism. Bar. *in hist. Moschov.* Turcæ nefas

fas ducunt, uxorem in publico aperta facie conſpici, vel cum viro aliquo loqui, Busbeq. *in Epiſt.* Camer. *cent.* 1. *c.* 33. *p.* 160. Nec aliam habuerunt cauſam, Sulpit. Gall. & P. Sempron. dimittendarum uxorem, quam quòd publicorum actuum & exercitiorũ ſpectatrices fuerint, Plut. *in probl.* & *Valer. lib.* 6. Ita convivia nocturna mulieribus omninò interdicuntur Polyd. *de Rip. tr. de noct. temp.* 69. *n.* 1. 2. à jure divino. Quia D. Paul. 1. *Tim.* 2. *v.* 11. dominium illis planè ſurripuit & eas admonet, ut ſua agant, atque ideò comam mulieribus eſſe nutriendam, ut ſignum ſubjectionis haberent, dicit *c. quæcunque.* 2. *diſtinct.* 30. quamvis *Cald. in opp. de ſentent. excom.* ejus rei aliam afferat rationem, nempè comam illis ideò non amputandam, ut haberent mariti aliquid, quo uxores traherent & ligarent, Tiraq. *d. l.* 1. *conn. p.* 4. 3. Quia deficiunt neceſſariis ad imperandum requiſitis, debile enim & imbecille eſſe conſilium mulierum tenue judicium, intellectum planè exilem, latiſſimè demonſtrant Tiraq. *l.* 1. *conn. n.* 70. *& ſeqq. & lib.* 9. *numer.* 228. Panorm. *in conſ.* 65. *n.* 4. *vol.* 2. Mynſ. *conſ.* 2. *numer.* 13. *Cagnol. in l.* 2. *numer.* 3. *de reg. jur.* Proinde imperans conſtantiâ animi polleat, peropus eſt, maximum n. malum eſt, ſi Polypus ſit, & in quaſvis mutetur formas. Atqui animo muliebri nihil reperitur inconſtantius: Hinc varium & mutabile ſemper, fœmina, veriſſime dicit Poëta & Bald. quod ter in unâ mu-

mutetur hora *l. ult. C. de suis & legit. vide* Alciat. *de præsumpt. lib. 1. cap. 47.* Roland. à Vall. *cons. 41. numer. 11. vol. 4.* Tiraquell. *d. l. connub.* Borch. *de feud. cap. 1. numer. 19.* Hinc veteres fortunam fluxam & vacillantem pingi voluerunt habitu muliebri. Galen. *in exhort. ad art. bon.* Præterea constat, naturam fœminis vim, robur ac fortitudinem denegasse, hinc ut plurimùm fragilitatibus & infirmitatibus laborant. Sunt plenæ rimarum, loquaces & garriloquæ, usque adeò rara avis est in terris fœmina, quæ fidei concredita non propalet, ut eleganter loquitur Bald. *in l. quoties*, C. *de suis & legit. 4.* Pudore naturali arcentur fœminæ à Magistratu, *l. cũ prætor. 12. §. 2. ff. de jud. l. 2. ff. de reg. jur. 5.* Ab exemplis fœminei regiminis, quæ cõstat ut plur. fuisse infelicia. Repetat, qui volet, historiam Semiramidis *ex* Iust. *lib. 37.* Athaliæ *2. Regum. 11.* Laodices *ex* Aymon. *4. de gest. Franc.* Brunchildis *ex* Chron. Polon. Rixæ *ex* Div. Cas. *l. 42. & 48.* Cleopatræ *ex eod. lib. 57* Item Liviæ & Agrippinæ, &c. & inveniet, quod semper plus detrimenti, quàm emolumenti ex imperio fœminarum in Rempubl. redundarit: Et notatu dignum est, quod ipsa sacra pagina magnam calamitatum in regno Judaico exortarum partem adscribat dominio mulierum, *Esa. 3. v. 12.* Quinimo & illud memoria dignum quòd *in vers. Sibyl. l. 3. Orac.* à Tholosano *l. 7. cap. 11. n. 5.*

recitatis, pro signo ultimi excidii adducatur, si vidua vel mulier fasces imperii tenuerit. Hinc ex omnibus fœminis una Pallas Jovis cerebro nata, matre caruit, *Lucian in Dialog.* ut intelligeretur, sapientiam, prudentiam, &c. à fœminis proficisci non posse, *Marcian.* Quò n. fortiores sunt, eò magis periculosæ, quòd vehementiores habeant impetus, Buchan. *l.* 12. *rer. Scot.* 6. Quia in domestica societate incommodum & indecorum est fœminæ imperium, quantò magis in civili. Et ita ab utraq; parte parata sunt argumenta.

Nostra sententia hæc est: Consuetudinem in primis esse attendendam, quâ si successio fœminarum in regnis & imperiis probetur, nostrum non est illam omninò improbare & rejicere: Quod si ergò in Apulia, Sicilia, Anglia, Navarræ Regno, item Hierosolymitano & Neapolitano, sit constitutum, & longo usu confirmatum, ut fœminæ etiam in Ducatu vel Principatu succedant, temerarius esset, qui modum illum immutare tentaret, cùm hoc non sine maximo sui & aliorum periculo & incommodo facere posset. Alias si absolutè pronunciandum, non dissimulamus plurima pericula comitari Gynæcocratiam: *Joanna* ab impudicitia lupa cognominata: *Regũ* Neapoleos tres Reges eosdemque maritos crudelissimè trucidavit: *Semiramis* libidine regnandi acta Regem necari jussit, nec ullus fermè fuit populus, qui Gynæcocratiam probaret Bod. *l.* 6. *c.* 5. *n.* 739. inter alia meminit cujusdam legis à Senatu

natu Cardinalium latæ, quâ cavetur ne deinceps ad fœminas Imperium Neapoleos perveniret. Ita Senatus ac populus Scotorum sempiternâ lege vetuit: Regum uxores Reginas appellari. Vid. Bod. & Thol. *d. l.*

QVÆST. VI.

Vtrum Sacerdotes & Episcopi à Magistratus Politici gestione arcendi?

Sacerdotes & Episcopos à Magistratus Politici gestione arcendos esse, probatur his argumentis: 1. Quia omninò separata sunt Dei dona, ministerium Ecclesiasticum, & officium Magistratus, quorum illud consistit in ministerio: hoc v. in dominio: Episcopus sive Sacerdos est minister Ecclesiæ, cujus officium consistit in rogando, monendo, docendo; Magistratus dominium habet in populum suum, cujus officium consistit in jubendo, imperando, cogendo, & puniendo, &c. 2. ab exemplo Christi. Nam Christus, quæ Cæsaris essent, Cæsari reddenda, censuit, nec voluit vel Rex, vel Judex, vel Magistratus fieri, licet hoc ei populus detulisset, uti *Joh. 6. 15. c. 18. 36.* videre est. Sic Luc. 12. 14. judex fieri noluit, ut demonstraret, se non habere potestatem judiciorum terrenorum. 3. Quia Magistratus officium Apostolis expressè interdictum, *Matth. 20. 26.* inquit Christus: *Reges gentium dominantur eis: vos autem non sic*, quibus verbis illud dominium, quod gentium Regibus competit,

petit, omninò Apostolis, & eorum successoribus interdicitur, 4. Constat ex *Rom.* 13. 1. Omnem indistinctè animam potestatibus sublimioribus esse subjectam. 5. Exemplo omnium Apostolorum, quos constat fuisse subjectos, & tributum suum solvisse: Sic Christus ipse coram Pilato respondere, & tributum solvere voluit; Sic Petrus tributum solvit, & coram Imperatore comparuit: Paulus ad Cæsarem appellavit, & ab illo judicatus est: Omnes proinde Apostoli & discipuli Christi obedientiam suaserunt, & nusquam Principibus resistendum docuerunt. Cùm ergò Apostoli subesse & tributum illis solvere debebant, qui jus gladii habuerunt, nõ tunc temporis habebant illi gladium temporalem; Quare cùm eam non habuerint Apostoli, non debent ejus successores eam ullo jure sibi vendicare. 6. Res & negotia forensia impediunt officium Episcopale. 2. *Timoth.* 2. 4. à militibus ejusmodi axioma deducit Paulus: *Nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus*, & *Actor.* 6. 2. negant Apostoli æquum esse, ut relinquerent verbum Dei, & ministrarent mensis. 7. Exemplo *Aaronis & Sacerdotum*, V. T. Nam si non habuerunt illi potestatem ullo casu disponendi in rebus temporalibus Principum, nec erant vel belli, vel pacis arbitri, nec leges de rebus temporalibus condere potuerunt; multò magis harum rerum procuratio Episcopis Nov. Test. interdicta est, Illos enim aliquando legimus summæ Reipub. præ-

fuisse,

fuisse at istos nunquam. Omnium v. temporalium dispositionem non habuisse illos, inde constat, quod nunquam Reges Idololatras deposuerint, aut aliquid eis abstulerint. Sic *Moses Aaroni* jus dixit, non verò contrà, & de *Abjathare Salomon* judicabat, de illo verò licèt gravissimè lapsus esset, nullus Sacerdos suum judicium interposuit. 8. Exemplo veterum Episcoporum, quos nullo modo constat arma tractâsse, & bella gessisse *precibus enim isti, non armis hostes suos submoverunt*, atque ea fuit Episcoporum Rom. usque ad *Johannem*. XI. conditio. Hinc *Theodorici Regis temporibus*, inquit Theodor. Niemen. *de Schism. lib. 3. cap. 8. Non habuit Papa gladium temporalem, sed neque diu post.* Nam referente Plat. *in Joh.* Johannes XI. qui circa annum Domini 930. Pontificatui præfuit, non suis viribus, sed Alberici Marchionis & Hetruscorum, & Civ. Rom. armis Saracenos fudit. Atque hic primus arma materialia tractasse fertur. 9 Quia hic dominatus quem sibi arrogârunt, optimo cuique semper displicuit, Ita enim Bernhardus *lib. 2. de consider. Non monstrabunt*, inquit, *ubi quispiam Apostolorum aliquando judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum, stetisse denique lege Apostolos judicandos, sedisse judicantes non lego.* Sic Greg. *l. 4. Ep. 44. Anathema*, dixit, *Episcopo, qui fundo alicui titulum imponeret*: & memoria dignum, quod

quod ad Philippum Pulchrum Bonifacius VIII. scripserit in hunc modum: *Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus nobis subsis, & aliud credentes fatuos putamus.* Cui Philippus sic respondit: *Sciat tua maxima fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse, secus credentes fatuos reputamus & dementes.* Sic Laur. Valla, Jac. Petr. de Ferrar. Alan. Chartier *in aulico suo*, Paul. Langius *Chron. Citizens. p. 849.* Matth. Paris *in Joh. p. 267.* Theod. Niemens. Duar. *de benef. & minist. Eccles. l. 1. c. 4.* dominationem illam Pontificum & Sacerdotum licitè reprehenderunt. 10. Quia opprobrium est Sacerdotibus, se peritos ostendere velle rerum forensium, *l. placet, 17. & l. repetita. 41. v. absurdum, C. de Episc. & Cler. l. consulta Divalia, 23. C. de test. c. cùm ad verum 6. dist. 96. & c. celebritatem, 22 dist. 3. de consecrat. c. placuit. 53. caus. 2. q. 7. tt. x. ne Cler. vel mon.*

Pro determinatione quæstionis omninò distinguendũ putamus: 1. Inter illud, quod ex officii naturâ & mandato divino Episcopis, ut Episcopis, tractandum venit, & inter illud, quod iis jure humano; quatenus Principes Rom. Imp. à Regibus & Imperatoribus tributũ. 2. Inter Episcopos, ut sic & inter Episcopos, ut Principes & Status Rom. Imp. 3. Inter specialem requisitionem ad casus conscientiæ & oraculis SS. definiendos, & inter generalem constitutionem ad omnes actus civiles expediendos. Quibus distinctionibus præmissis hæc est nostra sententia.

Episco-

Episcopos ut sic ratione essentiæ officii sui ex mandato Dei à secularibus negotiis omninò esse arcendos, secus verò si ab Imperio munus distinctum receperunt. Constat n. *ex* Aug Conf. *art.7.de potest. Eccl.* Episcopos ut Principes potestatem gladii ad suorum administrationem accepisse. Et refert Helmold. *l.1.c.4.* Ludovicum Pium Imp. Episcopos inter Imperii Principes, retulisse. Atque sic dicimus Episcopis Rom. Imp. subjectis, non ut Episcopis, sed ut Principibus Jure humano, potestatem gladii esse specialiter tributam. Quod verò Sacerdotes inferiores attinet, fieri potest, ut ad latera Principum sedeant, & ad quosdam casus speciales, utpote sunt matrimoniales, & qui ex legibus divinis determinari debent, adhibeantur, verùm non ut reos gladio puniant, sed ut rem ex verbo Dei definiant, vel adhiberi possunt, ut attendant & observent, ne civitas humana à societate Dei, ut gladius Politicus à gladio verbi declinet, Cal. *in Sphær. civ. lib 4.cap.15.*

QVÆST. VII.

Vtrum illegitimi ad regimen admittendi?

Qui affirmativam tenent, duo inprimis urgent: Quod nemo debeat alterius odio prægravari, *c.22.de reg.jur.in 6.& l.47 ff. de reg.jur.& l. 22.C.de pœn.& l.6 ff. de decur.* Quod filius non sit subjiciendus oneri paterno: *c.23.& ibi* Dyn. *de reg.jur.in 6.juxta l. 26. ff. de pœn.* 2. ab exemplis

plis eorum qui ad Magistratus dignitatem eve-
cti feliciter regnarunt. Objiciunt ergò exem-
plum de Jephtah. *Jud.* 11. Item Themistocle *ex*
Plut. *in Themist.* Item Timoth. *ex* Athen. *l.3.c.3.*
Item Theodor. *ex* Joh. Magn. *l.19.* Et multis aliis
ex Tiraq. *de nobil. c.15.*

Verùm istæ rationes & exempla parum, vel
nihil ad præsens negotium faciunt. Nam spurii
dum à Magistratus regimine arcentur, alterius
odio non prægravantur, nec puniuntur, nec in-
juriam patiuntur ullam, quia jure illo destituun-
tur, quod ad regimen Magistratus seu Principa-
tus necessariò pertinet, quamobrem, cùm ortum
principalem vel regalem jactare nequeant, qui
extra legitimum matrimonium nullo modo mi-
litat. Dar. Phryg. *in pr. lib. de bell. Trojan.* nulla er-
gò illis infertur injuria. Sordes enim non me-
rentur poni inter præcipuos, Bald. *in l. cum le-*
git. ff. de stat. hom. Et Plat. *de gerend. Republ.* in-
quit, *decet imperantem ab omni labe esse alienum*;
id quod intimius adhuc tangit. Vellej. Patercul.
in histor. Rom. quando ita vult vitam regnanti-
um debere esse affectam, ut ne quidem leviss ima
hæreat suspicio, illos ad malum proclives futu-
ros, quo absque dubio Basil. Moschov. Dux.
respexit, dum filium successorem sibi designare
noluit, quod suspicionem conceperat, eum
ex Anastaliæ uxoris adulterio fuisse natum Si-
gism. Bar. *in comment. e Moschov.* Eò etiam ten-
dit, quòd tantùm legitimè nati ad dignitatem
Assesso-

Assessoratus in Camera Imperiali admittantur *Ord. Cam. p. 1. t. 3. §.* Deßgleichen sollen/ etc. Nam quamvis illegitimi infamiâ juris non laborent, infamiam tamen facti vix effugere possunt, quemadmodùm demonstrant. *Joh. Andr. cap. 87. de reg. jur. in 6.* Azo *in sum. C. ex quib. caus. infam. irrog. n. 4.* Tiraq. *de nobil. c. 15.* Hart. Pist. *q. 30. n. 4. & seq.* Et quod infamiam facti evitare non possint, probatur his rationibus: 1. Quia infamia non tantùm definitur lege, sed & moribus & opinione hominum, *l. 42. de V. S. & l. 5. ff. de var. & extraord. cognit. & l. 5.* C. *ad SCtum Orfic.* 2. Quia non alienâ, sed propriâ infamiâ laborant, *Calixt. in c. conjunctiones. 35. q. 2.* 3. Quia maximum nobis fieri convitium putamus, si spurii appellemur. 4. Quia in verbo Dei maledicti vocantur, *Sapient. 3. 16. seqq. unde etiam Syr. 23. 35.* ejiciendi sunt ex populo, *Arist. 3. polit. c. 3.* Negat inter cives esse numerandos 5. Non tantùm illicita Venus in vitio ponitur per se sed etiam contagio suo inficit, quicquid ex inquinato fluit fonte. Freher. *lib. de existim. c. 22.* Palæot. *de Noth. c. 65.* Nam cùm nobilitatis honor innascatur posteritati, cur non eâdem ratione probrum, per injustum semen. Sunt enim illegitimi, effectus & partes illius probri. 6. Non absque causâ illegitimi puniuntur, sed ex utilitate publicâ. Interest enim Reipubl. matrimonia sanctè coli, & vagas libidines supprimi, & omnes amore posteritatis in officio contineri.

Proinde

Proinde si majestatis crimen vindicat lex in liberis, quia timet redivivum scelus paternum; quantò magis ex eodem capite scortationis pœna trahitur ad ipsum scortationis effectum. Hic Deus adulterium ipsum vindicat in liberis, *2. Sam. 12. 18. Deut. 5. 9.* Est Deus zelotes, Regulam ergò, de pœnis parentum ad filios non extendendis, negamus hoc in casu locum habere, tùm quia infamiâ propriâ sunt adspersi, tùm quia aliâ ratione libidines hominum coërceri nullo modo possunt. Cùm ergò imperantem deceat ab omni labe esse alienissimum, ad præsens negotium illa, quæ pro illegitimis afferri possunt, nihil facere existimamus. Quod n. præterea multa passim ex Imperio illegitimorum pullulare soleant pericula, certissimum est. Notum n. est crudelissimum factum Abimelech quomodo is, 70. fratres uno in lapide occiderit, *Jud. 9. v. 5. Phraaratzes* proprium genitorem occultè interfecit, ut fasces Imperii consequeretur, Sabell. *l.* 1. *Henricus* II. filius nothus *Alphonsi XI.* Hispanorum Regis, *Petrum* legitimum Imperii hæredem stricto gladio obtruncavit, & regnum invasit, Rit. *lib. 3. Reg. Hisp.* ut prætereamus technas ac insidias Hiempsali & Adherbali *à Jugurtha* structas, qua de re videri potest Salust. *in bell. Jugurth.* Inde factum est, ut populi difficulter ad receptionem spuriorum potuerint cogi. *Aimundus* Gothorum & Suecorum Regis nothus, etiamsi per subsequens matrimonium legitimatus, & aliâs satis

atis probum se præstiterit, imò ab ipso patre heres regni constitutus fuerit, à subditis tamen plenarium favorem ac obedientiam nunquam potuit impetrare Johan. Magn. *lib.* 18. *c.* 6. *Gallus* spurius, cùm Scotiæ regnum violenter occupare præsumeret, à subditis morte est mulctatus, Buch. *l.* 4. Nec auctoritas *Margaritæ* Comitissæ Flandriæ, alias magna satis tantum obtinuit virium, ut illa etiam frequenter sollicitando potuerit à subditis illud suffragii nancisci, quòd *Balduinus* spurius in comitatu successor designaretur. Paul. Æmil. *l.* 7. Sic *Apizius* ex concubina natus succedere non potuit, Rivam: *in Chron.* Nec percellunt nos paucissima illa exempla, quæ docent spurios regnum occupasse, & feliciter regnasse. Sunt enim quàm rarissima, & consuetudinem non pariunt. Nam de facto & vi, ut plurimum se ingesserunt, & regnum occuparunt. Quamobrem ut plurimùm brevi intervallo pòst rursum ejecti leguntur, & possunt illis ex historicis infinita alia opponi, ut iis non ignotum, qui in indagatione rerum antiquitus gestarum desudarunt. Quâ de re vide Arnis. *lib.* 2. *cap.* 2. *sect.* 3.

QVÆST. VIII.

Vtrum consuetudo præferens primogenitos sit rationabilis, nec ne?

Consuetudinem hanc contra jus commune esse, certum est: nam jure civili filii æqualiter admittuntur ad successionem Parentum, sive jus Prætorium respicias, sive civile, De jure præterio

est text. *in l. 1. C. unde lib. & l. 10. §. ult. ff. de bonor. poss. contr. tab.* De jure civili *in l. 26. C. famil. herciſc.* Lex enim quantum fieri potest id intendit ut servetur æqualitas inter liberos. Hinc collatio est inducta, ut dos ratione æqualitatis inter liberos conferatur. Hinc & aliæ res, quæ suapte natura non conferendæ, conferuntur interdum in æqualitatis vitandæ causa, *ut notat gl. ult. in l. illud, Cod. de collat. & ibidem magna pars Doct.* Sic a. libi lex hortatur parentes, ut æqualiter inter liberos testentur *Nov. 22. cap. 48. ubi* Angel. *rectè: Non debere patrem unum ex liberis facere filium, & alium privignum.* Hinc D. Ambrosius *in lib. de Joseph. Patriarch. c. 2.* rectè *: jungat,* inquit, *liberos æqualis gratia quos junxit æqualis natura. Pietas lucrum pecuniæ nescit, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicã inter Jacobi filios exarsit invidia.* Usque adeò æqualitas est inter liberos servanda ut concordia & pax, qua nihil in mundo & tota vita melius servetur, juxta illud *Syr. 25. 2.* Hinc colligunt quidam consuetudinem hanc, non tantùm esse exorbitantem à jure communi, verùm etiam esse corruptelam & minimè servandam. Est enim contra Apostolum dicentem: Filius ergò hæres: Ideoque peccare primogenitum, si secundùm eam consuetudinem solus patri succedat, Cyn. *in l. barbarius. Col. 1. de offic. prat. & in l. rescripta, in 3. quæst.* quem sequitur Bald.

Bald. *in l. sed ea. ff. de leg. 1.* & plures alii JCti, de quib. vide Tiraq. *hoc. tr. q. 4. n. 11.*

Contra, jus primogenituræ extra omnem injustitiæ & iniquitatis rationem positum, affirmamus his rationibus. Quia jure divino introductum est, *Genes. 25. vers. 5. & c. 27. vers. 29.* Item *Deuter. 21. v. 15. Hebr. 12. v. 16.* 2. Quia jure naturæ & gentium comprobatum est, de qua re vide *Cujac. de feud. lib. 1. tit. 9. ubi eam in rem Livium, Justinum, & Ottonem Frisingensem citat.* Item Tiraquell. *d. tr. de jure primog. in pr.* 3. Quia juris civilis auctoritate est fulcitum, *Feudist. in c. imperialem*, §. *præterea Ducatus*, *de prohib. feud. alien. per Frid.* 4. Quia hæc consuetudo est canonizata, *c. licet, 6. extr. de vot. & c. quam periculosum, 7. quæst. 1. c. grandi*, *de supplenda negligentia prælat. lib. 6.* 5. Quia ratione manifestâ est subnixum: nam feuda regalia & majora dignitatem annexam habentia sunt indivisibilia, & & à divisionibus exempta, *d.* §. *præterea Ducatus & c.* idque factum propterea, ne intereat honor & dignitas Imperii, qui in iis consistit. Nam divisio & diversarum personarum successio est dignitatum interitus & eversio, *c. majorib. 8. & c. dilectus 19. extr. de præbend.* Gail. 2. *obs.* 153. *n.* 2. & 3. Præterea salus populi suprema lex esse debet, teste Cic. *l. 3. de ll.* Cum ergò divisio regni simul multiplicet dominos, itemque tribunalia & exactiones, Carol. Mol. *ap. Alex. cons.* 25. Itéque multiplicet familias, officiales & ministros,

& expediat multitudini, regi ab uno, ut est etiam text. *in l. 2. §11 .ff. de orig. j.* Et nemo possit duobus dominis servire, *Matth. 6. 24. & Luc. 16. 13. & c. acutius, dist. 26. & in c. tolle, 30. de pœn. dist. 2.* Et quod uni defertur, debet antiquiori deferri, propterea, quod primogenitus prior tempore, & præsumatur inter alias rationes prudentius regnum administraturus, quia senior & alios ætate superat; Et quòd naturâ sic comparatum videamus, ut majores natu imperent, præsint & dominentur; juniores verò contrà serviant, subsint, obediant: meritò hoc jus introductum esse dicimus. 6. Huc facit, quod ita sentiant Legistæ *in comment. in prælectionibus & tractatibus*: Item *in consiliis, responsis, observationibus & decisionibus.* Quòd idem approbent *Canonistæ omnes, & confirment suo calculo Feudistæ, qua de re vide* Cothm. *resp. jur. 1. vol. 3. qui varios auctores allegat.* Item Tiraq. *d. l.* Nec ad rem facit, quod Bald. *& alios in contrarium citent*; Nam hujusmodi statutum esse irrationabile statuunt eo casu, quo in totum legitima & alimenta cæteris auferuntur, Tiraq. *d. l.* Et quamvis iniqua videatur hæc consuetudo, quòd cæteri suo jure priventur? debet tamen tolerari propter bonum, quod inde sequitur. Nam & aliâs sæpè contingit, ut quis sine culpâ suâ, suo jure privetur, sed non sine causa *c. 23. & ibi gl. de privileg. & per* Dyn. *in c. 23. de reg. jur. in 6.* Plura de hac quæstione vide apud Tiraq. *d. l.*

QUÆST.

QVÆST. IX.

Vtrum pro primogenito habendus, qui ante acquisitam à patre dignitatem natus?

Hanc quæstionem pro & contrà disputatam invenies, non tantùm apud Politicos plurimos, verùm etiam JCtos, inprimis apud Tiraq. *tract. de jure primogenit. q. 31.* Duaren. 1. *disp. 29.* Hottom. *illustr. quæst. 2.* Nos si ad ipsam naturam oculum flectamus, & jus primogenituræ penitiùs introspiciamus, aliter facere non possumus, quàm, ut cum illo, qui primùm à patre genitus est, etiamsi hic tunc temporis dignitate ista ornatus non fuerit, faciamus. Inhæret n. primogenitura primogenito eique acquiritur statim, ac lucem hanc conspexerit, Roll. à Vall. *cons. 38. n. 24. vol. 4.* Et dicitur hoc jus radicatum non in patre, sed in filio, Molin. *lib. 3. c. 6. n. 37.* Non ergò tàm pater, quàm filius primùm genitus est considerandus. Verissima præterea est ratio, quòd pater, quæcunque acquirit, tàm acquirat liberis ante natis, quam nascendis, & quod successio demum post mortem competat: cùm ergo natus ante partum regnum reperitur primogenitus tempore mortis. Ergò, &c. Non enim oportet prius quæri de conditione alicujus, quàm hæreditas ad aliquem pertinet, *l. 52. ff. de leg. 2.* Non inspicitur ergo, quod priùs fuit, sed quod nunc est, *arg. l. 16. ff. de adilit. edict. & cap. ferrum, dist. 50.* Quinimò, si patrem consideremus, non tam qualitatem patri

tri adhærentem, quam filiationis substantiam considerare debemus. Non enim qualitas illa adhærens, sed substantia parentis generat. Proinde & historiæ testantur primogenitum semper fuisse judicatum ex ipsa natura nulla status vel dignitatis habita ratione. Ita Artaxerxes, etiamsi ante regnum genitus erat, Cyro prælatus est, Plut. *in Artaxerx.* Ita Otto ab Henrico Aucupe successor designatus est, Krantz. *l. 3. c. 11.* cui quidem Henricus frater hanc ob causam certamen movit quasi Imperium ad se spectaret, quod patrem jactaret semper Imperatorem, Paul. Æmil. *l. 3. fol. 73.* Ipse v. Henricus victus & oppressus est, Sigebert. *in Chron.* Et noviſſimè etiam habemus exemplum in Electoratu Saxonico: *Christianus n. II.* inclutæ memoriæ, *A. C.* 1583. vivente adhuc avo *Augusto* Electore natus est quo tempore Christiani II. parens Christianus I. Electoria dignitate nondum fulgebat An. v. Christi 1585. Patre Electore *Iohannes Georgius* natus est, Patri tamen Christiano I. rectè succeſſit ipse filius primogenitus Christianus II. quo mortuo demum Johannes Georgius, qui hodiè adhuc felicissimè rerum potitur, ad Electoratum admissus est. Et quamvis primò obstare videantur multi juris textus, qui ab Hottom. *d. l.* & Tiraquell. *loc. cit.* allegantur, nihil tamen contra nostram sententiam faciunt, quia loquuntur de his, in quibus filii parentibus non succedunt, sed de his, quæ ex dignitate parentum, ad filios transeunt

unt in vita ipsorum parentum, in quibus non prodest ea dignitas natis ante dignitatem. Hic autem loquimur de his quæ transeunt post mortem & jure successionis. Quinimò loquuntur etiam leges de privilegio, quod competit patri, quod non trahitur ad filios antegenitos: Atque consuetudo nostra non dat privilegium patri, sed ipsi primogenito. Præterea quamvis occurrant exempla etiam in contrarium, ut quod Xerxes Darii filius Artimeni fratri primogenito ante adeptum regnum nato antepositus, *Instit. lib. 2.* Item, quod filius Cardi, Siciliæ regis, primogenito ante regni dignitatem edito prælatus., *Lancell. in templ. lib. 1. quæst. 1.* ista tamen communi regulæ ab ipsa natura latæ non sunt opponenda, nec eidem præjudicare possunt. Quinimò hodiè sententia nostra pro primogenito ante regnum à Carolo IV. *in Aur. Bull.* confirmata est. Et sic in Rom. Imp. observatur.

QVÆST. X.

Vtrum jus primogenituræ etiam competat legitimatis?

Quæstionem hanc copiosissimè tractatam invenies apud Tiraq. *tr. de jure primog. q. 34.* item Valen. Forst, *tract. de succes. lib. 4. q. 24.* Quorum sententia hæc est, quòd filius legitimatus non præferatur jure primogenituræ eo casu, quo filius legitimè natus ante legitimationem extat; secus si filius naturalis, antè legitimè natum sit legiti-

gitimatus. Quorum argumenta & rationes ibidem vide. Nos in contrariam imus sententiam, & dicimus, nullo casu legitimatum legitimo præferendum esse. Et quod attinet ad legitimatum per rescriptum Principis, dicimus, cùm regulariter non admittatur ad feuda minora, §. *naturales, t. 26. lib. 2. Feud.* Quantò minùs in feudis majoribus & majoratuum successionibus, Molin. *lib. 3. de primog. 3. per tot.* Præsertim cùm majoratus sint nobiles. Nam à nobilitate legitimatos ubique removeri constat ex communi sententia Tiraq. *de nobil. c. 25. n. 15. 18.* Cùm ergo legitimatio nobiles non faciat, & majoratus nobilis esse debeat, quomodo, quæso, succedere jure primogenituræ poterit; Præterea non facit aliquem legitimum Principis rescriptum, sed fingit & credi jubet, quod non est, propterea etiam non dicuntur esse, sed haberi legitimi. Porrò cùm legitimatus tantùm nitatur privilegio & gratia Principis, certum est statuentes, cùm legitimos in statuto nominarint, de legitimatis in hoc singulari privilegio non cogitasse; Deinde non potest Princeps potestate natalibus restituendi uti, in præjudicium tertii, quia jus suum sine culpâ & causâ nemini auferri potest. Certi enim juris est, Principi facultatem concessam non esse ad convellendam justitiam, qua suum cuique tribuitur. Huc accedit, quod regnum non deferatur, ut hæreditas aliqua privata, sed ex lege regni fundamentali, quæ non potest extendi ad legitimatum

quia

quia statutum, quo legitimo primo genito defertur successio, non potest verificari in facto *arg. l. 51. §. 1. de leg. 2.* Et quoniam verba accipi debent in potiore significatione, *§. 4. Inst. de l. N. G. & C. & l. 1. §. 1. ff. si ager. vectig* & ea potiùs significatio eligenda, quæ magis convenit materiæ subjectæ. *l. 15. §. 4. ff. locati*, & à verbis propriis non est recedendū, *l. 69. ff. de leg 3.* & filius naturalis legitimatus nunquam propriè legitimus, sed legitimatus dicitur, *l. cum legitimæ, 19. ff. de stat. hom.* Concludimus per legitimationem Principis, legitimatum jure primogenituræ, nullo casu legitimo præferendum esse? nisi in iis bonis de quibus integrum est patri citra cujusque præjudicium disponere, Molin. *de major. lib. 3. c. 3. n. 10.* & nisi consentiant omnes, de quorum præjudicio agitur. Atqui in nostro casu non tantùm de præjudicio legitimorum, verùm etiam de præjudicio populi agitur. Non enim populus, dum in legitimum Principis filium consensit, videtur voluisse admittere legitimatum. Et quamvis majori ratione indulgendum videatur iis, quos subsecutum matrimonium natalibus restituit, quia omnium efficacissimè operatur hic modus naturales efficiendi suos: Verùm, quia hic non jus civile vel Canonicum attenditur, sed statutum & intentio populi legum regni fundamentalium, quamobrem si summam Principum dignitatem, si confusionem & labem sanguinis, quam nec matrimonii favor, nec auctoritas Majestatis ex-

gere potest, respiciamus, magis è Republ. fuerit, ut legitimatis fores ad sceptra non tantùm nō eo casu, sed nullo modo aperiantur, cùm regulariter, ubi de honoribus agitur, ne dicam de summis, sordes excludantur, & cùm Pontifex, *c. innotuit, 20. x. de elect.* ad Episcopatum per electionem neminem admittat, nisi ex legitimo matrimonio prognatum! quantò magis id in jure majoratus in Principatu & Ducatu locum habebit.

QVÆST. XI.

Vtrum jure primogenituræ filius primogeniti patruo præferatur?

Hæc quæstio olim ita torsit JCtos, ut plurimùm eam in medio reliquerint, vel ita obscurè locuti sunt, ut nescias utram partem sequantur. Id quod facilè etiam constat ex eo, quòd tempore Ottonis I. *referente* Witekindo Sax. *lib. 2. hist.* cùm hæc controversia incideret, & in comitiis inter Principes & alios status Imperii hac de re conveniri non posset, duello res commissa sit, quod olim factum non invenimus, nisi in rebus maximè dubiis, ubi sciri non potuit utri parti res adjudicanda. Rationes dubitandi hæ sunt: 1. Quia non debent filii deterioris esse conditionis, quàm nepotes, *l. 3. C. de bon. mater.* 2. Quia patruus gradu prior est. Ergo debet præferri, *arg. l. 14. ff. de inoff. test.* 3. Quia patruus prius genitus est. Ergo ex consuetudine, vel statuto loquente

quente de primogenito non potest præferri, cùm statuta secundùm literam strictè accipienda, 4. Quia nomen primogeniti est nomen ætatis; Atqui qualitas ætatis non est transmissibilis ad hæredes, *c. 1. de reg. jur. in 6.* Impossibile enim est, ut ætas patris fiat ætas filii. Est enim ætas omnium personalissima. Ergo, &c. 5. Quod in spe tantùm est, illud transmitti non potest, *l. 10. in pr. & l. 23. & l. 47 ff. de vulg. & pupill. subst. l. 26. ff. de usu & usufr. leg. & l. 4. quando dies leg. ced. cap. 146. de consecr. dist. 4.* 6. Quia nepos in successione avi, non succedit ex jure transmissivo, sed ex jure proprio in gradum paternum, cùm illi ipsi filio nunquam fuit delata hæreditas. 7. Quia transmitti debet jus primogenituræ in nepotem vel actu vel potentia. Atqui primum dici non potest, quia primogenitus vivo patre jus actuale non habet. Ergò neque transmittere, *per l. 34. C. de inoffic. test.* Neque potentia id fieri potest, quia talis est morte filii primogeniti caduca effecta. 8. Quia per medium inhabile & imperfectum non potest fieri perfectus transitus ad aliquod extremorum: Atqui primogenitus est medium inhabile per mortem factus. Ergo, &c. 9. Quia destructo fundamento destruuntur omnia cætera, *l. 8. ff quod vi aut clã.* 10. Quia primogenitura est qualitas, quæ non potest esse extincto proprio subjecto. E. Non entis nullæ erunt ampliùs qualitates, & per consequens, Patruus succedere debet.

11. Quia

11. Quia nepos sic plus consequeretur, quam habuit pater ejus. 12. *per l. 6. in pr. ff. de injust. test.* 13. Quia in jure patronatus filius excluditur à patruo in tutela, *l. 3. § 7. ff. de legit. tut & l. 4. ff. de oper. lib.* 14. Quia consuetudo hæc odiosa est, & contra jus commune. Ergò restringenda, *per c. odia 15. de reg. jur. in 6.* 15. Cessante causa cessat effectus. Atqui in nepote cessat primogenitura Ergo, &c. 16. Si primogenitus renunciat juri primogenituræ, tunc ad secundogenitum pertinet. Ergò idem de illô planè sublatô est statuendum. 17. Casus omissus, pro omisso habetur, quàm regulam adeò veram dicit Anch. *cons. 120.* ut in omnibus valeat dispositionibus, Atque statutum strictè de primogenito loquitur, non verò de nepote, qui longè post patruum genitus. Quare cum in casu omisso, ne tacita quidem voluntas præsumatur, *arg. l. 36. ff. de milit. test.* 18. Quia paria sunt non nasci, & natum mori, *Nov. 12. c. 4.* 19. Quia ubi est eadem ratio, ibi debet etiam esse idem jus. Atqui prælationis primogeniti ratio est, quòd ratione ætatis præsumatur aliis prudentior & idoneor Principatui moderando. Ergo. 20. Quia privilegium, quod est cum alterius præjudicio, strictè interpretandum est, & ita communiter limitatur, *l. 3. ff. de const. Princ. & c. cum dilecti, 6. x. de donat.* Beneficium n. in alterius præjudicium extendi non potest, *per l. 2. & ibi* Bald. *C. de bon. quæ lib.*

Contrà, pro nepote rationes decidendi hæ sunt:

sunt: 1. Quia de jure communi Nepos succedit pariter cum patruis suis jure repræsentationis, *l.3.C.de suis & legit. l.13 in pr.ff.de injust.test. auth. cessante, & auth. post fratres, C.de leg.hær.6. l.de her. quæ ab int.* Ergo, longè alia ratione succedit jure speciali & proprio. Nam quod juris est in parte, quoad partem, id etiam juris est in toto, quoad totum. Cùm ergo nepos tantam ex hæreditate percipere debet portionem quantam pater, si supervixisset, futurus erat accipere, *d.auth. post fratres.* Sequitur omne etiam privilegium patris filio esse attributum. 2. Quia pater & filius sunt una eademque persona, una caro, & filius propterea existimatur dominus bonorum patris *l.ult.C. de impub. & aliis subst.* Ex quibus confestim sequitur primogenituram non extingui per mortem, cùm nepos ex eo supersit, in quem transfusa fuit caro & substantia patris. Id quod etiam probatur, *Eccl 30.4. in verb. moriuus est pater ejus, &c.* Idem de jure civili ex eo probatur, quòd videmus, in substitutionibus non dici patrem extinctum, ex quo vivit nepos, *l.30. C.de fideicom. & l.6. C. de inst. & subst. & l.102 ff. condit. & demonstr.* 3. Quia jus primogenituræ est cessibile, sive alienabile in singularem successorem, *c.quam periculosum, 7.q.1.* Ergò etiam erit transmissibile. Et per conseq. eadem qualitas, quæ in filio, inhæret etiam nepoti. Ergo nepos dicitur primogenitus, sicuti & pater ejus, si non ratione nativitatis, attamen ratione transmissio,

missionis, non secus uti Jacob dicitur primogenitus ratione cessionis; ita nepos ratione transmissionis. 4. Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, *l. 10. & ibi Bart. C. de aq. duct.* Idque maximè procedit in subrogatione naturali, natura enim longè plus ponderis habet, quam accidens. 5. Quia causa quare primogenito hoc datum est privilegium, est ipsa primogenitura, seu primogenituræ dignitas, quæ non extinguitur cum persona, sed continuatur in nepote, *c. quoniam Abbas, extr. de off. deleg.* 6. Statutum, in quo disponitur, ne filia succedat existente masculo, recipit interpretationem seu extensionem passivam ad nepotes, propterea, quod hoc jure civili dispositum, ut nepos transeat in locum filii, & subrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur. 7. Quia nepos natus est ex radice privilegiata, quæ cæteris præferebatur. Ergo & eandem naturam privilegii assumit. Et ratio consequentiæ est, quod forma & origo, quæ à radice ducitur in quolibet derivato reperiatur. 8. Ab absurdo. Sequeretur enim liberos secundogeniti, si ætate præcederent, liberis primogeniti præferendos esse. 9. Quia, quod uni est collatum, alteri est sublatum, *l. 24. §. 2. ff. de leg. 1.* 10. Quia pater & filius sunt in primo gradu inter se, §. 1. *instit de grad.* Ergo est etiam uterque in primo gradu in jure primogenituræ. 11. Quia, qui succedit in locum alterius, utitur eo jure, quo ille uti poterat, *l. 2. vers. nam hæres. ff.*

res.ff.ad Trebell. 12. Quia, quod possunt contrahentes, potest etiam lex vel statutum. At qui conventione partium est transmissibile. Ergò etiam id potest lex vel statutum. 13. Quia jus primogenituræ non venit jure filiationis, sed naturæ. Nam tam personæ, quam causæ est datum. Ergò cùm causa debet transmitti. 14. Quia hodiè exstat expressè decisum *in Aur. Bull. Car. IV. c. 5.* 15. Quia idem repetit Sigism. Imp. *in Bull. de succes. Com. Palat. §. 4. ne inter hæredes.* Plures rationes vide apud Tiraquell. *d. l.* Hinc respondemus ad argumentum. 1. Quod non succedat nepos hoc in casu jure nepotis, sed ut primogeniti primogenitus filius, hac enim ratione fit causa cæterorum deterior. Non ergo debet ejus conditio deterior esse, sed melior. Ad 2. resp. Negando. Nam per repræsentationem nepos ascendit in gradum patris. Ad 3. & 4. Non est in prærogativa ætatis, sed super dignitate primogeniti, quæ non moritur neque extinguitur, fundatum. Ad 5. Quod nepos id jure proprio obtineat. Quinimò spes etiam est transmissibilis, ut patet ex *l. 34.* ibi: *& si præparatio, C. de inoff. test. §. 4. Instit. de V. O. l. un. C. de his, qui ante apert. tab. hær.* Ad 6. Quòd omninò hoc jus sit transmissibile, idque patet ex transactione, quâ Esau illud concessit Jacobo, *c. quam periculosum, 7. q. 1.* Ad 7. Quod transmittatur potentia beneficio legis antequam & filius & nepos existant actu. Ad 8. Quòd non ratione parentis obveniat, sed jure naturæ.

naturæ. Ad 9. Quod nullo modo se fundet in patre vel jure filiationis, sed proprio jure primogenitis contingit. Ad 10. Quòd non sit extinctum primogeniti subjectum, cùm ex eo supersit nepos. Ad 11. Quòd tantum consequatur nepos, quantum pater, si supervixisset, futurus erat capere. Ad 12. Quia avus ibi superstite filio mortuus est, nõ potuit ergo nepos, quem præcedebat adhuc filius, rumpere testamentum. Ad 13. Quòd hoc locum habeat in jure patronatus tantùm. Ad 14. Non esse odiosam, & quamvis esset, osa, nihilominus tamen admitteret declarativam seu interpretationem passivam. Ad 15. resp. Negando. Nam manet nepos, cui æque competit jus primogenituræ, quàm patri. Ad 16. Quòd non possit primogenitus jus primogenituræ renunciare in præjudicium suorum liberorum. Ad 17. resp. Negando. Nam statutum loquens de primogenito comprehendit etiam nepotem: Quin & illud, quod dictum est, procedit, nisi casus omissus sit similis expresso. Ad 18. Valet in casu, si mortuus non reliquit liberos. Ad 19. resp. Negando uti antea responsum. Ad 20. Quod hoc non fiat per extensionem, sed interpretationem declarativam & passivam, quæ etiam obtinet in præjudicium alterius. Plura de hac quæstione vide apud Tiraquel. *d. l.*

QVÆST. XII.

Vtrum Magistratui iniqua præcipienti obediendum?

Non

Non tantùm pio & bono, verùm etiam iniquo & impio magistratui parendum esse, probatur his rationibus: 1. Quia impius magistratus æque est à Deo ac pius & bonus, *Rom.13.1.* 1.*Petr.2.v.13. Non est potestas, nisi à Deo.* Sic Nabuchodonosorem, quamvis impium Regem, attamen ministrum suum appellat Deus, *Ierem.25.v.9.& 27.v.6.* Judæi captivi pro illius & liberorum salute orare jubentur, Bodin.*2.de Republ.cap.5.p.329.* Hinc ipse Salvator ad Pilatum inquit, quòd potestas ipsi desuper data, *Ioh.19.v.11.* Sic Jeremias impium Regem Zedekiam dominum suum appellat, *Ierem.37.v.20.* 2. Quia generale præceptum est, quod Principi nõ debeamus maledicere, *Exod.22.v.28. Vnde* Scalig. *Reverenter habe, quos superi dant, superiores.* 3. Quia jussa Principum recusare est cæteris rebellandi occasionem præbere. Siquidem rebellionis species est denegare, quæ imperantur, R.A. *An.1542.* zu Speyer/§. Würde sich aber jemand 4. Quia qui privata auctoritate magistratui resistunt, ordinationem Dei tollere conantur, & spuit in se, qui spuit adversus Olympum, addc R.A. *de Anno 1525.* §. und ist derhalben *& de Anno 1526.* §. Zum andern/*&* §. *seqq.* 5. Quia publicâ imperii Constitutione sancitum est, ne mandata sine clausulâ subditis cõtra Magistratum facilè cùm de enarratis verisimiliter non constet, decernantur, R.A. *de Anno 1594.& §.* So soll auch zum fünfften/ Gail.*1.obs.17.n.6.*

Contrà, quòd impio magistratui non parendum, videtur probari his argumentis : 1. Quia Deus est ultor severus impii & injusti magistratus, *Amos c. ult. v. 8.* Ergo non est autor. 2. Quia *Ose. 8. v. 4.* dicitur, quod Deus non cognoverit tales magistratus. 3. Quia Deus operantem iniquitatem extremè odit. 4. Non est Deus, nisi justi & rectissimi, *Deut. 33. v. 26.*

Pro determinatione quæstionis distinguimus: 1. Inter ordinem sive statum magistratus, & inter falsam magistratus usurpationem. 2. Inter præceptiones, quæ sunt contra Dei & naturæ leges, & inter præceptiones, quæ utilitatem & cõmodum nostrũ respiciunt. Quib. distinctionibus præmissis, nostra sentẽtia hæc est, quòd cõtra Dei & naturæ leges nullo modo sit magistratui obediendum, juxta Apostoli effatum, *Act. 5. v. 29.* Possumus n. id tantùm, quod honestè possumus, *l. 15. ff. de cond. inst.* Idque propter vindictam divinam, *Ose. 5. v. 13.* Quòd si v. præceptum tantùm utilitatem privatam respiciat, præstabilius esse dicimus obedire, quàm justa recusando, cæteris rebellandi occasionem præbere.

DISPVTATIO VII.

DE MAJESTATE, LEGIBUS FUNDAMENTALIBUS, ET JURIBUS MAJESTATIS.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Postquam præcedente disputatione, Magistratum ratione potestatis divisimus in summum & inferiorem, & summum iterum distinximus in summum secundùm quid, & absolutè summum, restat, ut deinceps ordine de singulis in specie disquiramus. Cùm a. res melius non cognoscatur, nisi ex suis proprietatibus & qualitatibus; idcircò antequam de summo Magistratu & capite Imperii Romani in specie dicamus, hanc disputationem de majestate tàm reali, quàm personali præmittemus.

Thesis I.

Vocabulum *Majestatis*, vel à *magnitudine* communiter dicitur: quòd sit vel *major status*, seu amplitudo & magnificentia in Republ. *arg. l. 23. ff. de leg. 3. l. 4. & l. fin. C. de legib. l. 91. ff. de har. inst.* Alb. Gen. *ad L. Jul. Majest. disp. 2. à pr.* Thol. *l. 8. de Republ. c. 3.* Arnis. *de jure majestat. c. 3.* Born. *tr. de majest. c. 1.* vel quòd sit *majoris status seu regni jus*, respectu juris illius, quod tribuitur civitati vel collegio, quod minoris status jus est, Althus. *p. 59.*

2. Variis porrò vocabulum *Majestatis* indigitatur nominibus vocatur enim 1. *Imperiũ in Republ. summũ, Aristoteles 3. pol 4.* 2. *Regalis majestas* à voce *Regis*, nuncupatur. 3. *Jura Imperii*, Liv. *lib 2.* Curt. *l. 10. 4. Sacra Regni*, Cornel. Tacit. 5. *Sceptrum*, *Gen 49. 10.* 6. Græcis κράτος πολίτευμα. 7. Italis *Signoria*. 8. Hispanis *Majoria*. 9. Gal-

lis *Souverainete* indigitatur, Besold. *disp. 2. Cl. 1.* 10. Interpretibus juris est *Imperium maximum*, Dd. *ad l. 3. de jurisd.*

3. Majestas duplex est *Realis & Personalis.*

4. *Majestas Realis*, quæ alio nomine Majestas Reipubl. vel Imperii, vel regni dicitur, Rei. publ. Regno vel Imperio est innata, & propterea coæva, neque per decessum Regis vel Principis expirat, sed quamdiu corpus regni durat, permanet, & sub ipsis interregnis & alternationibus gubernationum subsistit, interitque solùm cum ipsa Republ. Besold. *d. l.*

5. Hujus majestatis realis intuitu populum Romanum in Imperatorem, Lege Regia, de qua JCtus Ulpian. *l. 1. ff. de const. Princ.* non absolutum dominatum seu παμβασιλείαν sed νομοθεσίαν sive juris constituendi potestatem, & quidem non abdicativè, sed communicativè, collocasse certum est, Paurmeist. *de jurisd. Imp. Rom. lib. 1. c. 5. n. 26. & seqq.* Hinc crimen majestatis tam adversus populum & Rempubl. quam ipsum Principem committi dicitur, Bocerus *tract. de crim. læs. majest. c. 1. n. 25. & c. 2. n. 13. & n. 47.*

6. Majestatem hanc Reipubl. seu realem, comprehendunt, custodiunt & tuentur leges fundamentales, seu leges regni quæ nihil sunt aliud, quam basis & fundamentum, sub quibus Reipubl. constituta, & tanquam fundamento innititur, quibus ergò sublatis salutem & statum Reipubl. Rom. everti necesse est Dan. 3. *pol. Alt. hus. c. 6. edit. prior.* 7. Est

7. Est ergò lex fundamentalis, qua libertas Germaniæ retinetur, nihil aliud, quàm communis sponsio civitatis, πόλεως συνθήκη κοινή, l. 1. & 2. in pr ff. de ll. quam cum Electoribus, qui totam civitatem & Rempubl. repræsentant, futurus Imperator init.

8. Pro fundamentali lege agnoscenda sunt majorum nostrorum instituta circa successiones. Item agnoscenda pro lege fundamentali forma electionis Aureæ Bullæ sanctione expressa, & clausulis derogatoriis munita, aliaque multa, quæ passim in recessibus Imperialibus habentur.

9. A certis verò capitibus & conditionibus, quibus populi Germanici Imperium summum in Imperatorem transfertur, dicitur hæc sponsio seu pactio, alio nomine capitulatio, & has breviter enumeratas conditiones complectitur. 1. Ut Catholicam religionem defendat. 2. Ut Auream Bullam, item religiosam & publicam pacem ratihabeat. 3. Electoribus Statibusque Imperii privilegia sua confirmet. 4. Electoribus quotannis conventus agere concedat. 5. Multitudinis fœdera contra Principes aboleat. 6. De rebus Imperii nullum fœdus aut pactum faciat, nisi cum Septemvirorum assensu. 7. Facultates Principum occupatas & distractas restitui curet. 8. Imperii bona, nec distrahat, nec oppignoret. 9. Ab Imperio avulsa recuperet. 10. Ipse etiam si quid detineat, interpellatus restituat. 11. Cum vi-

cinis pacem colat. 12. Status Imperii nec tributis, nec conventibus oneret, absque eorum consensu & voluntate. 13. Negotiis publicis præficiat Germanos 14. Conficiantur literæ sermone Latino & Germanico. 15. Quia Romæ multa fiunt adversus pacta quondam cum Principibus inita, det operam apud Pontificem, ne frans fiat privilegiis. 16. Monopolia mercatorum coërceat. 17. Vectigal aut portorium de novo nõ imponat. 18. Nec, quæ ad Rhenum sunt, diminuat. 19. Si verò erigantur, aboleat. 20. Cognitiones de vectigalibus coram solo Cæsare, non autem Camera pergantur. 21. Ne literis commendatitiis Electorum vectigalia fiant deteriora, provideat. 22. Actiones de regalibus & immunitatibus institutas permittat. 23. Si quid adversus quem ex ordinibus habeat, legibus experiatur. 24. Sine & inaudita causa neminem proscribat. 25 Contributiones Imperii, non in privatum, sed in bonum publicum convertat. 26. Feuda Imperii aperta, nemini de novo sed in patrimonium Cæsaris conferat. 27 Si jure hæreditario ipse provincias acquirat, in iis Imperii jus non minuat. 28. Leges monetarias figat. 29. Nemini deinceps absque consensu Electorum, jus monetæ cudendæ concedat, sed civitatibus mediatè Imperio subjectis adimat. 30. Regnum sese non ex successione, sed electione habere statuat. 31. Quod interregni tempore vicarii egerint, ratum habeat. 32. Germaniæ sedem retineat. 33 Nullum rescriptum vel mandat.

mandatum contra pragmaticas sanctiones, & utramque pacem prophanam & religiosam, emittat. 34. Legatos Germanorum citò audiat. *Vide* Sleidan *in comment. de stat. relig. & Reipubl.* & ipsas capitulationes, *Carol. V. Item Ferd. Maxim. Rud. & Matth. Impp.* Quæ jurata pactio sive capitulatio, his clausulis concludi solet: Solches alles und jedes besonder/ wie obstehet/ haben wir obgemelter Römischer König/ den gedachten Churfürsten geredet/ versprochen und zugesagt / bey unsern Königlichen Ehren/ Würden und Worten/ thun dasselbige auch hiemit und in Krafft dieses Briefs/ &c.

10. Cùm verò majestas imperantis ab Imperii majestate, tanquam fundamentum à fundamento distinguatur; fit ut majestati Imperii imperantis majestas tanquam superiori obstringatur. Tenetur ergo Princeps eam capitulationem comiter observare, nec potest ulla ratione eandem mutare aut ab eadem recedere, *arg. l. 55. ff. de leg. 1. & l. 23. ff. de leg. 3. & l. 5. §. 7. ff. de admin. & peric. tut. & l. 7. & l. 20. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 38 ff. de pact. l. 42. & l. 7. §. 16 eod.* ut non temere dicat *Bald.* neque Pontificem neque Imperatorem cum Electoribus posse mutare formam pro statu Imperii generaliter constitutam, *in cap. venerabilem num. 4. ext. de Elect.* Pruckman. *de solut. potest effect. 4. pag. 267.* Nicol Eberhard. jun. *cons. 1. num. 27. lib. 1.* Nicol. Reusn. *cons. 11. num. 20. libert.*

Kirch *disp. 4. de Republ.* Alciat. *cons. 132. n. 3. lib. 5.* Zas. *cons. 10. n. 6. & 26 lib. 2.* Mynſ. *cons. 24. n. 19.* Nicol. Rucker, *cõſ. 16. n. 23. & 30.* Barch. Bertazz. *cons. crim. 420. n. 15. & ſeqq.* Sic enim habet juramentum; Bey unſern Königlichen Ehren/ Würden/ Worten/ im nahmen der Warheit zugeſagt/ thun daſſelbige auch hiemit/ und Krafft dieſes Brieffs/ inmaſſen wir dann deß einen leiblichen Eyd zu Gott uñ dem heiligen Evangelio geſchworen. War. ab Ernb. de fœd. *lib. 2. c. 1. n. 160.* Flor. *à Venning. conſ. 16. n. 31.*

11. Pro utilitate tamen Reipubl. in uno atque altero membro capitulatio talis, cum conſenſu Statuum mutari poteſt, quemadmodum die Capitulation/ ſo viel des Bapſtes Huldigung betrifft/ in Keyſ. Maximil II. & Rudolphi deß Andern Obligation geändert worden/ *arg. l. 35. ff. de reg jur.* Pruckman. *d. l. effect. 4. n. &.* & Nicol. Reuſn. conſ. 3. *n.* 35. *lib.* 2. Eadem autem ſolennitas adhiberi debet in deſtruendo, quæ intervenit in faciendo Pacian, *de probat lib. 2. c. 36. n.* 35. ejusque eſt deſtruere, cujus eſt condere *arg. l. 22. ff. de leg. 3.* Franc. Bec. *cnoſ. 15. n. 16.*

12. Tolli verò in totum talis capitulatio, ne quidem conſenſu Electorum poteſt. Eſt enim cum majeſtate totius & univerſi Imperii conjuncta; Ergo abrogationem totalem absque omnium Statuum conſenſu non admittit, Zoannet, *de Imp. Rom.* Dieter. *de ſumm ſummi Imp. poteſt. concl.* 41. Anton Coler. *de jur. Imp. Germ. ſect. inaug.*

inaug. sect. 34. Et Buxtorff. dissert. ad Aur. Bull. th. 7.

13. Personalis majestas est, quæ in personam confertur, & cum eadem rursum concidit.

14. Definitur, Quòd sit summa, perpetua, item legibus soluta Reipubl: potestas in personas ac res suæ ditionis. Paurmeist. 1. *de jurisd. c. 3. n. 1. & 22.*

15. Cùm autem is, qui majestatem tàm eminentem, & divinæ succedaneam adeptus est, ut Deus inter homines esse debeat; factum est, ut divinas appellationes, non rarò videamus Principibus aptatas, non quòd hac ratione Deo quod ipsius est proprium impiè velint eripere Principes, ut ineptè colligit, Bod. 1. *c. ult. de Republ. n.* 113. *& 2. c. 6. n. 226.* sed ut officii sui admonere, se nimirum Dei ministros esse, Deique clementiam, justitiam & beneficentiam, ut sequantur instigare debeat, & hâc ratione quamvis non propriè; non tamen impropriè divinas appellationes Principes sortiuntur. Hinc majestatem cœlo delapsam finxere, ac ut Deâ Honoris & Reverentiæ filiam coluere, Ovid. 5. *Fastor.* Hinc *Homerus.* Reges διοτρεφῆς vocat: quasi Jovis in sinu & ulnis educatos. Hinc *Graci* Imperatores se θεοστεφεῖς à Deo coronatos & χειροτόνητους unctos Domini profiteri solebant, Marq. Freher, *ac* Petr. de Andlo. 1. *c.* 2. 2. *in pr.* Hinc non tantùm sacra & sancta in jure nostro audit majestas, & Imperator sacratissimus salutatur verum etiam res ipsius

ipsius privatæ vocantur sacræ, Brisson. *Lex. l. 17. Sixtin. 1. de Regal. cap. 1. num. 31.*

16. Majestatem summam potestatem vocamus, quia & prima est, & suæ quasi originis, & à superiore nullo dependet, nisi à solo Deo, qui eam proximè antecedit, & cujus vicem obtinet in hoc mundo, & quamvis ea potestas à populo in Imperatorem Lege Regiâ translata, non tamen proindè ortum habuit à populo, cùm & ipsa quam populus ab initio habuit, & in Imperatorem contulit, à Deo fuerit. Hinc est quod nostri Imperatores ac Principes à Divino nutu Dei gratia, Divina favente clementiâ Gottes Gnaden/se constitutos scribunt. Imperatores ac Principes dicimus. Nam quamvis Principes olim non jure proprio sed ex speciali privilegio, sua nomina dignitatis à divino nutu usurpent, hodiè tamen, mutatâ Reipubl. formâ, cùm provinciæ in feuda commutatæ, non ut olim muneris & administrationis, sed patrimonii sint nomina, rectè & proprio jure, nomina sua à nutu & providentia Divina usurpant.

17. Falsum ideoq; est summum Pontificem habere summam in mundo potestatem: Ut & falsum à Græcis ad Francos per Pontificem Romanum, non populi electionem Imperium fuisse translatum de quibus pluribus in quæstionibus videbimus.

28. Non verò eâ ratione definivimus majestatem esse Imperium summum, quòd Imperator

tor universi mundi Dominus, sit, ut ei de jure cætera omnia Imperia in mundo debeant esse subjecta. Non potest n. Imperator in regnis aliorũ, actum jurisdictionis exercere. Bocer *2. de reg. n.* 102. receptissima enim est regula tàm Politicorum quàm JCtorum: Reges superiorem non recognoscentes, monarchas dici in suo regno, Bocer. *class.* 1. *disp. 2. n* 25.

19. Summum ergo Imperium dicitur ratione reliquarum in Republ. potestatum, quarum contemplatione est veluti fons & origo augustissima, tàm ratione jurisdictionis & judicii quàm magistratus & Imperii. Constat enim olim coërcitionem criminum gladiique potestatem ad solum Principẽ spectasse, cujus solius fuit animadvertere in caput civis Rom. Steph. 1, *de jurisd. c. 2. n. 67.*

20. Et licèt si statum Imperii Romani, non qualis fuit olim in principio, cùm omnia, aut populo, aut magistratui Principis, vel jure patrimonii, vel fisci subjecta fuerunt, easque provincias, Præsides & Procõsules administrârunt, qui exercitium tantùm, non ipsum jus habebant, vel si habebant, non tamen jure Magistratus, sed speciali lege accipiebant; verùm si statum Imperii Romani hodiernum consideremus, licet, inquam, Principes *jure Magistratus* non tantùm ipsum *exercitium* summi Imperii, sed *jus* ipsum possideãt, tamen quod si supervenerit Majestas ipsa, nullus Princeps vel Magistratus jurisdictionẽ retinet impeditã. Hinc & in jure Saxonico sancitũ:

In

In welch Land der Keyser kommet/ daselbst ist das Gericht ledig/ Bocer. *de jurisd. cap. 8. n. 80. Heig. 2. q. 25.*

21. Præeminentiam, præcedentiam & primas, quod attinet, Imperatori nostro Principes omnes universi orbis Christiani omni jure cedere debent, Arnis. *de jurib. Majest. lib. 1. c. 4. n. 1. Zieriz. de prin. præc. Aur. Bull. Car. IV. c. 2.*

22. Porrò non tantùm summam, verùm etiam perpetuam illam esse potestatem diximus. Quo vocabulo omnes administrationes & munera à Majestate excluduntur. Illis ergò, quib. ad breve aliquod tempus summa potestas tribuitur, majestas propriè non competit. Hinc nec *consulare* Imperium apud Romanos, quia annuũ, nec *Dictatoris*, quia sex tantùm mensium, ullius majestatis capax fuit. Hinc nec illi, qui in defectu Principum, Imperii administrationem habẽt, ut sunt *Ephori, Seniores vel Regentes regni*, vel qui vacante Imperio administrationem ejusdem habent, quales sunt in Rom. Imp. *Elector Palat. & Saxon.* quibus quamvis *ex Aur. Bulla. Car. IV. c. 3.* totius Imperii cura, exercendi judicia, beneficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus & proventus, investiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine sacri Imp. recipiendi incumbat, &c. non tn. sunt majestate præditi. Requirimus ergò ad majestatem hæc duo, ut videl. sit & summa, & perpetua conjunctim, Dieter. *disp. d. de majestate.*

23. Dein-

23. Deinde vocabulum *potestatis*, in definitione positum, non tantùm à singulorum magistratuum vel curatorum officio, sed etiam à Senatu cujuslibet Reipubl. auctoritate, Imperatoris majestatem distinguit. Senatus n. est collegium eorum, qui ad capienda de Republ. consilia constituti sunt. Hi enim nullam potestatem & Imperium in Republ. habent. Nam horum sententiam sequi liberum est.

24. Et tantùm de definitione majestatis personalis: Jam jura majestatis, quæ Imperatori *tùm* in signum superioritatis vel supremæ eminentiæ, *tùm* in laborum præmium, *tùm* ad cognoscendum supremum decus, authoritatem & excellentiam, competunt, & reservata Principi, in nostrâ linguâ, Keyserl. sondere Hochheiten und Reservaten appellantur, breviter videbimus. Solent a nonnunquam inferioribus etiam concedi, verùm non omnia & plenè, sed ad certum tantùm modum, & hoc cùm fit, non jura majestatis vel reservata, sed Regalia majora nominantur, de quibus alibi cum Deo & die dicturi sumus.

25. Primum ergo ac præcipuum majestatis jus est, de legibus. Summæ enim illius potestatis vi, Imperator leges universales olim pro suo arbitrio condidit *in constit. inst. præfixa, l. 2. C. de vet. jur. enucl. & l. fin. Cod. de leg. & l. 35. C. de inoff. test.* Hodiè cum assensu & consilio Statuum Imperii leges universales condit, & suo nomine & auctoritate divulgat. Legem universalem dixi, Nam

specia-

ſpecialem & localem legem cæteri inferiores Principes & Status Imperii in ſuis territoriis & provinciis, cum aſſenſu tamen primariorum recte condunt. Quod ita receptum communiter: Vnd wird der gemeine Außſchuß von der Landſchafft / das ſeynd die von der Ritterſchafft / und die von den vornehmen Städten darzu beſchrieben / hoc eſt, citantur ad conventum primarii ex nobilitate & majoribus civitatibus ejus provinciæ, in qua conventus celebratur, *gl. in l. 1. §. 1. ff. quod quisque jur. & in l. 2. verb. coacto cũ l. ſeq. & l. 5. ff. de decret. ab ord. faciend. l. 19. ff. ad municip. l. 27 C. de appell.* Nam Principes & alii inferiores principali dignitate illuſtres in ſuis provinciis Imperatorem repræſentant, & in iis, quæ veniunt jure Magiſtratus, tantum in territoriis ſuis poſſunt, quantum Imp. in univerſo Imperio.

20. Alterum majeſtatis jus eſt in bello, quod ad ſolum Imperatorem ſpectat, *Ord. Cam. pag. 2. t. 15. ibi*, auß der Keyſerl. Majeſtät / oder unſerm Zugeben. R. A. zu Augſpurg / *de Anno 55. §.* Wo ſich aber / *& §. ſeq.*

27. Tertium majeſtatis jus eſt in magiſtratibus creandis poſitum. Eſt enim uti antea dictum, majeſtas perſonalis, quæ Imperatori competit, ſcaturigo & origo Magiſtratus & Imperii. Unde cautum de jure civili, quod privatorum conſenſu, non poſſit alicui jurisdictio aut judicandi poteſtas tribui, nec fieri queat judex is, qui judex non

non existit, *lib. 3. Cod. de jurisd.* Bronch. 1. *miscell. ass. 10.*

28. Quartum majestatis jus est in dignitatibus conferendis positum, quod præcipuè ad Imperatorem spectat, sive magnæ illæ sint, sive parvæ.

29. Reges igitur creat Imp. Romanus, ut *Henricus IV.* Bohemiæ Ducem: *Fridericus I.* Daniæ Principem. Item Duces, ut Fridericus Barbarossa, familiam Austriacam, quæ Marchiæ nomen habebat cum dignitate in Ducatum evexit Rudolphus I. Comites à Zollern in Burggravios Norinbergenses, quos Sigismundus in Marchiones Brandeburgenses, additâ Septemvirali dignitate, constituit.

30. Ad hoc majestatis jus etiam pertinet, Comites & Barones creare; Nobiles effieere; Universitates erigere, Doctores, Licentiatos, Magistros, Comites Palatinos, Tabelliones, Notarios, Poëtas, &c. constituere. Item ad vitam, famam, honores, vel natales in integrum restituere; veniam ætatis dare, &c.

31. Quintum majestatis jus in extremâ provocatione positum est. Extremæ enim provocationis jus tàm sanctum habetur, ut qui sciens prudensve à summo Principe provocârit, capitali fraude teneatur, nisi forsan exemplo *Machetæ*, qui in judicio, ubi præerat *Philipp. Macedoniæ Rex*, & dormitans non observabat, quibus ille juribus se tueretur, ideoque illum damnabat? exclamavit impavidus, se provocare, quo

quo audito, iratus, inquit Philippus, ad quẽ provocas? Resp. Macheta, Ad te ipsum, ô Rex, si quidẽ vigilans & attentus audias, ibi excitatus Philippus, cùm ad se rectiùs rediisset, injuriam Machetæ fieri animadvertit, & quoniam res à se judicatas rescindi turpe ducebat, quò minus levitatis ac inconstantiæ argueretur, Macheti, quem iniquè condemnârat, damnum illatum de suo resarcivit.

32. Hoc a. Majestatis jus omnib. Imperii Germani Electoribus, à Carolo IV. olim *in Aur. Bul.* fuit concessum, *c.* 11. Hodiè tamen Saxonica & Brandenb. domus hoc integrum sibi reservavit, à quibus appellare non licet, nisi ob denegatam justitiam & nullitatem processus, *Vide Buxtorff. th. 94. adl. d.* A Moguntino a. Trevir. Colon. & Palatino, appellari cernimus adeò, ut hos privilegium hujus Bullæ contrario usu perdidisse asserant, Arnis. *l. 2. de jur. Maj. c. 2. n. 3.* Mich. *d. concl. 26. lit. C.* Schurff. *cons. 29. n. 1. cent. 3.*

33. Sextum, quod ad majestatem pertinet, est jus nummi cudendi, imagine signandi, ejus valorem & potestatem constituendi.

34. Hoc jus nonnullis Principibus superiorem agnoscentibus, maximè v. in Imperio Germano concessum est, quibus tn. varia præscripta sunt, quæ ab iis observari debent, uti etiam certa numismatum genera eos cudere, nec alia ferire licet. Inter quos tn. nonnulli prærogativâ aliquâ præ cæteris gaudent, quales sunt Electores & alii

alii quidam Ordines Imp. Rom. Et habent Electores hoc præcipuum, quòd in aureorum materiâ, ponderatione & æstimatione ad eos non minùs, quàm ad Cæsarem respiciendum esse dicatur.

35. Septimum, Majestatis jus est nova vectigalia instituere, & jam instituta augere, quod utrumque ad solum Principem pertinet. Et sicuti jure civili nec Præsidi provinciæ, nec aliis, sine Imperatoris præcepto indictio vectigalis permittitur; ita hodiè in Imperio, nullus status nova vectigalia per se instituere vel vetera augere potest, adeò, ut contra eos, qui talia faciunt in judicio Imperialis Cameræ mandata sine clausula impetrari possint. Quinimò nullus quoque vetera vectigalia per se minuere potest. Requiritur n. in novis vectigalibus instituendis, & veteribus augendis justa causa, utpote tenuitas patriæ, sumptuum magnitudo, in reficiendis viis, & sustentandis pontibus, vel publica utilitas, ut itinera plana ac secura præstari possint. Ex quo, si hodiè Status Imperii jus vectigalium ab Imperatore, petit, necesse est, ut non solùm justam alleget causam, sed etiam vicinorum vectigalium mentionem faciat, ut ita constet, non nimiis exactionibus subditos onerari.

36. Octavum, Majestatis jus est collectas Imperii indicere, quas in nostra lingua die Reichs-Steuren appellamus, quæ etiam hodie cum Statuum voluntate & consensu indicuntur.

Aliæ verò collectæ à quovis Principe vel Magistratu in casibus necessitatis, sine Imperatoris licentia indici possunt, quia tùm non ratione alicujus Regalis, sed ratione necessitatis indicuntur. At casus necessitatis sunt, incursio hostilis, necessaria Patriæ defensio, pontium & viarum refectio, redemptio Domini ab hostibus capti, filiæ Domini elocatio & similes.

37. Nonum, Majestatis jus est jus dandi nundinas. Hoc enim jus soli Imperatori competit. Differunt autem nundinæ & mercatus, quia nundinæ sunt celebriores mercatus unius Provinciæ vel Imperii, qui habentur certis statisque temporibus maximo conventu mercatorum, in his locis, in quibus jus eos habendi à Principe est datum, quales sunt in Germania nundinæ Francofurtenses, &c. At mercatus non sunt ita celebres, sed sunt parvæ nundinæ unius civitatis vel vici. Et sicuti nundinæ provinciales non nisi à Principe concedi debent: Ita mercatus à quovis Magistratu institui possunt, quia civitates & vici iis carere nequeunt.

38. Decimum, jus Majestatis est jus viæ publicæ, illius nimirum viæ, cujus solum est publicum, & per quam populus ire solet, quam viam nos appellamus eine freye Keyserliche Strasse/ eine offene und Land-Strasse/ deß H. Reichs Strasse. Quod jus videmus plerosque Imperii Principes vel expressa vel tacita conventione acquisitum habere.

39. Un-

39. Undecimum, Majestatis jus est jus absolvendi aliquem à juramento ad effectum agendi: Quod hodiè etiam Cameræ Imperiali competit.

40. Et hæc propriè sunt Majestatis jura: Alia si quæ sunt, ut sunt plurima, ea omnia ad hactenus relata referri possunt.

Et tantùm de Præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum Lege Regiâ plena & absoluta potestas, dominatus, παμβασιλεία, an verò tantùm νομοθεσία Principi concessa?

Lege Regia, de qua *l. 1. ff. de constit. Princ.* non absolutum dominatum & potestatem omnibus numeris absolutam, sed tantùm juris constitutionem, & quidem non abdicativè, sed communicativè in Principem à populo collatam asserimus his rationibus: 1. Quia verba generalia secundùm subjectam materiam, & quæ continentur sub titulo, secundùm titulum intelligenda sunt, *Panor. in c. 6. de immunit. Eccl.* Atqui lex hæc ponitur *sub tit. de constit. Princip.* Ergo verba illa, *omne Imperium*, non de παμβασιλεία sed νομοθεσία sunt intelligenda. 2. Ex verbis antecedentibus & consequentibus, id liquidò constat, quia quod Principi placet legis vigorem habet & ex relata lege, nihil in sequentibus Ulpianus infert, quàm quod vi imperii delati jus constituere possit, ita enim subjicit. Quodcunque Imperator per Epistolam, &c.

3. Quia his omninò convenit historia Pomponii, *in l. 2. ff. de orig. jur.* ubi ait: Constituto Principe (non omne imperium) jus ei datum esse, ut quod constituisset, ratum esset. Ex quâ l. ob difficultatem convocandi populi, Principi solummodò communicatam esse juris constituendi facultatem, non obscurè constat. 4. Quia omnia ea, quæ generaliter & distinctè sunt scripta, temperamentum accipiunt ex æquitate naturali *l. 18. ff. de ll. & l. 90. ff. de reg. jur. l. 8. C. de judic.* Quamobrem, quamvis juris constituendi potestas Principi à populo concessa: Credibile tn. est, eam potestatem magis cum Principe quodammodò cõmunicasse, quàm omninò à se abdicasse. Duar. *ad tit. de ll. c. 3. & tit. de const. Princ. ibi: quamvis juris constituendi, &c.* Baro *ad d. l. Princeps. ff. de ll. 5.* Per *d. l. 1. ff. de const. Princ. in verb. ei, & in eũ.* ubi rejectâ Baronis, Duareni & Donelli interpretatione, Accursii sententiam, quam Cujacius etiam sequitur, amplectimur, ut sit sensus, Populum Principi & adversus Principem Imperium tribuisse. Sic n. Cuj. *l. 13. obs. c. 3.* ait: *Ut populus ipse suis legibus tenebatur, ita Princeps, cui & in quem populus omne suum Imperium contulerat adeò, ut potestas Principis & in ipsum Principem esset.* Nec est, quod Donellus regerat: populum in Principem nullum habuisse jus, ergò non potuisse adversus Principem legem ferre. Certum n. est, quod in Regem & Principem ex populo delectum, antequam creatur, populus idem jus ac im-

ac imperi m, quod in reliquos cives ac privatos, obtineat. 6. Quia creatio Magistratuum populo semper reservata, id tantùm honori Principis tributum, ut si quos Magistratus petentes Senatui, populoque comendabit, eorum ratio habeatur, Paurmeist. *l. 1. de jurisd.*

QVÆST. II.

Vtrum Pontifex in Imperatorem dominatum & potestatem habeat?

Gravissima hæc olim fuit controversia inter Hadrianum IV. Pontificem, & Imperatorem Fridericum Ænobarbum, Radev. *l. 3. de reb. gest. Frid. l. 1. c. 10.* cujus etiam meminit Gunth. *in Ziguriuo l. 6.* Argumenta quibus summam & absolutam suam potentiam & dominatum in Imperatorem confirmare conatur hæc sunt: 1. Quia jure Can. cautum est, Papam nominare, denunciare & declarare Imp. Rom. *c. omnes Principes, ext. de major. & ob. & c. solicita, §. Præterea, de major. & ob. c. duo sunt. 10. dist. 96.* it. jus & auctoritatē examinandi personā electam in Regem & promovendum ad Imperium ad ipsum Pontificē spectare, *cap. venerabilem. 34. x. de elect.* 2. Quia Canon, plenis buccis clamitant: Papam cœlestis & terreni Regni caput esse, Alex. Carer. Patavin. *de potest. Pontif. l. 2. c. 3. n. 5.* De jure divino & naturali ait, Sacerdotium supereminet Imperio, & penes ipsum residet de jure divino & naturali utraque jurisdictio Aug. de Ancona in

Summ. de Eccl. potest. q. 1. art. 7. Papa habet omnem etiam Regalem & Imperialem potestatem non n. tantùm consecratur ut Sacerdos, sed coronatur ut Rex Anton. Archiep. Florent. *p. 3. Summ. t. 22. c. 6. §. Summo Sacerdoti, Christi vicario, Pontifici Rom. omnes Reges Christianos oportet esse subjectos, sicuti ipsi Domino Jesu Christo.* In hujus superioritatis & majestatis recognitionem testificationemque Pontificios pedes exosculari omnes Reges scribit, D. Martha *de jurisd. p. 1. c. 46.* Quinimò ejusdem Papæ jurisdictionem agnoscere tàm horizontem, quàm omnes terminos, sive montium, sive marium, & non tantùm homines, verùm & inferi spiritus verentur ac trepidant cœlestem illam Pontificiam in terris potestatem, *Joh. Boterus Italus.* 3. Quia fidelitatem & homagium Imp. Pontifici præstare tenetur, *Can. 33. dist. 63.* 4. Quia Imp. si contumax sit è throno à Pontifice dejici potest, Bellarm. *tr. de potest. Pontif. in temp. adversus Barclav.* 5. Historici testantur, Henricum IV. & Fridericum Barbarossam ab Alexandro Pontifice, *item* Fridericum II. ab Innocentio in Concilio Lugdunensi Anno 1234. ab Imperio depositum, Formulam degradationis vide *in c. 2. de sent. de re jud. in 6.* 6. Constat ex historiis quàm plurimis, Pontifices coronasse, unxisse & consecrasse Imperatores, & ut plurimi testantur, ante unctionem & coronationem Pontificis, Imperatores jurisdictionem & Majestatem nullam obtinuisse. Sic Justinus

ſtinus à Pontifice unctus. Sic Carolus Magnus unà cum filio Pipino, in magno illo Salvatoris noſtri die Anno 850. à Leone III. eſt unctus. Sic Ottho I. & alii quàm plurimi à Pontificibus ſunt uncti, &c. 7. Quia Pontifici ſupremum jus provocandi, & vacante Imperio adminiſtratio Imperii Romani competit, *c.10.& ibi* Panorm. *& Dd.extr.de for.compet.*

Verùm Pontificem Romanum nullum habere jus in Imperatorem quinimò Imperatori Pontificem per omnia ſubeſſe, probamus his fundamentis: 1. Exemplis Veteris Teſtamenti, Aaron, quamvis ſummus Sacerdos, per omnia tamen agnovit Moyſem Politicum Magiſtratum pro Domino ſuo, *Num.12.11.* Et Moyſes tanquam Magiſtratus Politicus à Deo ordinatus, non tantùm Laicis, ſed etiam Sacerdotibus jura & mandata præſcripſit *Exod.19.v.22.add Ex.29.* Quinimò tàm Sacerdotibus, quàm aliis ex populo ob delicta pœnas inflixit, *conf.Exod.32.21.* Sic Joſua ſucceſſor Moyſis poteſtatem in Sacerdotes habuit, *Joſ.3.v.6.& c.6.verſ 6.* Sic David Nathani imperavit, *1Reg.1.v.32.* 2. Exemplis Nov. Teſt. Quia is cujus ſe vicarium Papa fruſtrà abſque ullo mandato gloriatur, Cæſari & ſubjectionem & tributum nullo modo denegavit. Non enim poteſt vicarius plus juris & poteſtatis obtinere, quàm principalis habuit: Atqui Chriſtus, uti antea plribus probatum, noluit eſſe vel Judex, vel Princeps, vel Rex. Ergo, &c.

3. Exemplis omnium Apostolorum, qui obedientiam, subjectionem & tributum Magistratui præstiterunt, uti præcedenti *disp. q. 6.* probatum. 4. Quia cõstat ab initio, & in primitiva Ecclesia, clericos omnes sub potestate Imperatorum fuisse, Imperatori nostro, quamvis fuerint Pontifices in signum debitæ subjectionis tributum suum solvisse, *c. tributum, 23. q. 8. & c. magnum quidem, 11. q. 1. c. 2. extr. de cens.* Idem arguit Leonis IV. exemplum, qui præcepta Lotharii & Imperatorum, omnibus modis servaturum se promisit, *c. de capitulis. 10. dist. junct. c. ult. list. ead.* Idem de Johanne *VII.* probat, *c. vides, cum seq. dist. 10.* Idem de Leone IV. qui ob crimen læsæ majestatis delatus coram Ludovico II. causam suam egit, *c. nos si incompetenter, 2. quæst. 7.* Idem quòd, cùm arma pro defendenda Roma suscepisset, Imperatori rationem reddiderit, *c. igiur & c. seqq. 23. q. 8.* 5. Quia Pontifices ab Impeatoribus & investitos & rursum depositos esse, vel unico illo Henrici IV. Pontificatum Benedicto X. abrogantis, & Nicolaum II. substituentis præjudicio apertè demonstratur, & extat ro hujus confirmatione textus *in c. quia igitr*, & *c. Reatina Ecclesia, & c. nobis c. Agatho c. Hadrianus, c. in Synodo, dist. 63. l. 43. §. 1. ibi: atque divina nostra,* C. *de Episc. & Cler. 6.* Quod gentur clerici legibus Imp. *arg. est l. 7. & t. t.* C. *de Episc. audient. & ibi* Cujac. *& l. decernimus 26. ibi: quam leges,* C. *de Episc. & Cler. Nov. 11. c. 2. & 3. Nov. 6. c. 8.*

& in Epil. Nov. 9. Nov. 3. in pr. Nov. 123. c. 10. Nov. 133, *in pr. & c. 6.* Quibus adde R. A. *de An. 1530.* §. und sollen die Priester. 7. Quia nullum solidum, & fide dignum, suæ assertionis fundamentum, quinimò neque exemplum, vel ex Vet. vel ex Nov. Test. afferre possunt, quo demonstrent, Pontificem à seculari jurisdictione exemptum esse. Argumenta a quod attinet superius allata, facilimo momento dispelli possunt, Nam *partim* fidem nullam merentur, quòd sapiant domesticum testimonium, in propria a causa nemo possit esse idoneus testis: *partim*, quòd in facto tantùm consistant, & jure prorsus destituantur: *partim*, quòd laborent petitione principii & fallac. non causæ ut causæ. Nam quod Pontifices olim Imperatores consecrârint & unxerint, nullius est importantiæ, nam constat morem illum Imperatores desumpsisse ab Hebræis, 1. *Sam.* 10. 1. 1. *Sam.* 16. 13. *Lev.* 8. 12. & retinuisse propterea, quòd voluerint Ecclesiæ precibus & benedictione ea dona sibi intimius conferri. Præterea non potest Papa hanc potestatem habere, ut vicarius, quia destituitur omni mandato, sine quo vicarius nullus. Deus n. porrexit discipulis suis claves Regni cœlorum, nõ terrarum, non imperiorum, non regnorum, & dedit potestatem solvendi & ligandi pro regno cœlorum, non pro terra, & cùm omnem sibi potestatem datam esse, protestatus esset, jussit eos ire & docere & baptizare, omnis ergò potestas vicariorũ hoc fine

circumscripta, quod dirigatur ad vitam æternam obtinendam. Quis ergò Pontifici Romano in omnes humanas creaturas imperandi potestatem concessit? quis utrumque gladium illi assignavit, juxta illud: Ecce duo gladii: *cap. unam sanctam, extr. comm. de major. & obed. & c. omnes, ibi: terreni simul, dist. 22. c. cuncta. 9. q. 3. ibi: de omnibus judicandi, c. novit, 13. vers. sed forsan, x. de jud. c. grandi, de suppl. negl. prælat. in 6. c. venerabilem 34. de elect. & elect. potest. Clem. pastoralis, de sent. & re jud. c. licet. de vot. & vot. redempt.* Quis, quæso, dedit ipsi potestatem super Angelos? *c. per venerabilem, vers. Paulus etiam, qui filii sunt legit.* Innumerabiles populos secum in gehennam ducendi? *c. si Papa dist. 40.* Quis ipsi dedit posse super omnia, extra & contra jus, quæ Deus potest? *cap. proposuit, de concess præbend.* Quis ipsi dedit potestatem divinum jus limitare, & contra illud dispensare? *c. satis evidenter. 7. dist. 96.* Rectissimè ergò *Ferrar.* quamvis religioni Pontificiæ addictus *in form. libell. act. Confess. gl. 7. in verb. plenam & omnimodam* optat, ut Imperator clericis jurisdictionem adimat. Rectissimè etiam Rex Galliæ Pontificiam majestatem non agnoscit, etiamsi libertati ejus non semel insidiati sint multi Pontificum, Urbanus II. & cumprimis Bonifacius VIII. *de quo vide Plat. in ejus vita.* Ita enim ad Philippum IV. scripsit: *Scire te volumus, quod in spiritualibus nobis subes: beneficiorum*

rum & prebendarum ad te collatio nulla spectat, & si aliquarum vacantium custodiam habeas: usumfructum eorum successoribus reservet, & si quas contuliſti collationem haberi irritam decernimus & quantum de facto processerunt, revocamus. Aliud credentes hæreticos reputamus. Item *in cap. unam sanctam, ext. comm. de maj. & obed. Non est dubium quin Rex Galliæ includatur, & gladio Papæ subjiciatur.* Quocirca & pendente excommunicatione Philippi, cùm alias scribi soleret: *Regnante Philippo*: ejus loco positum est: *Regnante Christo: quasi Regnum ad Ecclesiam rediisset.* Sed Philippus IV. Bonifacio rescripsit in hunc modum: *Philippus, Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio se gerenti pro summo Pontifice salutem modicam sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesiarum & Prebendarum vacantium collationem ad nos jure regni pertinere, & fructus earum, vacatione durante, nostros facere, collationes hactenus à nobis factas, & imposterum faciendas, fore validas & illarum vigore possessores contra omnes viriliter nos tueri, secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* Quæ etiam Regis Galliæ professio approbata videtur per posteriores Pontifices *in cap. meruit. extr. commun. de privilegiis, & c. per venerabilem, x. qui fil. sint leg.* Rectissimè ergo communi procerum consensu Anno 1338. decretum factum, quo, qui Imperatorem electum confirmatione

Ponti-

Pontificia indigere, & Imperium à Papa dependere dicerent, læsæ criminis reos omnibus feudis & privilegiis, quæ ab Imperio haberent, ipso facto & jure privatos sancitum. Decretum hoc refert Alber. de Rolate *ad l. bene. Cod. de quadrien. præscript.* Hier. Bald. *Episc. Gutrens. in l. de Coron. Carol.* Proinde Maximilianus I. coronam Imperialem à Romano Pontifice accipere minimè necessarium videri, cum Imperii majestatem ab Ordinibus Imperii acceperit, coram Statibus publicè professus est. Sic Ferdinandus, Maximil. II Rudolph. II. & Imp. noster invictissimus Matthias I. nunquam Romæ coronati sunt. Rectissimè ergò constitutum, ut qui ad Pontificem appellet, tanq. contemptor jurisdictionis Imperialis mulctetur 100. marcis auri puri, Barth. *tom. 1. sent. com. fol. 339.* Rectissimè, inquam, hodiè administratio vacante Imperio est penes Status Imperii, *Aur. Bull. t. 5.*

QVÆST. III.

Vtrum Imperium nostrum sit feudum Pontificis?

Imperium nostrum esse Feudum Pontificis, auctoritate Pontificis narrant Pontificii quidam, & inprimis D. Marta *de jurisd. part. 1. c. 18. n. 12. & seqq.* Probant, quod dicunt his argumentis: 1. Quia fidelitatem Imperatores Pontifici jurare tenentur. Nam Carolus Magnus qui Imperium Romanum ad Germanos devolvit, Leoni Pontifici

tifici hac forma juramentum præstitit. *Ego Carolus Imperator, &c. in nomine Christi spondeo & profiteor, coram Deo & B. Petro Apostolo, me protectorem, & defensorem fore hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero adjutorio.* Arnis. *de jurib. majest. l. 1. c. 5. n. 3.* Idem probatur ex formula jurisjurandi Othonis I. *ex c. tibi Domino, 33. dist. 63.* Idem probatur *ex c. un. tit.* 100. *l. 2. Feud.* ubi expressè dicitur, Imperatorem fidelitatem debere Rom. Pontif. Atqui juramentum fidelitatis arguit rem feudalem. E. Hinc Innocent. II. Papa, Romæ in Lateranensi basilico, Lotharium Imp. depingi curavit, quasi vasallum ad pedes ipsius prostratum, & Imperii coronam ab eo accipientem. 2. Pontifex non minùs emittit suas constitutiones in Imp. quàm ipse Imp. quibus refertum est jus Canon. quibus etiam utimur. 3. Quia Romã, quæ caput & fundamentum Rom. Imp. est, ad quam omnia referenda sunt, Pontifex possidet.

Verùm contrarium nos asserimus. Constat n. quomodo nobilissimas Imp. ditiones Pontifex acquisiverit. Sed sileo, loquantur historici, qui testantur, Pontificem Rom. majestatem & locũ inter Principes non nisi de facto & conniventia habere. Hinc nonnunquam Principes, Legatos Pontificis nullo modo audire voluerunt. Hinc Aug. Conf. socii Naumburgi Pii IV. Pont. Legatos jure Legatorũ excipere noluerunt, An. 1561, idem fecit Frid. Rex Daniæ, Chytræus *in Chron. Sax.*

Sax. Hinc Elisabetha Angliæ Regina Hieronymum Martinengum, Concilii causâ à Pontifice missum, in Insulam trajicere prohibuit. Item testantur, vi, fraude, ac largitionibus Principum, Imperium & Principatum acquisivisse, de quibus paulo pòst in sequentibus agemus. Falsum proinde est Imperatores fidelitatem juravisse. Distinguendum enim est inter juramentum fidelitatis, homagii seu subjectionis, & inter juramentum protectionis. Non enim Imperatores juramentum subjectionis vel servitutis præstiterunt, sed tantùm, ut velint defendere Ecclesiam. Ad *cap. an. t.* 100. *l.* 2. *F.* Resp. illud non simpliciter, sed eo casu accipiendum, quando Imperator Feudum aliquod (intellige præter Imperium) accepit à Pontifice. Sed ad hoc regerunt, quod tali casu fidelitatis juramentum citra supremæ majestatis læsionem fieri non possit, cùm omnis præstatio fidelitatis subjectionem inferat. Verùm resp. Negando. Nam persona diversis qualitatibus prædita pro diversis personis habetur. Neque proinde, quando aliquis ratione certæ alicujus ditionis fiduciarius alicujus existit, & ei hac ratione juramentum fidelitatis præstat, statim omne suum Imperium illi subjicit. Illud enim extra illam rem certam sese non extendit. Hottom. *quæst. illustr. q.* 35. Potest ergò suprema majestas respectu beneficii privati, sine ullâ læsione suæ majestatis, inferioris potestatis perso-

nas

nas comiter observare. Sic etiam Carolus V. Regnum Neapolitanum à Pontifice obtinuit, Sleidan *l.6.* Quod ad jus Pontificium attinet, exinde Pontificis jugum nullo modo agnoscimus, nec subditos ejus nos profitemur. Siquidem id non coactè sed spontè & liberè propter Imperatoris & Principum nostrorum approbationem, recepimus. Non ergo utimur Canonibus Pontificiis, ut Pontificiis, sive quod ab auctoritate & majoritate Pontificis sint profectæ, sed tanquam legibus nostris & respectivè propriis, quæ nobis sunt propriæ factæ, propter Principum nostrorum, ut dixi, auctoritatem, nostramque assensionem. Ridiculum autem est à certo quodam loco velle majestatem Imperii metiri. Nā ibi est & urbs Regia & sacer Comitatus, ubi noster Dominus Imperator. Resp. n Romana, non in parietibus continetur, sed in aris & focis.

QVÆST. IV.

Vtrum Rom. Imperium ad Germanos à Pontifice sit translatum?

Hoc statuunt multi pontificii quorum rationes hæ sunt: 1. Quia credunt, ex gratiâ Leonis III. ob multa Germanorum merita Carolo Magno Rom. Imperium esse donatum, Mart. *de jurisd. c. 5. n. 15.* 2. Quia Pontifex Carolum M. & ejus filium Pipinum, ut & alios sequentes, ut Imperat. Germanos coronavit & confirmavit, uti patet non tantùm ex historiis, verùm etiam *ex cap. in præcedentibus allegatis.* utpote est *cap. un.*

un. Clement. de jurej. & c. venerabilem, x. de elect. & c. 3. Ex literis Pontificum ad Imperat. Sic n. Adrianus IV. ad Frid. I. Imp. *Scire se debere ut quo jure Papa à Græcis Imperium ad Germanos transtulerit, eodem jure se quoq; idem Germanis rursum ereptum Græcis restituere posse.* Hinc Bonifacius VIII. *in c. unam sanctam, ext. comm. de major.* sic scribit: *Quod Christi fideles de necessitate salutis subesse debeant Pontifici Rom.* Hinc Clemens VII. ad Carolum V. referente Schleid. *l. 6. p. m. 154.* sic scribit: *Sumus ambo duo magna luminaria, dabimus ergo operam, ne per nostrum dissidium oriatur Eclipsis.* Hinc se omnia posse dicit, ut Deus, *c. proposuit, x. de concess. præb.* Hinc referente Gunt. *l. 6.* quidam de Papa sic scribit:

Oraclo vocis mundi moderatur habenas,
Et meritò in terris dicitur esse Deus.

Contra Rom. Imperium à Deo T. O. M. ad Germanos translatum probamus his fundamentis *à sacris literis*: 1. Quia solus Deus constituit regna, ac per illum Reges regnant, & justa decernunt, *Dan. 2. 21. Esa. 45. 1. Deut. 11. 9. Rom. 13. per l. 1. C. de vet. jur. enucl. Novell. 28. c. 4. in fin. ibi: hanc nos gratiam Deo referendam putamus, qui Imperii nobis coronam imposuit.* 3. Falsitatis arguit opinionem Pontificiorum, populi Rom. in coronatione Caroli M. solennis acclamatio, quæ talis: *Carolo Augusto à Deo ordinato, Magno & Pacifico Imperatori. Vide* Mart. Patavin. *in defens. pacis publ. 1. tr. c. 9.* 4. Porrò falsitatis redarguitur

opinio

opinio Pontificiorum, ex pacto illo ab eodem Carolo Salisburgi cum Græci Imperatoris Legatis An. 803. inito, *de quo* Crantz *l. 3. Sax.* 5. Refellunt idipsum Imperatorum responsiones ad Pontifices datæ: sic n. Fridericus I. Imp. Adriano IV. rescripsit: *Quòd potiùs deberet cogitare de sectandis vestigiis Petri, de portandâ cruce Domini, quàm de regnis tradendis, adimendis & transferendis.* Nam quicquid haberet, id ex largitione Principum tantùm obtineret, &c. *Vide disp. 1. de jure principatûs juris pub.* Sic Henricus Auceps ad filium Otthonem: *En tibi*, inquit, *Imperium non à majoribus mihi relictum, sed per memetipsum acquisitum, & à solo Deo concessum*, Witich. *l. 2. rer. Sax.* Idem affirmat Archiepisc. Mogunt. in Otthonis coronat. his verbis: *En adduco vobis Imperatorem à Deo electum.* Idē Ottho IV. apud Naucl. 41. *Gen.* cùm ipsum persequerentur. *Ad vos*, inquit, *ô Proceres Regni, non ad Pontificē* pertinet creare Imperatorem. 6. Liquidò idipsum demonstrat Constitutio Friderici Imperatoris Anno 1157. unanimi consensu procerum Imperii facta, quam postmodum Ludovicus Bavarus Coloniæ promulgavit, in qua læsæ Majestatis reus declaratur, qui Imperium à Papa translatum esse, asseverat, verba istius constitutionis vide apud Alb. de Rosat. *in l. bene à Zenone. 3. n. 16.* C. *de quadr. præscr.* Hinc Maximil. I. coronam Imperialem à Pontifice accipere noluit. Sic Rudolphus Habspurgensis nunquam

in Italiam venit, qui cùm ad instantiam Nicolai Pontificis Romam ingredi recusaret, Apologetico suo scripto sic respondit: *Me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.* Sic Ferdin. Maximil. II. Rudolph. II. & Matthiam I. invictissimos Imperatores nunquam Romæ coronatos, tralatitium est. 7. Quia non à Pontifice olim, sed à Præfecto urbis & quidem nomine populi Romani Corona Cæsari imponebatur, ceremonias tantùm peragente Pontifice, adeoque ante Coronationem plenum Imperii gubernaculum Cæsari competere communiori calculo traditum est, Bald. *in l. 1. in pr. n. 3. ff. si quis test. Pacian. de probat. l. 2. c. 35. n. 32.* Ad textum ex jure Can. jam antea est responsum. *Vide* Dresser. *in Millenar. 5. in vita Caroli M.*

QVÆST. V.

Vtrum Romanum Imperium ad Francos translatum?

Bodinus in eo totus est, ut contendat Romanum Imperium à Græcis ad Gallos translatum, hocideoque ut obtineat, Carolum Magnum non Germanum, sed natione esse Gallum dicit, Bodin. *lib. 1. cap. 9.* Sententia ergò Bodini hæc est: *Carolum M. natione Gallum in Germaniam quidem migrâsse, sed inde in Galliam rediisse, & Germanis Francis stipatum jure bellico Italiæ dominium nactum esse, &c.*

Verùm

Verùm Bodini opinionem esse falsissimam, patet exinde, quod nostro quoque idiomate diversa sint, Franckẽ & Frantzosen. Atqui constat ex Historicis, non tantùm Carolum Magnum fuisse Germanum, verùm etiam ipsius Patrem Pipinum, de quo constat, quod in Franciâ Germanicâ, ortus & educatus sit, idque non tàm nomina villarum & oppidorum ab ipso appellatorum quàm monasteriorum fundationes plurimorum, quarum diplomata adhuc extant evidentissimè & apertissimè demonstrant, Joh. Cuspin. *de Carolo Magno*, Naucl. *Chron. generat.* 27. Quomodo autem & quâ ratione in Galliam venerit, & sub Hulderico Rege Gallorum, major Dominus, & deinde Rex Gallorum sit factus, vide Historicos. De Carolo Magno filio Pipini Regis Francorum & Gallorum, constat quod in villa Ingelheim duobus millibus passuum Moguntiâ distante, in lucem editus sit, atque sic certum est, Carolum Magnùm non tantum patriâ & patre, verùm etiam & linguâ & moribus Germanum fuisse. Nam Germanico idiomate & Grammaticam conscripsit Crantz. *lib. 2. c. 8. rer. Sax.* & Mensibus & Ventis nomina Germanica indidit *Cuspin.* & Evangelia germanicis rhytmis edidit *Spangen. & Trithem.* Falso ergo asserit Bodin. *Franciam nostram Germanicam partem fuisse Gallici Imperii, & Imperium Romanum à Græcis ad Gallos translatum.* Plura vide apud Historicos.

QVÆST. VI.

Vtrum Imperium noſtrum Germanicum adhuc rectè dicatur Romanum?

Non deſunt etiam, qui hoc variis modis impugnant: 1. Quia Roma, à quâ Romanum Imperium ſuam denominationem habuit, jam diutiùs eſt ab Imperio ablata. Atqui cùm Roma fuerit caput Imperii Romani, non poteſt, capite dempto & ablato, rei appellatio permanere integra & ſalva. 2. Quia non tantùm caput, verùm præcipua, Imperii Romani membra, uti ſatis ſuperque conſtat, avulſa ſunt. 3. Quia hodiè non niſi Germanus à Germanis eligitur, *Arum. in diſcurſ. jur. publ.* Ergo Germanum, & non Romanum debet appellari.

Verùm contrarium liquidiſſimè apparet: 1. Quia translatio id confert, quod antea apud eum fuit, qui contulit, *l. 20. §. 1. de acquir. domin.* Atqui Romanum Imperium, uti antea probatum eſt, divinâ favente clementiâ à Carolo Magno partim jure belli, partim S. P. Q. R. voluntate, electione & ſuffragio, partim etiam Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſenſu & approbatione, uti antea aſſertum, in Germanos translatum, atque Gratiâ Dei huc uſque conſervatum, & non de novo factum. Ergò. 2. Quia res potiùs æſtimanda venit ex origine, quàm ex eventu, *l. 8. in pr. ff. mandati, & l. un. C. de impon. lucrativ. deſcript.* Atqui ab origine hoc Imperium Romanum

num fuisse extra dubitationem positum est. Ergò, &c. 3. Quia iisdem titulis & insignibus, videlicet duabus Aquilis, expansis alis (*qua de re vide disp. 1. de jur. princ. jur. publ. thes. 14.*) utitur. Atqui constat signum præsumptivè probare rem ejus esse, cujus est signum. Ergò 4. Quia in omnibus ferè constitutionibus Imperii appellatur, das Heil. Röm. Reich/ Teutscher Nation. Argumenta in contrarium allata, nullius ferè sunt ponderis. Nam antea dictum, ibi esse urbem Regiam, ubi est sacer comitatus, & ubi noster Dominus Imperator. Herodianus I. ἐκεῖπερ ἡ Ῥώμη ὅπερ ποτ' ἂν ὁ βασιλεὺς ἦ. Aliter Synesius, ὅπου ἂν ὁ βασιλεὺς, ἐκεῖ καὶ πάντες τύχης ὄσης. *Cujac. ad l. 1. C. de (anon. largit. titul.* Hinc rectè dicitur, Rempubl. Romanam non esse in parietibus, sed in aris & focis. Major proinde est orbis, quàm urbis auctoritas, ut rectè Bald. *ad l. sed & milites, §. sed ignominia. ff de excus. tut.* Bellon. *cons. 86. n. 8.* Cluten. *Syllog. rer. quotidian.* Alterum argumentum, quod attinet factum tantùm respicit, non jus. Nam quæ ab Imperio Romano de facto avulsa, adhuc censentur esse membra, inde etiam Imperator noster jurare tenetur, se velle illa membra vindicare. Ad tertium resp. *ex l. 17. ff. de stat. hom.* Hodie enim non tantùm Electores & Principes, verùm etiam omnes in orbe Romano viventes, cives Romani Imperii appellantur.

QVÆST. VII.

Vtrum donatio, de qua ex cap. Constantinus, dist. 96. Papini gloriantur, in facto consistat?

Ait Pontifex: Suam esse urbem Romam, suum Regnum Siciliæ Neapolitanumque, suam universam Italiam, Gallias, Hispanias, Germanos, Britannos, suum denique Occidentem, idque ex donatione Constantini Magni Imp. atque ut ejus rei nobis fidem faciat, instrumentum, quod est *in cap. Constantinus*, positum, profert. Videbimus ergò hâc quæstione, utrum illa donatio sit facta nec ne. Causas, ob quas hanc donationem factam esse ajunt, admodum inutiles & futiles proferunt Papini has: 1. Quia Imperator Constantinus leprâ fuit correptus, & à Sylvestro Episcopo Romano curatus est. 2. Quia baptisma accepit à Sylvestro, & Christianus effectus est, ideoque ei gratificari voluit.

Contrà, quòd hæc donatio nullo modo facta, probamus his rationibus: 1. Quia nulla expressa extat mentio apud authores probatos, qui omni ex parte Constantini Magni res gestas accuratè annotarunt, & Constantini tempore vixerunt, Ut sunt: *Eusebius, Eutropius, Diaconus, Orosius, Aurel. Cassiod. & alii.* 2. Quia non tantùm contra fidem historicam illa donatio est; verùm etiam nullo modo verisimile & probabile Imperatorem, cui nihil jucundiùs & gratiùs contingere

gere potuit, quàm Imperiis & Regnis suis accessionem facere & longè lateque suum Imperium proferre, patriam suam & caput orbis terrarum, item tot tantaque regna alteri donâsse: sanè non tantùm sui suæque dignitatis & status, verùm etiam suorum, & quod maximum est P.R. quorum laboribus & sanguine ad Imperium fuit evectus, immemor fuisset, quòd sanè credibile non est. 3. Quia constat ex historicis supra allegatis. Constantinum Imp. Imperium & Regna sua inter tres suos filios divisisse, & ad Annos 140. apud Constantini successores Imperium integrum permansisse, uti demonstrat F. Hottom. *in fulm. Brut. pag. 101.* 4. Quia nullo modo neque à Constantino, neque successoribus in possessionem Pontifices sunt immissi, *qua de re eleganter* Laurent. *Vall. supra donat. hâc Constant.* 5. Quia ipsi Romani Episcopi in Conciliis & alibi, ubi probationis onus quoad huncce diem illis incumbit, non ausi fuerunt, hanc donationem ampliùs urgere. Hinc Johannes XXII. dum anathematis fulmen vibrat in Ludovicum Bavarum Imp. saltē Christi vicariatū prætendit, & est de hac donatione ultimò planè mutus. 6. Huc accedit proprium Pontificiorum testimonium. Nam multi in ipsis tenebris Papatus hanc donationem refutârunt; *ut* Marsilius de Padua *in defensione pacis adversus usurpatam Roman. Pontif. jurisdictionem pro Imperatore Ludovico Bavaro, Anno Christi* 1324. *Item* Jacob. de Voragine,

quem allegat. Valla *singulari de hac donat. scripto. A.C.1440. Item* Nicol. de Cusa *Cardin. qui suam hac de re sententiam Concilio Basilienſi offerre non erubuit, A. C. 1460. Item* Hier. Paul. Cattalanus *Alex. VI. Papæ cubicularius, in pract. Cancellaria Apoſtolicæ. An. 1469.* Iohan. Baptiſt. Egenat. *de Rom Princ. lib. 1 fol. 836. & multi alii. 7.* Quia ipſi Pontificii de hac donatione planè repugnantia proferunt, Primò enim Sylveſtri Anteceſſor Melchiades de hac verba fecit antequam Sylveſter ad hanc dignitatem acceſſit. Sic enim de illa *in c. futuram, 12. q. 1. Donaria immenſa contulit Conſtantinus. &c.* Atqui inſtrumentum privilegii dicit, donationem eſſe factam Sylveſtro demum & ſucceſſoribus ejus, Deinde in auctoribus hujus donationis diſcordant Papini. Nam modò eam Conſtantino adſcribunt, uti in inſtrumento prolato: modò Carolo Magno, *ut eſt apud* Crantz. *libr. 2. Saxon. c. 1.* modò à Caroli Magni filio Ludovico Pio, Paſchali Papæ factam aſſerunt, *A.C. 835. c. ego Ludovicus. 30. diſt. 63.* Volateran. *l. 3. comm. Vrban.* ex quibus fraudulentas machinationes Pontificum manifeſtè oſtendit Hotom d. l. Nam quod ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poteſt, *qua in re confer Carol. Molin. ſolidam refutat. Com. ad dictum Henrici Regis.* Ut præteream, quòd quidam Lotharium Sax. Imp. hujus donationis auctorem eſſe velint, ſiquidem hoc Chronologia, quæ nec 1. nec 2. Lotharii temporibus nullum Eugenium Papam

Papam fuisse ostendit. 8. Falsitas prætereà inde etiam patet, quod in Concilio Nicæno, quod adhuc ipse Constantinus, *teste* Ruffin. *lib. 1. c. 3. fol. 195.* coëgit, Sylvester tanquam Episcopus Romanus, tantùm Ecclesiis suburbanis præfuerit, quod certè non feciſſet, si donatio facta fuisset. 9. Quia in vetustis Gratiani Codicibus, hæc donatio non reperitur, *attestante* Anton. Archiepisc. Florentino, *part. 1. Chron. t. 8. c. 2. §. 8.* Nicol. de Cusa *l. 3. de concordantia Catholica, cap. 2.* Valla *d. declam. super hac donat.* Gualth. *Ennead. 7. quæst. 8. ubi plures allegat authores.* Primam ergo rationem supra oppositam, quod attinet, dicimus, illam in mero figmento consistere. Quia ex Chronologiâ contrarium apertè demonstratur. Nam dicitur Constantinum tunc temporis quartò consulatum gessisse cum Gallico, quartò Cõsule. Ubi primò non apparet, quod uterque fuerit ter Consul, multò minùs, quod in quarto consulatu fuerint Collegæ. Quin imo contra veritatẽ est, Augustum lepra correptum potuisse accipere consulatum, & in publicum prodire, cùm illi, qui tali morbo correpti neminem ad se admittere, sed in privato sese continere debuerint, exemplo est Rex Azarias, qui leprâ correptus statim ad Jonatham regnum transtulit. Ad secundam quod attinet, opponimus Papicolis omnes scriptores Ecclesiasticos, *utpote* Eusebium, *qui Constantini vitam integre descripsit libr. 4. de vita Constantini.* Ambrosium *tom. 3. Orat. de*

obitu Theodo. Socratem *l. Eccles. hist. c. 26. fol 244.* Theodoricum lib. 1. *c. 31.* Sozomen. *l. 2. c. ult. &c.* qui unanimiter asserunt Constantinum baptisma distulisse usque ad ultimum vitæ suæ terminum, & Nicodemiæ tandem ab Eusebio istius loci Episcopo baptizatum. Siquidem ipse in Jordane baptizari voluit, ubi Christus à Johanne baptizatus. Quibus omnibus privilegium illud prorsus & in totum confutatur, profligatur & evertitur.

QVÆST. VIII.

Vtrum eo casu quo donatio à Constantino Magno facta esset de jure sit rata habenda?

Quamvis pro affirmativa adferri posset: 1. Quòd Imperator sit mundi Dominus, *l. 3. C. de quadr. præscript. 3.* & quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter, *l. 21. C. mandati, l. 2. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur. §. 2. I. eod.* Quòd instrumento antiquo & publico omninò fides sit adhibenda, *l. 15. Cod. de fid. instr. arg. c. 2. extr. de fid. instrum. 3.* Quòd jam diu bona illa occupata & præscripta, &c. In contrariam tamen sententiam communi suffragio est itum. Nam proprietas & dominium bonorum Imperii, non ad ipsum Imperii corpus pertinet, Roland. à Valle *cons. 1. nu. 126.* Sichard. *cons. feud. 6. n. 29.* Menoch. *cons. 640.* Non est Imperium in marsupio Principis, ut is quasi per fenestram projicere possit, Bald.

in

in c. intellecto, extr. de jure jur. Sed sunt bona Imperii capiti, ossibus & coronæ adeò annexa, ut extra scientiã separari nullo modo possint. Præterea Imperator non ad destruendum, sed ad augendum Imperium est electus. Hinc diminuendo suum Imperium homicida suæ dignitatis dicitur à Bald. *in cap. licet. x. de probat.* Hinc in Reichs Abschieden sæpius dicitur: unser und deß H. Römischen Reichs Statt/ &c. Ad primam ergo rationem sic satis responsum esse existimamus Ad 2. resp. Quòd instrumentum de rebus illicitis factum nullo modo valeat, quamvis sit vetustissimum, adeò, ut Notarius, qui cõfecit istiusmodi instrumentum notetur infamia. Reichs Abschied/ *de An.* 1512. *sub. tit.* Ordnung der Notarien. Ad 3. resp. Quòd neque præscriptiones immemoriales quicquam Imperatori præjudicent, *ut notat ex* Bald: Natta *cons. 636. numer. 164.* Quare si in detrimentum totius Imperii alienatum, hoc nullo tempore ratum, quamvis mediante juramento alienatio facta, *cap. intellecto, de jure jur. c. Abbate sanè, de sent: & re jud. in 6.* Sed omni tempore & loco commodo repetendum. Plura vide in disputatione de jure Principatus, & jurisdictione Imperii, Basileæ habitis.

DIS.

DISPVTATIO VIII.

DE IMPERATORE ET REGE ROMANORUM.

Resp. Philippo Everhardo Kesseler/à Sarmbsheim, Equit. Vangion.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

PRæmissis Imperii nostri proprietatibus, summâ videlicet majestate reali & personali: adu niversam Germanorum Rempubl. propiùs jam accedemus. Et quia universa, suprema ac summa Germanorum Respubl. componitur ex Capite & Membris, meritò à Capite hâc disputatione Rempubl. nostram auspicamur.

THESIS I.

Caput universæ, supremæ ac summæ Reipubl. Romano Germanorum est Imperator. Ita enim Archiepiscopus Mogunt. quando Rex Rom. eligendus, jurat: Ich N. Ertzbischoff zu Meyntz schwere / daß ich will erwehlen ein weltlich Haupt/dem Christl. Volck/das ist/einen Röm. König/zu einem Keyser zu erheben. *Aur. Bull. Car. IV. t. 2.* quo utitur etiam Maximil. Imp. R. A. zu Regenspurg / *An.* 1566. §. wir wöllen auch/*ibi*: wie wir dan Römischer Keyser / und das Oberhaupt im H. Reich. *Item* R. A. *de An.* 1570. Nach erledigtem Reich haben wir als ein wehrend Haupt des Römischen Keyserthumbs/ꝛc.

2. Im-

2. Imperator olim dicebatur is qui exercitui præerat, sive is Consul, sive Prætor fuerit, ac generaliter omnes Duces belli, *§. 3. Instit. de jur. person.* quos primò à militibus parta victoria ac rebus bene gestis sic appellari solitos, refert Dion. *in Augusto, uti etiam plurima exempla adducit* Cicero *in Epist. Fam. lib. 2. ad Appium.* Postmodum verò SCto constitutum & decretum est, ut Augusti Cæsaris nomen tãtùm esset, eò, quòd is distingueretur à cæteris gentium Ducibus belli, & Regibus. Id cùm sequentes Imperatores usurparint, meritò nostris Imperatoribus id nomen tantùm competit.

3. Aliis etiam nominibus Imperator noster insignitur, vocatur enim & Cæsar & Augustus.

4. Cæsares Rom. Imperatores à Julio Cæsare, primo Rom. Imperatore, (quem non ab utero cæso, ut quibusdam placuit, sed secundùm Servium & Spartianum ab Elephante in pugna cælo, quod lingua punica Cæsaris verbo *Elephas* significetur, potiùs appellatum existimamus) dicti, Cuspin. *in vita Jul. Cæs.* Atque sic Octavianus, quem Julius Cæsar sibi adoptavit, testamento Cæsaris primùm est dictus, licèt Spartianus Cæsarem eum vocari dicat, qui designatus est Princeps & successor Imperii, ut hodie Rex Romanorum, quo etiam in sensu in jure nostro locis quibusdam accipitur, *ut in l. 6. §. ult. de jur. fisci, & l. 7. Cod. de malef.*

5. Augusti cognomentum Octavius primùm acce-

accepit à Senatu, pro sancto augurio consecrato, Jovis ope aucto, quia mirum in modum Imperium auxit, qua de re Culpin. *in vita Octavii Augusti.*

6. Et quamquam olim differebant Augustus & Cæsar per all. ibi *in comitatu meo vel Cæsaris* hodiè tamen indistinctè & Imperatorem à primo Julio, & Cæsarem ab Octavio, & Augustum ab Augusto caput universæ Reipubl. Romanæ appellamus, Forst. *l. 1. hist. Rom. 38. n. 52.*

7. Imperator est, qui secundùm constitutionem Rex Romanorum legitimè est electus & coronatus, *Aur. Bull. Carol. IV. tit. 2. de elect.*

8. Olim quidem electum ante Pontificis Romani coronationem, saltem Regis Romani nomine, non Imperatoris uti potuisse, docent Innocent, *c. 34. x. de elect. & elect. potest.* Baron. *t. 10. annal. Eccl. de An. C. 871. §. 4. & de An. 888. §. 3.* Onuph. *de Comit. Imp. fol. 365.* Bellarm. *lib. 1. de translat. Imp. lib. 4. c. 6.* Petr. de Andlo *. lib. 2. de Imp. Rom. c. 5. in fin.* Idque constitutum fuisse à Gregorio V. monent Platin. *in Gregor. vita, &* Crantz. *lib. 4. Sax. c. 25.* Verùm post Germanam coronationem, & inaugurationem, Electum rectè dici Imperatorem asserimus, Heig. *q. 3. n. 56. pag. 1.* Wesenb. *in not. ad Schneid. in proæm. Inst. num. 6.*

9. Non tamen statim unum & idem sunt Imperator

perator & Rex Rom. Rex enim eligitur in Imperatorem promovendus. Id quod & Sigismundi Bulla, *referente* Arnold. Engelbrecht. *sect. 10. de Imp. Germ. his verbis innuit.* Wie dann der jetzige Ludwig selbst gegenwertiglich / gleich wie derselbe / auß Vätterlicher und Erblicher Succession darfür erkant wird / und mit rechtmässigem Titul besitzet / das Recht / Stimme / Würde und Gewalt / einen Römischen König / so hernach zum Keyser werden kan / zu erwehlen / quæ Bulla continetur, in dem kurtzen Anzeig deß D. H. F. V. H. H. Philips Ludwig / P. bey R. in causâ tutelæ, edit. Lawing / A. C. 1611. in der andern Beylag / *sub n. 2. huc facit quod ex constit. A. B. t. 2. Electus Rex Rom.* So bald solche Wahl vollbracht / ehe denn er in einigen Sachen oder andern Geschäfften / in Krafft deß H. Reichs handelt / allen und jeden Geistlichen und Weltlichen Churfürsten / ꝛc. alle ihre Privilegien-Brieff / Recht / Freyheiten / und was sie vom H. Reich / biß auff die Zeit solcher Erwehlung / erobert und ersessen haben / ohn Verzug und Widerrede / durch seinen Brieff und Insiegel befestigen und erneuern soll / und nach dem er mit Käyserlichen Insällen gekrönet / soll derselbige erwehlet / jedem Churfürsten besonder / anfänglich in seinem Königlichen Nahmen / und fürter unter Käyserlichem Titul ꝛc.

10. Electum esse debere Imperatorem dictū est.

est. Ab initio quidem, ut ex Historicis constat, Imperium fuit hæreditarium. Et Julius Cæsar Octavium testamento Cæsarem instituit, uti Octavius rursum Tiberium Neronem, & Tiberius Cajum Caligulam, ut Regni hæredem reliquit. A morte Caligulæ jus electionis introductum est. Nam Tiberius Claudius cum magnâ contentione militum & Senatorum Imperator electus, *Cuspin.* Ubi v. Imperium ad Germanos translatum, constat iterum fuisse hæreditarium à Carolo M. usque ad Conradum I. Ducem Franconiæ. Nam Ludovico Arnulphi filio ex stirpe Caroli M. sine sobole è medio sublato, universus Francorum & Saxonum populus ad Othonem Saxoniæ Ducem ivit. Cùm v. ille excusatione ætatis usus est. Conradus Franconiæ Dux in Imperatorem est electus, *Cuspin. in vit. Imp.* Quicquid ergò olim fuerit, hodie Imperator ritè per electionem constitui debet, *Aur. Bull. t. 2.*

11. Ut ergo Electio meliùs nobis innotescat, breviter quædam, quibus videl. casibus, quis, à quibus, quomodo & quâ ratione constituendus, item de loco, tempore, & electionis effectu, adferemus.

12. Casus *in Aur. Bull.* specialiter non constituuntur, sed tantummodò generaliter ponitur, quandocunque futuris temporibus necessitas emerserit. *tit. 1. in princ. Aur. Bull.* Necessum ergo est 1. Si imperium vacat propter mortem Imp. de quo nullum est dubium, *per text. c. 1. cum autem,*

autem, & c. 4. §. caterum quoties, hîc. 2. Si Imperator religionem ingrediatur, prout fecit Lotharius I. qui Monasterium Prumiense ingressus est: Otto Frising. *l. 6. Chron. c. 1.* Herm. Contract. *in Chron. Sigon. l. 5. de Reg. Ital. in Loth.* I. 3. Si vel alia de causâ Imperii fasces resignavit. Nam per renunciationem imperium, officium, & beneficium vacare dicitur, *c. 10. cap. 3. extr. de renunc.* 4. Quòd v. resignare Imperator possit, probatur, *arg. c. 1. de renunc. in 6. & l. fin. C. de defens. civ.* Et ita in individuo tradiderunt, Schrad. *de feud. p. 10. sect. 3. n. 173.* Ant. de Rosel. *tr de potest. Imp.* Matth. Steph. *de jurisd. I. c. 15. n. 22. Exemplo nobis est Carol. V.* 4. Si propter gravissimas causas Imperator ab Electoribus, à quibus eligitur, removeatur, prout post antiquiores, Wenceslao contigit, *de quo in Chron. Landg. Thuring. c. 142.*

13. Persona eligenda debet esse idonea, ut constat ex juramento Electoris Moguntini, his verbis: Ich N. schwere/ꝛc. daß ich will erwehlen ein Weltlich Haupt dem Christl. Volck/ das da tüglich sey/ꝛc. Hoc ergo verbum, Tüglich/ omnia sub se comprehendit, quæ ad habilitatem & capacitatem Imp. requiruntur.

14. Censetur a. idoneus is, qui tâ animi, quàm corporis bonis, quàm maximè pollet. Sit ergò idoneus, 1. ratione qualitatum animi: utpote sit verâ pietate præditus, *c. 34. de Elect. Clem. 1. de jurej. c. 2. de re jud. in 6.* verus Christianus, *l. 8. C. de sacrosanct. Trin. in præm.* Hinc sequitur, quòd

inprimis Protestantium religioni debeat esse addictus. Non tyrannus, nec iniquus, sed justitiæ observator religiosissimus, *Proœm. Inst.* in verb. *& fiat tam juris religiosissimus*, Non demens: Imperia enim magis prudentia, quàm armis defenduntur. Et ita Elector Moguntinus in electione Rudolphi *referente* M. Alb. Arg. *in Chron. fol. 100. asserut*: *Sapientiam & strenuitatem divitiis & potentiæ præferendam esse. Cæteris tamen paribus potentiorem præferendum esse dicimus.* Non abjectus, sed magnanimus & summatim, sit omnibus, quæ in Principe requiruntur, virtutibus decoratus.

15. Secundò existat idoneꝰ ratione cõditionis personæ, utpote ratione dignitatis, non modò Principes, verùm etiam Comites, Imperatores creari possunt, Schrad. *defeud. p. 4. s. 8. n. 18.* Castald. *de Imp. q. 7. n. 8. Exempla habemus in Wilhelm. Rudolph. Adolph. & Günthero.*

16. Deinde ratione status non clericus, sed laicus, *Castald. q. 8. n. 7.* Ant. de Rosel. *de potest. Imp.*

17. Ratione nationis, non Gallus vel ex alia natione oriundus, sed Germanus idque secundùm leges & mores Imperii, Et quamvis hoc expressè non requirat Aur. Bull. testantur tamen id ipsum, *ut est apud* Schleid. *l. 1.* & Moguntinus & Trevir. quoad jusjurandum, cujus vigore se ibidem ad eligendum extraneum prohiberi dicunt, ubi respiciunt Electores ad Ottonis III. speci-

ſpecialem legem. Nam Ottonem III. ſpeciali lege caviſſe, ut nimirum non alius, quàm Germanis parentibus natus eligatur, teſtantur plurimi authores, de quibus vide Buxtorff. *in Aur. Bull.*

18. Ratione ætatis nullam habemus expreſſam legem, vel etiam conſuetudinem. Et quamvis communiter minor 25. annis ad Reipubl. adminiſtrationem non ſit admittendus, *l. 8. ff. de mun. & l. 6. §. 1. & 11. ff. de decur.* In Imperatoribus tamen nullam animadvertimus ætatem eſſe obſervatam. Exempla habemus in Ottone III. qui admodum puer Imperator electus, Ott. Friſin. *lib. 6. c. 26.* in Henrico III. qui anno 12. Spangenb. *in Chron. Manſf. c. 168.* in Henrico IV. qui octavo, Crantz. *lib. 4. rer. Sax.* in Friderico II. qui 20. Münſt. *lib. 3. Coſmogr.* in Carol. V. qui 19. ætatis anno in Regem Roman. electus, Schleid. *lib. 1.*

19. Eligentes quod attinet, quamvis olim ab omni populo Imperatores ſint electi, ut conſtat ex Hiſtoricis, de Cunrado I. Cuſpin. *in vita Cunrad.* item Henrico I. Witik. *lib. 1. rer. Sax. in Hen. I. p. 10.* item de Ottone I. *Witik. lib. 2. rer Sax. p. 16.* item de Ottone II. Regin. *in Chron. an. 961. &* Onuphr. *de Comit. Imp. p. 378.* quos omnes ab omni populo electos eſſe conſtat. Hodie tamen antiqua & laudabili Imperii conſtitutione, jus & facultas eligendi Imperatorem ad ſeptem Principes Electores eſt tranſlata, *Aur. Bull. t. 1. & 2.*

20. Hinc sequitur, Imperium immediatè à Deo Imperatori concessum, humano modo acquiri. Siquidem non immediatè, sed per electionem acquiritur.

21. In illo a. Septemvirali Collegio, Archiepiscop. & Elector Mogunt. Archi Cancell. Germ. constitutus est tanquam Collegii hujus Septemviralis *Decanus*, ad illum n. pertinet vacante Imperio jus intimandi. Id n. jus Archiepisc. Moguntinis regno videl. vacante ab antiquioribus esse traditum asserunt multi, *de quibus* Buxtorff. *d. l.* quamvis non desint, qui dicunt, hanc potestatem vel alternativè, vel unà cum Moguntino Electori Palat. olim competiisse, sicuti probatur per text. im Sächs. Landr. *c. 27. his verbis*: So sollen sie ein Gespräch gebieten zu Franckfurt/ die soll gebieten / der Bischoff zu Meyntz bey dem Bann/ und der Pfaltzgraff beym Rhein/ soll es gebieten bey der Acht. Sed eo tempore *Aur. Bull. Car. IV.* nondum erat firmata.

22. Cùm a. electio hæc non sit particularis, sed collegialis, necesse est, ut omnibus & singulis Electoribus Mogunt. Elector talem electionem intimet. Nam si vel unus eorum contemptus, vel prætermissus fuerit, tota electio tanquam subreptitia per illum, non v. per tertium quendam, retractari & annullari potest. Exempla habemus in Cunradi III. electione, cujus electionem Saxo, & Henricus Bavar. Dux, propterea, quod ad eam non vocati, sed contempti essent, tanquam subre-

subreptitiam improbarunt, Otto Fris. *l.7. Chron. cap.22.* Gothofr. Viterb. *in Chron. in part.17. in Conrad III. p.510.* Sig. *l.11. de Ital. in Conrad. II.* Anno 1138. eâdem etiam de causâ electio Ludovici Bavari, Crantz *l.9. Sax. c.8.* & Maximil. I. à Rege Bohemiæ, Hartm. Maur. *de coronat. Car. V.* impugnata fuit.

23. Porrò requiritur, ut electionem Moguntinus coelectoribus Collegis suis intra mensem à die mortis Imperatoris denunciet, simulacque intimet, ut intra trium mensium spacium (nisi periculum sit in mora) à die datarum literarum ad electionem novi Imperatoris conveniant.

24. Intimatione sic ritè peractâ Electores absque morâ in personâ ad electionem venire, vel nuncios suos cum plenis mandatis mittere tenentur, *A.B. t. 1 §.* Wann es auch darzu kom̃en/ & §. auch setzen und ordnen/ & §. Welcher Churfürst/ &c. Quòd si v. Elector ritè vocatus, neque per se, neque per idoneè instructum comparuerit, pro istâ vice suffragio & voto suo privatur, *d. §.* Vnd welcher Churfürst/ atque sic absentium non habetur ratio, sed præsentes actũ electionis perficiunt, R. A. zu Speyer / *de Anno 1529. §.* Vnd damit ein solche/ *in fin. Item* R. A. zu Regenspurg/ *de An. 1541. §.* Wir auch Churfürsten/ &c. *Item* R. A. *de An. 1542. §.* Vnd daß aber in diesem. Atque sic absque mora ad electionem transeundum est. Quòd si v. quis tardiùs accesserit, in eo statu admitti debet, in quo

electio est, *Aur. Bull. tit. 2.* §. Wann aber sie/ oder ihrer mehren/ &c. daß derselbige in solchen Stand zu der Wahl gelassen/ darin er zu Zeiten seiner Zukunfft gestanden.

25. Quinimò non tantùm ad Electionem venire tenentur, verùm etiam ante electionem finitam recedere non debent. Quòd si verò unus vel alter, vel etiam major pars recederet, nihilominus electio ritè procedit. Et cùm jus Collegii etiam penes unum maneat, *l. 7. in ff. quod cujusque univers. nom.* non tantùm à majori, verùm etiam à minori parte electionem, de jure expediri posse, asserimus, *vide hac de re* Buxtorff. *in aur. Bull. th. 25. lit. E.*

26. Et quia electio collegialiter debet expediri, vota non particulariter, sed in publico conventu collegialiter sunt ferenda & colligenda. Hinc sequitur per literas transmissa vota nullum sortiri effectum, Buxtorff. *d. l. th. 44.*

27. In ordine autem votandi, hodiè Moguntinus primum habet votum, Goldast. *in replic. pro Imp. c. 13. p. 173.* qui ut Decanus Collegii aliorum vota colligit.

28. Debent præterea vota esse pura, non alternativa vel conditionata, Buxtorff. *d. l. th. 43.*

29. Elector sibi etiam ipsi votum dare, & semetipsum eligere potis est. Exempla habemus in Maximil. II. Rudolph. II. & præsente invictissimo & glorioſissimo Imp. Maatthia I.

30. De

30. De tempore electionis, *vid. Aur. Bull. tit.* 2. §. Wo ſie aber.

31. Locus electionis eſt Francofurtum, *d.* §. Auch ſetzen *tit.* 1. qui cum publica auctoritate legis eſt deſignatus, niſi Electorum conſenſu, & propter graviſſimas cauſas, mutari non poteſt.

32. Effectus electionis tribuit novo electo Imperatori omnem dignitatem Imperialem, & ſummæ poteſtatis plenitudinem.

33. Atque ſic hucuſque dictum, quomodo legitimè Rex Romanorum eligitur. Coronationem, quod attinet, ſciendum eſt, Imperatori olim tres coronas eſſe impoſitas. Unam recepit ab Archiepiſcopo Aquisgrani, quam aliqui dicunt eſſe ferream, ſed in contrarium ſunt multi, qui ex puro puto auro illam eſſe confectam aſſerunt, *vide* Buxtorff. *in A.B.* Alteram accepit in Italia argenteam ab Archiepiſcopo Mediolanenſi: Tertiam Romæ à Papa auream. Sed quia Pontificii hoc ad aliquam neceſſitatem redegerunt, & exinde Imperii auctoritatem dependere voluerunt, rectè illa Papæ coronatio, publicâ Imperii transactione, tempore Ludovici Bavari Coloniæ promulgatâ, (de quâ antea ſatis dictum) explosa & repudiata eſt.

34. Et quia non tantùm vacante Imperio hodiè Rex Romanorum eligitur, verùm etiam interdum vivo Imperatore, (*exemplum habemus in Ferdinando, tempore Caroli Quinti.*) Proteſtantes

A.C.1532. Schwinfurti sic cum Cæsare convenerunt, ut Rex non suo, sed Cæsaris tantùm nomine Rempubl. administret, nec ullam sibi potestatem aut Imperium arroget; Principes atque Ordines Imperii non teneantur ei ulla fide aut jurejurando, nisi post mortem Cæsaris, prout habent capita transactionis Schweinfurtensis, *apud* Sleid. *l.8.* Et tantum de constitutione Imperatoris & Regis.

35. Olim ratione dominatus & potentiæ Imperator *Dominus Orientis & Occidentis*, imò corporalis totius mundi Deus dictus est. Bald. *cons.359.lib.3. & cons.238.lib.1. & cons.300.lib.ult.* Valq. *illustr.q.20.in pr.* Castald. *in tr. de Imp.q.52. & 53.* Carol. Degrassar. *Regal. Franciæ.l.1.jur.6.* Hodiè v. si cum illa prisca potentia & dominatu Imperii faciem conferas, juxta Prophetiam Danielis eò ventum deprehendes, ut Monarchiam quartam pedibus ex luto & ære mixtis incedere jam omninò fateri cogaris. Idque non tantùm propter intestina bella, odia & dissensiones plurimas in Imperio, verùm etiam propter omnis generis exemptiones, & turpissimam Pontificum avaritiam.

36. Inter omnes tn. Principes & Reges totius mundi, Imperator noster, præcedentiam & præeminentiam de jure meritò obtinet, quinimò splendet & fulget, tanquam stella matutina in medio nebulæ meridionalis.

37. Et quia Hispania, Gallia, Italia, Dania. &c.

vera

vera Imperii Romani fuerunt membra, meritò & optimo jure Imperatori noſtro præeminentiam & ſuperioritatem concedunt.

38. Et, ut ab Hiſpania incipiam, certum eſt, eandem fuiſſe ſubjectam Imperio Rom. Idque facilè patet exinde, quod Imperatores noſtri præſidibus provinciæ Hiſpaniæ ad interrogata reſcripſerint, uti patet ex inſcriptione, *l.16.C.de donat.ant.nupt.& l.6.Cod.de ſerv.fugit.vide* Caſtald. *de Imp.Rom.q.35.n.11.* Quinimò ipſi Hiſpani adducunt Honorii Imperatoris immunitatem Gothis conceſſam, aliaque decreta ſub Henrico III. Anno 1055. confirmata; Covar. *part.2.Relect.c.peccatum,§.9.* Joh. Marian. *de Republ. Hiſp.l.9.c.5.* Præterea *Gratianus Papa,c. volumus,11.q.1.* Hiſpanos omninò ſubjectos arguit, eosque Legis Carolinæ vinculo potentiæ & majeſtati aſtringit.

39. Falſiſſimum ergò eſt, quod ſcribit Guilielm. de Montisferrat. *de ſucceſſ.Regn.dub.1.n.40.* Reges Hiſpaniarum regna ſua ab Arabibus jure belli occupata tenere, & præterea immemoriali temporis præſcriptione tutos eſſe. Conſtat enim Reges Hiſpaniarum regna ſua, *utpote: Siciliam, Luſitaniam, Neapolim, Arragoniam, Sardiniam, Canarias, Heſperides, ac Gorgonidas Inſulas &c.* arctiſsimo fidelitatis nexu, à Pontificibus, quibus ſe nimium ſubjecerunt, poſſidere, & tali modo ab Imperio Romano ſe exemiſſe.

40. Et Galliam, quod attinet, ſimiliter manifeſtum

festum est, olim Provinciam Imperii Rom. fuisse. Idque patet ex inscriptione, *l. 5. C. de jurisdict. omn. jud. & ex l. 2. §. 2. in verb.* quæcunque in partibus Galliæ & Hispaniarum, *& c. C. de offic. præf. prat. Afric. inde* Bart. & Alciat. *Regem Francorum Imperii Germanici subditum esse scribunt.* Idem constat ex Caroli Magni testamento. Nã juxta illud Gallia Imperio subesse debebat. Hinc Otto II. Regibus Galliæ bellum inferre voluit, quod Rom. Imp. se subducerent, Crantz. *in Metrop. Sax. l. 3. c. 35.*

41. In Italia Imperatoria Majestas superioritatem satis habet fundatam, adeò, ut Pontifici exemptionem & donationem Constantini M. alleganti, (quam præcedente *disp. q. ult.* satis refutavimus, onus probandi incumbat.

42. Daniæ Rex respectu Ducatus Holsatiæ subjectus est Imperatori nostro. Cõjunge R. A. zu Speyer/An. 1542. §. Dieweil aber/ibi: Insonders aber Dennemarck/ꝛc. Et antea præcedente *disp. th. 29.* dictum: Petrum Daniæ Principem Coronam Regiam manu Imperatoris Friderici accepisse. Quod autem à Carolo Magno Dania Imperio subjecta, nullum est dubium, Cuspin. *in vit. Carol. M.* Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum status hodiernus Sacri Imperii Romani sit absolutè & purè Monarchicus, an verò Aristocraticus, aut mixtus?

De

De hac quæstione tres distinctas hominum dissentientium opiniones animadvertimus. Una eorum est, qui dicunt, statum Imperii Romano-Germanici esse absolutè & purè Monarchicum, & adhuc talem, qualis olim fuit. Altera eorum est, qui contendunt, Majestatem Imperii Romano-Germanici non ampliùs penes Imperatorem, sed penes Principes & Status Imperii residere, adeò, ut status Imperii hodiernus nullo modo sit Monarchicus, sed Aristocraticus. Tertia eorum, qui statuunt: Statum Imperii Romano-Germanici, non esse talem, qualis olim fuit, videlicet absolutè & purè Monarchicum, sed Aristocratia temperatum, ita tamen, ut sic præmineat Monarchia & Majestas Imperatoris, ut Monarchiæ titulus meritò & optimo jure Imperatori nostro tribuatur. Rationes primi generis imprimis hæ sunt: 1. à definitione Monarch. Imperium Monarchicum est, quando jura majestatis & summæ potestatis penes unum residen, *ex* Bodin. *lib. 2. de Republ. cap. 1.* Atqui jura majestatis & summæ potestatis residen penes unum & solum Imper. Ergo, &c. 2. à testimonio hominum. Quia Imperator noster adhuc hodiè ab omnibus Regibus & populis tam fidelibus, quam infidelibus Monarcha salutatur & honoratur. 3. Quia omnib. & singulis Imperii civib. non tantùm simpliciter, sed ex plenitudine Regiæ & Cæsar. potestatis imperat, & quidē sub pœna Reichs Abschied / *de Anno 1521. in pr. ibi:* entbieten allen und

und jeglichen/unsern und des H. R. Churfürsten/Fürsten/Prälaten/ꝛc. & §. Darauff befehlen wir euch. *Item* R. A. *de Anno 1529. sub tit. constit.* oder Mandat wider die Wiedertäuffer/ §. Deßgleichen/ *ib.* und wollen/ꝛc R. A. *de An. 1530.* §. Und dieweil/ *ib.* demnach gebieten wir. *Item* R. A. *de An. 1542.* §. hierum/ *ib.* auß Röm. Käys. und Königl. Macht/ꝛc. 4. Ab externis signis Monarchiæ, quia dantur Imperatori sceptra, regale solium, corona, pallium regale, pomum orbis figuram repræsentans, magnifica oratione, à Principibus, salutatur &c. 5. à natura Relat. Quia omnes & singuli Imperatori tanquã Domino & summo Magistratui, obedientiam ac subjectionẽ debent, uti antea ex recessibus Imp. probatum. 6. Quia omnes Principes & Status Imperii Imperatori nostro præstant homagium non tantum fidelitatis, sed etiam subjectionis uti apparet ex formula juramenti, quam refert Warem. ab Ehrenberg *l. 2. de fœd. sub num. 161. hoc modo*: dem Röm. Keyser und dem Reich/ treu/hold/und gehorsam zu seyn/ꝛc. 7. à remotione contrariarum specierum. Quia non est Aristocraticus neq; Democraticus neque mixtus. Ergò, &c. Secundi generis rationes cumprimis hæ sunt, 1. Quia ipsi creatores Principis jura majestatis in sese paulatim transtulerunt, adeò, ut jura majestatis non penes unum solum, verùm penes Principes & Status imperii resideant. 2. Quia Principes & proceres Imperii, tùm ipsi Impe-

Imperatori, tùm singulis Principibus in Comitiis congregati leges ferunt: Atque leges dare est majestatis, non v. accipere *per l. 31. ff. de ll.* 3. Quia Imperator leges universales solus condere non potest, uti probatur ex formulâ in recessibus imperii receptâ: Als haben wir uns mit den Ständen/ und sie wiederum mit uns nachfolgender Massen vergliechen. Atqui leges universales ex plenitudine potestatis condere est supremæ Majestatis symbolum, Bodin. *de Republ. c. 10.* Paurm. 1. *de jurisdict. c. 4. n. 6.* 4. Quia Imperator ex ordinum decreto jus belli indicendi solus non habet. Atqui jus belli indicendi infallibile est signum absolutæ & summæ potestatis, Sleid. *l. 1. 14.* Quinimò prohibetur decreto ordinum eas pecunias, quæ ad bellum gerendum colliguntur attingere, Bod. *d. l. p. 363.* 5. Quia Imperator potestatem exigendi vectigalia, erigendi telonia & imperandi tributa non habet, Reichs-Abschied/ *de An. 1576.* §. Weiters seyn wir auch. 6. Quia non solus Imperator est supremus magistratus, verùm judices Cameræ imperialis. 7. Quia judices Cameræ, de famâ, capite ac fortunis omnibus Imperatoris cognoscere possunt. 8. Quia à Ducibus & Principib. Imperator creari solet. 9. Quia majestas est summa & LL. soluta potestas. Atqui Imperatoris potestas non est summa, quia Principes Imperii sunt superiores, tùm, quia Imperatori leges ferunt, tum quia & constituendi & destituendi Imperatorem potestatem habens,

bent, exemplo est Adolphus & Wenceslaus. 10. Quia Imperator tenetur præstare juramentum ordinibus & sese obligare: & licet imaginem Regiæ majestatis habeat, sceptra, regale solium, coronam, &c. rem tamen non habet, Bodin. *d l. p.* 363. 11. à testimonio Maximiliani I. Hic enim cum orationem ad imperii Ordines haberet, coronam imperialem à Romano Pontifice accipere minimè necessarium sibi videri dixit, eò quod Imperii Majestatem in ipsis ordinibus esse intelligeret. Bod. *d. l p.* 368. Tertii generis rationes hæ sunt. 1. Quia experientia testatur, faciem Reipubl. hodiè alteratam & non esse talem, qualis olim fuit. Nam olim Imperator pro arbitrio suo & quidem ex plenitudine suæ potestatis leges condidit; hodiè cogitur cum assensu Statuum Imperii leges universales condere, uti probatur ex receptâ formula. Als haben wir uns mit den Ständen / und sie wiederum mit uns nachfolgender massen vergliechen. Requiritur ergò ad legem universalem constituendam ab utraque parte consensus de necessitate, & concurrunt Status Imperii ad legem universalem ferendam, uti ad bellum indicendum & alia publica negotia in Romano Imperio expedienda plurima, non ut consiliarii, sed quòd habeant illa jura majestatis cum Imperatore jam communicata, ita tamen, ut nihilominùs Imperator retineat præeminentiam, & alia omnia, quæ utriusque partis consensu expedita suo nomine divulget, execu-

executioni mandet, & omnibus & singulis sub pœnâ, uti supra dictum, imperet, &c. Hinc pro 2. Ita quidam argumentantur: Imperium in quo proceres parte aliquâ jurium majestatis, non ut singuli, sed ut universi & quasi collegium aliquod verè fruuntur, absolutè & purè Monarchicum non est, ut fatentur omnes: Atqui in Imperio proceres sive status parte aliquâ jurium Majestatis, non ut singuli, sed ut universi & quasi collegium aliquod verè fruuntur, uti ex jure comitiorum & Imperii ordinationibus manifestum est. Ergò absolutè Monarchicum non est. Et rursum: Imperium, in quo Imperator in illis ipsis juribus majestatis, de quibus proceres participant, nihilominùs integrum retinet semissem, ut Imperii caput, & propterea quædam jura majestatis sine procerum collegio solus obtinet & exercet, ex Aristocratiâ & Monarchiâ mixtum est. Et rursum: Id Imperium, quòd ad Monarchiam magis propendet quàm ad Aristocratiam, à monarchia tanquam à potiori rectè denominatur: Atqui Imperium nostrum, magis propendet ad monarchiam quàm ad Aristocratiâ: Ergò rectè monarchicum appellatur. En tibi aciem ab utrovis latere, quo ergò te vertas, habes aciem paratam, cui ergò parti putas jungenda esse nostra vexilla. Priori parti minùs tutum existimo, propterea, quòd non debeant jura Imperatoris accersi & demonstrari ex legibus Romanis & eo jure, quo Carolus Magnus, quo Otto,

& quo

& quo utriusque successores usi leguntur, hodiè mutata facies Reipubl. est, & sunt jura majestatis aliqua parte communicata proceribus & Statib. Reipubl. Romanæ. Quamobrem quod attinet ad argumenta prioris opinionis. R. Ad 1. Negando, quia hodiè ex jure comitiorum & imperii ordinationibus jura majestatis, uti dictum est, aliqua ex parte sunt apud Proceres. Gothofr. Ant. *disp. Apolog. de potest. Imp. th. 61.* Ad secundum argumentum quod attinet, nobis nihil obstat. Nam & nos dicimus invictissimum Romanor. Imp. MATTHIAM Dnum nostrum omnium clementissimum, cujus majestati firmam valetudinem, Imperium florentissimum, victoriam & felicitatem à Deo animitùs precamur, verum Monarcham esse, atque hoc defendemus constantissimè. Ad reliqua argumenta, quia hîc longum foret, ad singula respondere, in ipso disputationis actu, respondebimus, id tantùm hoc loco addimus, partim in illis committi fallaciam consequentiæ & connexionis, partim committi fallaciam à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: partim ab insufficienti enumeratione partium nulla ratione procedere posse. Alteri parti jungere vexilla, admodum periculosum esse puto. Nam occurrunt, quæ non tantùm manifestæ falsitatis, verùm etiam absurditatis argui possunt. Non n. Principes omnia jura majestatis attraxerunt, sed quædam adhuc penes solum Imperatorem residunt, quædam habet cum Statibus dicto modo

modo communicata. Non equidem diffitemur particulas quasdã majestatis in Electores & Ordines Imperii translatas esse, id quod argumento est: Monarchiam hodiè non ampliùs puram & absolutam, sed Aristocratiâ temperatam esse. Ad reliqua argumenta Bodini in conflictu disputationis respondebimus. Visum ergò nobis est ad tertiam sentẽtiam veritati vicinioré abire, quàm illam arbitramur, quæ Imperium nostrum mixtum statuit, ex Monarchiâ & Aristocratiâ, denominationem v. ejusdem à monarchia tanquam parte potiore desumit, quàm qui firmiter tenuerit, difficultatibus illis, ex opinionibus reliquis fluitantibus minimè onerabitur vel premetur.

QVÆST. II.

Vtrum ut olim ita hodiè Princeps sit solutus legibus?

In hac quæstione extra controversiam positum esse nemo sanæ mentis negabit, ut divino, naturali & gentium jure, sic & legibus Imperii, quæ cum ipsâ majestate conjunctæ sunt, eamque immediatè concernunt & constituunt, sive tacitè sive expressè Principi datę sint, & olim obligatum fuisse Principem, & etiamnum firmiter teneri, Gothofr. Ant. *disp. de potest. Imp. th.* 10. Nam divinas leges, quod attinet, si violare, si perrumpere, aut quovis modo labefactare quispiam tentabit, divinæ majestatis reus erit, Siquidem qui potestatem à Deo sibi habet commissam, Dei

subditus est, Deum superiorem agnoscit. Impura igitur & scorto famoso magis, quàm Augusta digna vox Juliæ ad privignum Antonium Caracallam, *si libet licet: an nescis te Imperatorem esse & leges dare, non accipere.* Præterea jure naturæ Principem semper obligatum fuisse, nullum est dubium. Siquidem Dei jus naturæ lex est. Nisi crudelia Herodis Judæorum Regis in tres filios, Neronis in matrem ac uxorem, trium Ptolomæorum, quorum primus fratrem, secundus matrem, tertius Patrem interemit, parricidia, nisi nefaria Caracallæ & Tiberii fratricidia, nisi detestandam Caligulæ cum sororibus, ac Neronis cum matre libidinē, nisi Augusti, Tiberii, Vitellii, Titi Vespasiani sodomiam approbare & per consequens Principes olim, stupra, incestus, furta, cædes, & similia ex illicitis naturæ & moribus licita fecisse, affirmare velimus. Porrò gentium jure, unde obligationes, pacta & conventiones oriuntur, Principem alligatum fuisse certum est. Ad hoc & ipsa natura & honestas Principes impellit. Siquidem naturæ nihil magis consentaneum, nihil dignitati magis conveniens, quàm quæ placuerunt servare, etiam cum sui detrimento. Hinc dubio omni caret teneri Principem illis legibus, ad quarum observationem publicâ cum Statib. Imperii initâ cōventione se devinxit. Sic omnes Principes, Imperatores & Reges conditionibus, quibus ad imperium vel Regnum evecti sunt ex conventione quadam, si

non

non expressâ, attamen tacita, quæ ex æquo omnes mortales alligat, obstringuntur, nec ullus, nisi per tyrannidem Imperium sive regnum invaserit, sine certis conditionibus saltem illis, quæ ex communi bene imperandi sive regnandi natura dependent, ad Imperium sive Regnum ascēdit. Proinde cùm nemo Principum unquam illis supra dictis legibus fuerit solutus, nullo modo Ulpianus *l. 31 ff. de ll.* illas intelligere potuit. Status ergò controversiæ tempore JCti Ulpiani fuit hic: Utrũ Princeps sit solutus legibus positivis & merè civilibus? ad hunc statum, *ICtus in l. 31. ff. d. ll.* &. *affirmativè*. Hinc jam quæstio oritur: *Utrum ut olim, ita & hodiè Princeps sit legib. solutus.* In qua quæstione ut affirmativam amplectamur, his movemur rationibus. 1. Quia quæcunq; jure Romano Imperatoribus concessa, nec expressè vel tacitè adempta, illis etiamnum gaudent & fruuntur, *arg. l. 32. in fin. C. de appell. 23. de leg. 3. l. 26. 27. & 28. ff. de ll.* Atqui Imperatoribus potestas legibus soluta est concessa. *l. 31. ff. de ll. l. 23. de leg. 3. §. fin. Inst. Quibus modis test. infirm. Novell. 105. c. 2. in fin.* Ergò, &c. 2. Quia Imperator noster fruitur plenitudine potestatis *A. B. in præf. circ. finem t. 2. in pr. tit. 8. tit. 13. in fin. & 16. R. A. de Anno 1495. de pace pub. rubr.* Von Sachen/so sich vor diesem Land-Frieden begeben/ ib. von Röm. Königl. Macht und Vollkommenheit/ &c. *de Anno 1544. §.* Als wir aber/ *ib.* Auß unsern Keyserlichen/ &c. 3. Quia privilegia

concedit, § 6. *Inst. de I. N. G. & C.* 4. Quia rescriptis suis ex certa scientia juri communi merè positivo derogare & legis gratiam facere potest, *arg. l. 7. C. de precib. Imp. offer.* exempla sunt in promptu, quod Princeps aliquibus gratiam fecerit, obstante etiam jure comuni. *Vide* Zas. *ad l. Princeps, n. 12. in fin. Gail. 1. observ. 14. n. 6.* 5. Quia potest Princeps Dominium transferre nudâ voluntate citra traditionem, *l. 20. C. de pact. l. 15. Cod. de rei vind. l. 6. C. de hæred. vel act. vend. & ibi* Dd. Gail. 2. *obs. 55. in pr. junct. n. 6.* Hartm. Pist. 2. *q. 9. n. 26.* 6. Quia in actionibus quas gerit, juris solemnia observare non tenetur, *arg. l. 14. § 1. de manumiss. l. 3. C. de testam. l. 34. C. de donat. l. penult. Cod. de donat. inter vir. & uxor. l. ult. in fin. Cod. de quadr. præscript. Gail. 1. obs. 87. n. 6.* 7. Non est subjectus legibus positivis, sed supra leges est, & Dominus legum. *Vide Goth: Ant. d. l.* Concludimus ergò Imperatorem legibus positivis & merè civilib. vel à se vel aliis latis *civiliter* nullo modo teneri. Quòd si ergò à se vel ab antecessorib. vel etiam à Statibus leges essent latæ: illis, uti dictum est, non tenetur. Quo fit, ut nec privilegia, neque leges, Principe mortuo, vim suam ac robur retineant, nisi successorum auctoritate confirmentur, vel tacito consensu approbentur. Hinc Impp. & Reges beneficia Electoribus, Principibus & Statibus Imperii tributa, prius renovare consueverunt. *Dixi civiliter.* Nam si de naturali ratione & æquitate quæras, aliud respondendum. Siquidem

dem ipsa honestas requirit servare leges, quas alius præscripsit. *Decet n. tantam Majestatem eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur, l. 23. ff. de legat. 3 ut digna vox sit majestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, l. 4. C. de ll. Licet enim,* rescripserunt Severus & Anton. *legibus soluti sumus, attamen* addunt, *legibus vivimus, §. fin. Inst. quibus modis test. infirm. Idem notat Bald. ad l. 8. C. de ll. sc. quod se ll. submittat Princeps, non legum efficaciæ, sed virtuti Principum adscribendum esse.* Quàm ob rationem rectè dicitur, potestate legibus soluta, utpote contra jus commune & positivum alicui gratiam facere, regalia, & privilegia conferre, &c. tum demum Imperatorem uti debere, cum majestatis, justitiæ, æquitatis, & publicæ utilitatis, sive necessitatis ratio id requirat, adeò, ut si extra hoc casu Princeps ea utatur, potius potestate suâ abuti videatur, *Gothofr. Anton. d l.*

QVÆST. III.

Vtrum Imperator noster præcedentiam & præeminentiam inter omnes Reges & Principes habeat?

Nemo hactenus est repertus, qui præcedentiam & prærogativam Imperat. nostri indubium vocare ausus fuit, quam unicus ille Bod. *l. 1. de Rep. c. 9.* Ut ergo Bodino & qui Bodinũ sequuntur, prærogativa Imperatoris manifestior evadat, fundamentis quàm firmissimis eandem

confirmabimus 1. Quia dignior is haberi debet, qui in pari dignitatis gradu antiquior est tempore, *l. 2. C ut dign. ord. servetur*, Menoch. *cons. 51. n. 39.* Calefatus *in tr. de equestri dign. n. 91.* Bart. *in l. 2. §. prius, ff. de vulg. & pupill. substit.* Hinc æquũ est & juri consentaneum, utis, qui prior fuit tempore, & diutius servitia superiori domino præstitit, potior etiam sit in honoribus & privilegiis, *arg. l. 7. in pr. C. de postul. l. 1. & 2. C. de præf. præt.* Decian. Rz. *19. n. 183. & seqq.* Fich. *const. 77. n. 14. vol. 1.* Atqui Rom. nostrum Imp. quod à Car. Magno ad Germ. ttanslatum, vetustissimum esse, ex eo constat, quod olim Hispania, Gallia, Ital. Anglia, &c. Provinciæ fuerint Romani Imperii, ut antea in th. demonstratum. Præterea constat, ex Gothofred. in annotat. sur l' Histoire du Roy Charles VI. fol. 588. Germaniam olim omnium fuisse ampliſſimam & sub se habuisse, Bohemiam, Polon. Hungar. Dan. Norveg. Sueciam, aliaq; regna & provincias. Ut taceam, Rom Germ. Imp. nostrum illis visionib. Coloſſi & 4. bestiarum apud Dan. Prophetam adumbrari. 2. Antecedit Imp. noster omnes Reges & Princ. non tantum vetustate, verum etiam dignitate. Nam non tantum à terrenis, verum etiam ab ipso Christo Salvatore nostro ipsi Imperatori magnus honor est attributus. Multifariè namque multisque modis Christus, diebus suæ carnis Imperium honorare dignatus est, dando in semetipso exemplum tanquam Dominus &

Magi-

Magister, Rom. Imp. ab omnibus fore honorandum: Honoravit enim Christus Rom. Imp. primò mundum hunc ingrediens duobus modis: 1. in tempore sui adventus per Cæsarem Augustum totum mundum pacificavit, ut per ipsius Domini adventum pax esset in universâ terrâ, juxta illud: *Orietur in diebus Domini abundantia pacis.* 2. quia mox ut natus est, censui Cæsaris se submisit. Deinde, progrediens in hoc mundo iterum dupliciter Romanum Imperium honoravit: 1. Quod dederit ei tributum pro se & Petro, Matth. 17. 24. 2. Quod non solùm ipse tributum dederit, verùm etiam Cæsari dari præceperit. 3. Excellit ipsa majestas omnes alios Reges & Principes auctoritate. Siquidem omnes potestates, & Regum & Principum, ab Imperatore, uti fonte & capite, de jure communi, fluxerunt. Hinc consueverat, dum in flore esset, Reges & præsides aliis gentibus dare, utpote Judæis, Syris, Parthis, Albanis, Colchis, Iberis, Gall. Hisp. Germanis, & quæ sub Germaniâ tunc temporis comprehensi fuerunt, utpote: Bohemis, Ungaris, Polonis, Dan. Suecis &c. uti & hodiè ab Imperatore nostro tanquam summo, Regales & Ducales dignitates petuntur. Exempla habemus in Regib. Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ; Ducibus nõ tantùm Sabaudiæ, Cliviæ, Würtenbergæ, Münsterbergæ: sed & Ferrariæ, Mantuæ, Radriviliis in Lituaniâ, & aliis, Marq. Freh. *in tr. Petr. de Andl. de Imp. Rom.* ubi dicit, *quòd hodiè*

plurimi Reges plùs de facto, quàm de jure Imperatorem in superiorem non recognoscant, prout id fusissimè pertractat. Vasq. *illustr. contr. ca.* 21. Lupold. Bebenburg. c. 7. circ. finem. Bod. *de Rep. l. 1. c. 8. 4.* Excellit Imperator noster insigniis gloriam Imperialem decorantibus, ut sunt Imperiale diadema, gladius, sceptrum, pomum aureum. 5. Turcam quod attinet, non tantùm verbis indicat, verùm facto & stylo cõprobat, Imper. nostrum esse omnium Regum & Principum præcipuum & summum, siquidem hoc modo ad Imp. nostrum scribit: Auß den Potentaten Jesu der fürnembste/und zwischen dem Geschlechte Jesu erwehlter fürnembster Herr aller Christlichen Völcker. Huc facit, quòd Legatis Imperat. nostrorum primum locum attribuat, & ut sedendo sua mandata coram se exponant, tãtum modo iis permittat, Arum. *de jur. publ. disc. 1. p. 9.* ubi notatu dignum, quòd ipse ex Christoph. Varsor. *orat. de legat. & legat.* recenset de legato Caroli V. qui, ubi ad exponenda mandata accitus aliquandiu corã Turcico Imperat. stetérat, neq; consídere secundum morem & consuetudinem jussus erat, pallio suo substrato insedit, & mãdata sui Domini exposuit, & finita etiam oratione in Palatio Turcici Cæsaris reliquit, neque admonitus reassumere & secum ferre voluit, propterea, quòd Legatis Imperatorum non conveniret, sellam secum portare. Non ergò incuriâ Legatorum Francor. illam præcedentiam obtinuerunt Impe-

Imperat. noſtri, uti frivolè admodum Bod. *1. c. 9. de Rep.* ſcripſit, ſed optimo jure. Nam ſine controverſiâ Juſtin. Imp. Regibus Galliæ jura dedit prout Cujac. *conſult. 3. in fin.* demonſtrat. Quinimò non tantum Imper. noſter, verum & Rex Roman. Galliarum & Hiſpaniar. Reges de jure præcedere debet, uti probat. Quett. *conſ.* 1. Non ergò à magnitudine potentiæ dignitatis prærogativa ſemper dependet, uti eleganter Menoch: *1. conſ. 36. numer. 51.*

QVÆST. IV.

Vtrum Imperator Anteceſſoris ſui facta adimplere & approbare cogatur?

Rationes dubitandi hæ ſunt. *1.* Quòd æqualib. imperare nemo poſſit, cum par in parem nullum habeat Imp. 2. Quia Imp. cauſam non habet ab Anteceſſ. Ergò nec ejus nomine prægravari poteſt, *l. 3. verſ. quæ verò non à patre &c. ff. de interd. & releg. l. un. verſ. Ex his n. C. de impon. lucrat. deſcr. l. 9. C. de fideic. l. 9. pr. & §. 1. ff. locat. & l. 31. de pign. & hypoth. Nov. 22. c. 33. & c. 3.* Quòd de conſuetudine Succeſſor antequam ad Regimen admittatur privil. & leges ab Anteceſſ. latas debeat juramento confirmare, *Aur. Bull. t. 2. in fin. 4.* Quòd conſtitut. poſter. priorib. ſint potiores & iis derogent. Hinc communi omnium Dd. calculo approbatum, quod Anteceſſorum conceſſiones poſteris nullum præjudicium creent.

Verùm non ſimpliciter hanc quæſt. eſſe vel affirmandam vel negand. ſtatuimus, proinde

pro quæst. determinatione distinguimus. 1. Inter leges natur. juris gentium, & inter leges merè civiles & positivas 2. Inter obligat. & facta, quæ publicam utilitatem directò concernunt, & inter ea, quæ vergunt in privatum commodum & Reipubl. sunt detrimento. 3. Inter facta ratione officii celebrata, & inter ea, quæ Imp. officium omne excedunt. Quibus distinctionib. præmissis, dicimus, Imperat: facta sui Anteceſſ. servare & probare debere, dummodò ea non fuerint repugnantia, vel juri naturæ, vel juri gentium, vel consuetudini, vel officio suo, vel admodum sint Reipubl. incommodo. Et eâ ratione nullo modo distinguo, sive Electione, sive succeſſione Imperat. vel Princeps sit, c. 1. de prob. c. Quia juxta, 16. q. 1. Quòd si ergò factum vel obligatio ab Anteceſſ. præstita concernat vel jus naturæ, vel gent. vel etiam utilitatem & comod. Reipubl. vel proprium Imperat. officium, nullo modo à Succeſſore potest irrita fieri, propterea, quod omnes æque legibus naturæ & gentiū adstricti simus: Item quod dignitas Reipub. non moriatur, *Nov. 81. c. illud quoque.* sed semper duret, Buxtorff *in A. B. Concl. 37. lit. c.* & quòd in tali casu non tam Princeps, quam ipsum Imper. contraxisse intelligatur. Item quòd officium nemini debeat esse damnosum.

QVÆST. V.

Vtrum vivente adhuc Imperat. Rex Romanorum eligi possit?

Hæc

Hæc quæstio maximè fuit controversa, An. 1530 Inter Carol. V. & Status Imperii, quo tempore Carolus V. fratrem suum Ferdinandum Regem Romanor. designavit. Nitebatur Carolus V. exemplis suorum Antecessorum. Nã constat ex Historicis Conradum I. Henricum Auc. Regem Rom. designasse. Sic Otto. I. designavit Ottonẽ II. filium suũ, & Henr. II. designavit Conrad. II. Quib exemplis motus Imp. Carol. V. cõvocavit Electores & voluit, ut Ferdinandus Rex Rom. eligeretur. Contrà v. Status Imp. oppositerunt Imperatori. 1. Quòd hoc esset contra *A.B. t.2.* §. Wann es auch darzu kommen solte. 2. Quòd jus intimandi in puncto electionis Rom. Imperatoris non pertineat ad Imperatorem sed ad Electores. Verùm utut sit, tandem Imperatoris sententia prævaluit, posse creari Regem vivo Imperatore hac tamen reservatione, ne suo, sed Cæsaris tantùm nomine Rempub. administraret, nec ullam sibi potestatem arrogaret, vel in Principes, vel Imperii Ordines, qui ei etiam nullâ ratione teneantur, nisi post mortem Imperatoris: Cujus transactionis capita, vide apud Sleid. *l.8 fol.213.*

QVÆST. VI.

Vtrum à sententia Imperatoris licitè provocari possit & debeat?

Non desu[illegible]t, qui dicunt, à summo etiam solio nonunquam [illegible]dere iniquitatem & injustum

judicium, proinde ab Imperatore malè informato, ad meliùs informandum, vel ab Imperatore ad Imperatorem adjunctis Principibus, appellari posse.

Verùm cùm olim à præfectis prætorio, nulla recipiebatur appellatio, & hodiè ab Electoribus Saxoniæ & Brandeburgico, ex singulari privilegio, appellare nefas sit, quis tàm hebes est, ut à Cæsare putet appellandum? Lex n. quamvis dura, attamen ferenda. At cum sententia ab Imperatore partibus omnib. constitutis lata, non solum illi causæ, pro quâ introducta est, sed omnib. similibus lex sit: quis quæso erit, qui licitè posse ab Imperatore provocari putet? Cùm n. in Cæsare summa sit potestas, summaque authoritatis plenitudo, nihil est, quod adjunctis Principibus authoritatis accedat: quoniam neque summo adjici quicquam potest, neque plenum effici potest plenius. At qui provocat: quasi superiorem appellat, qui latam contra se sententiam corripiat, quâ in re duplici temeritate Majestatem lædit Imperialem. Nam & superiorem nititur assignare ei, qui omnib. Principib. est superior & iniquitatem illi adscribit, quem semper æquum, justumq; imo sanctum & sacratissimum reputare debemus. Quapropter non immeritò, qui talia tentant, non solùm prohibendi sunt, sed etiam debitis pœnis atque animadversionib. coërcendi. Et quamvis à summo solio nonnunquam procedat iniquitas; non tn. idcircò locus est appellationi,

cùm

cùm nemo sit ut judex, qui Cæsaris sententiam examinare valeat. Utiliùs proinde est Reipubl. ad extinguendas lites paucis injustè oppressis appellationis beneficium denegare, quàm multis calumniantibus, postquam justè damnati fuerint, querelarum januas aperire. Cùm & rarissimi sint, qui se justè reputent damnatos, semperque minus malum tolerandum sit, ut evitetur majus. Nã ubi semper licitum appellare, ibi quoque lites sine fine reperiuntur: ibi sunt inimicitiæ, ibi contentiones, ibi nova scandala. Rectè ergò capitali fraude illum teneri diximus *disp. præced. th. 31.* qui sciens prudensvè à sententia Imperatoris appellare ausus fuerit.

QVÆST. VII.

Vtrum Imperator cum Camerâ in jurisdictione Imperii concurrat?

Judicium Cameræ à Maximiliano I. Imp. An. 1495. in Comitiis Wormat. cum consilio Statuum Imperii potissimum ob hanc causam institutum & certis privilegiis munitum ut Impp. & eorum aula der Reichs Hoff-Raht molestiarum judicialium mole indies magis magisque accumulatoriâ aliquatenus sublevaretur, pax publica conservaretur, & justitiæ administratio in Imperio tanto expeditior & plenior haberetur: minimè verò, ut per illius curiæ constitutionem atque confirmationem judicum Cameralium, sibi in jurisdictione Imperii vel etiam in minimo præju-

præjudicatum atque detractum voluerint. Non tamen desunt, qui id affirmant & sententiam suam hisce potissimum rationibus muniunt. 1. à natura exceptionis. Quod servatio, in uno, censeatur abdicatio aliorum, *l. 12. §. 42. ibi, nam hæc ff. de instr. vel instrum. legat. & l. 12 ff. de judic.* Atqui Imp. causas majorum feudorum Imperii suæ jurisdictioni tantùm reservavit, *Ord. Cam. p. 2. t. 7.* Ergò &c. Constat n. quòd in specie de jure regulari detrahitur, ejusmodi esse, ut hujus rationem in detractis sequi non possimus. 2. à natura conventionis, Quia jurisdictio Cameræ non simpliciter mandata, sed per viam contractus ultrò citroque obligatorii inter Cæsarem & Ordines Imperii. *Ord. Cam. par. 3. c. 54. ibi:* Solches alles und jedes/ &c. Atqui jurisdictio ex conventione data non cumulativè, sed privativè tributa intelligitur, Schrad. *de feud. part. 10. sect. 2. n. 72. & sect. 1. n. 131. & 135.* Rosenth. *de feud. c. 12. n. 34.* Informatio Donawertensis *part 1. fol. 56.* Auctor des gründlichen Unterrichts/ *fol. 56.* 3. A natura subrogati. Quia subrogatum sapit naturam ejus in cujus locum substituitur, *l. 32. de jur. dot. & l. 18. de eo, quod metus causa, & l. 36. §. 1. de donat. inter vir. & uxor.* & fruitur subrogatum omnib. privilegiis ejus in cujus locum subrogatur, Menoch. *cons. 99. n. 48.* & dicitur fieri subrogati cum omnib. qualitatibus, Bursat. *cons. 302. n. 51.* Atqui Camera subrogata in locum Principis, & dicitur Imperatoris personam repræsentare, Mynl. *obs. 5.*

cent.

cent.4. Schwanm. *pract.ob.25.n.18.* Gail. *obs.29.*
n.2. Hinc vocatur Consistorium *Principis, Ord.*
An.1555.in pr. Ein Ordnung des Käyserlichen
Cammergerichts auffgerichtet ꝛc. *An.1500.tit.*
Ob jemand den Fridebrecheren/ §. Darum *ibi:*
unser Königlich Cammergericht. R. A. zu
Speyer/ *An.1557.in pr.* & paulò pòst, das Käy-
serliche Cammergericht / & plurib. in locis. 4. à
fine institutionis Cameræ. Finis n. Cameræ est, ut
cives Imperii absque ambagib. jus suum celeriùs
consequantur , quàm si magno & temporis &
sumptuũ dispendio aulam Cæsaris sequi cogan-
tur, *Ordin. Cam. Wormat. An.1495.in pr. ibi:* Er-
bar und förderlich Recht *Ord. Regim. Augusta,*
An.1500.in pr. Wir *Maximil. Item in Ordin.*
Regimenti, Worm. An.1521. Item Ord. Cam. Ca-
rol.V. An.1521.in pr. R. A. *Augusta, An.1566.*
§. Nach dem der gemeine Frieden/ ꝛc. Quòd si
autem in omni contentiosâ jurisdict. aulæ Cæsa-
reæ cum Camera esset concursus, nulla esset vel
Cæsari & consiliariis, vel etiam partibus à sum-
ptibus & viæ laboribus sublevatio, sed illud ma-
gis consecuturum videretur, ut Principes & Im-
perii ordines, graviori , quinimò duplici onere
tàm sustentandæ Cameræ, quàm subeundis cre-
bris ex aula emissis delegationibus gravarentur.
5. à vi verborum præcisorum. Daß dem Cam-
mergericht sein freyer / starcker Lauff gelassen
werden solle/ *Ord. Cam. part.2.t.35.& 27.* Schrad.
de feud. part.10. sect.2.n.72. Quia sunt verba im-
peran-

perantia, quæ ejus dicuntur efficaciæ, ut exceptiones omnes & sic omnem præventionem excludant. 6. Quia dicitur summum & ultimum Imperii judicium, *Inform. Donavvert. part. 1. f. 134.* Atqui cùm nec superiorem nec ejusdem potestatis socium habeat, sequitur, non esse aliquod concurrens judicium cum Camerâ. 7. Quia à sententiis judicii Rotweilensis, non ad Imp. sed ad Cameram appellandum est, *Ord. Rotvv. part. 3. t. 17. in pr.* Gail. *l. 1. obs. 119.* R. A. zu Speyer/ *An. 1570.* §. Vnd nach dem daher/ *Ord. Cam. part. 2. tit. 29. in pr.* Quinimò sententias à Commissariis Cæsaris latas Camera exequitur. *Ord. Cam. part. 2. t. 8. §.* Vnd so das Vrtheil/ &c. præjudicia referuntur *à* Gail. *1. obs. 121. n. 3.* Item cùm appellatum à sententia interlocutoria à Commissariis Cæsaris, appellatio in Camera recepta. Tilem. de Benign. *obs. Cam. 8. n. 42.* Ergò Camera vel est Cæsare superior vel par. 8. Quòd in specie violatæ pacis publicæ solumodò fiat mentio concursus Cæsaris cum Camera, *Ord. Cam. part. 2. t. 9. §.* So jemand in verbis: durch die Keys. Majest. Et eodem §. *ibi:* So bald auch der/ &c. §. Vnd ob es sich schon zutrůge & § *seq.* durch die Keyserliche Majest. Et vers. und neben solchem/ &c. & aliis locis quàm plurimis: ineptè verò toties exprimeretur & repeteretur hic casus, si in aliis etiam Imperator cum Camera concurreret. 9. Quia in omnibus causis, quæ vel per viam simplicis

plicis querelæ, vel per viam appellationis ab ordinariis judiciis sub Camerâ constitutis ad Cameram pertinent, solius tantùm Cameræ fit mentio, nusquam verò Cæsaris, quod non fuisset prætermissum, si de reservanda Imperatoris concurrente in omnibus cum Camera jurisdictione voluntas fuisset. 10. Quod quis non possit reservare & retinere sibi, quod nunquam habuit. Cùm non entis nullæ sint qualitates. Atqui solum Imperatorem jurisdictionem Cameræ in sua manu non habuisse constat, quòd ab initio Cameræ judicium sit cum consilio & consensu constitutum, & quòd etiamnum in locum discedentium alii cum consensu Principum & Ordinum substituantur, eorumque salaria à Principibus conjunctim solvantur, ut patet *ex Ord. Cam. tit.* Wie das Cammer-Gericht mit Richteren/ꝛc.

Verùm Imperatorem ordinariam Jurisdictionem, Cameræ non privativè, sed cumulativè concessisse, defendimus hisce rationibus. 1. Quia concessio jurisdictionis privativa est quædam exemptio, quendam concedentis districtui eximens, quæ sanè non magis generali dispositione intercessisse præsumitur, quàm diminutio Regiæ potestatis exinde ebulliens. 2. Quia exemptio jure extraordinario venit, quo Princeps in dubio uti non præsumitur, Heig. *2. q. 40. n. 14.* Hinc eam prætendenti probatio incumbit, Knich. *de jur. Terr. c. 5. n. 153.* 3. Quia omnis potestas publica atque consequenter jurisdictionalis præ-

eminentia, ossibus Imperatoris ita tenaciter inhæret, ut nullo modo & nulla ratione possit ab Imp separari, & licet à summo Principe in omnes Imperii status regalia & dignitates dependeant: non tamen credibile est Principem ita omnes dignitatis fontes derivasse foras, ut nihil penes ipsum remanserit, Knich. *de jur. Territ. c. 1. num.* 318. cùm ille quoad jurisdictionalia & alias potestates sit veluti mare, quod neque augetur, neque minuitur, Paurmeist. *de jurisd. lib. 2. c. 4. n. 23.* 4. Quia concessio cũ translatione omnis Imperii ac potestatis, & cum omni jure accipienda est de similibus expressorum, & exclusivè tantùm quoad tertium non verò quoad ipsum concedentem, Knich. *d. c. 1. num.* 317. *& cap. 2. num.* 11. *& c. 3. num.* 305. *& seqq. tract. de jur. Territor.* Principis siquidem concedentis persona & auctoritas in quibuscunque etiam concessionibus semper intelligitur excepta, Arum. *disp. pand. 2. thes. 2. q. 4.* Knichen. *d. l. c. 3. 5.* Quia omninò contrarium est Regiæ Majestati: ut & Principali dignitati, hominibus sub ejus universali Principatu ac *intra limites* sui territorii *im* Bezirck der Landes-Fürstlichen Obrigkeit existentibus non posse imperare, neque querelas ac rogationes ad eum à quocunque territoriali liberè deferri, Covar. 2. *pract. 4. n. 1. 6.* Quòd concessa jurisdictione non simul veniat territorium, Knich. *c. 1. n. 180. de. jur. territ.* siquidem minus est, data etiam jurisdictione privativè esse exemptum jurisdictioni, quàm esse

esse extra territorium seu districtum, jurisdictionem privativè concedentis, Matth. Steph. 2 *p.* 1. *c.* 7. *num.* 27. Knich. *d. l.* Ad argumenta in contrarium opposita, quod attinet. Resp. Ad 1. Quod causæ Ducatuum & Comitatuum non excipiantur à generali Imperatoris jurisdictione, sed tantùm à concurrente Cameræ concessa jurisdictione. Non ergò Cæsaris universalem, sed Cameræ limitatam juris reddendi potestatem restringunt. Quare cùm exceptio omnis de regula censeatur, & hoc loco causæ Ducatuum, uti dictum est, non excipiantur ab universali Imperatoris jurisdictione, manifestum est, reservationem causarum, Ducatuum & comitatuum, non esse abdicationem cæterorum. Neque negotium nobis facessit argumentum à vi prætensi contractus desumptũ. Negamus enim remissionem ac consensum Cæsaris pro forma judicii Cameræ cum Ordinibus Imperii habitum, de quo tamen plurimi adhuc controvertunt, Paurmeist. *cap.* 5. *num.* 18. *lib.* 2. cum contractu synallactico aliquid habere commune. Et si vel maximè admitteremus per contractum jurisdictionem Cameræ ab Imperio collatam esse, id tamen ad fulciendam contrariam sententiam parùm faceret, cùm hoc sit contra naturam jurisdictionis & potestatem transferentis, uti paulò ante in rationibus decidendi dictum. Ad tertium Resp. Committi in eo fallaciam à dicto secundùm quid ad

dictum simpliciter. Non enim per omnia simpliciter & indefinitè, vel generaliter & universaliter absolutè in omnibus Camera est subrogata, sed tantùm secundùm quid & quidem in favorem Imperatoris, uti antea in initio quæstionis dictum est. Porrò ex repræsentatione & appellatione judicii Cæsaris, nihil aliud colligi potest, quam quòd Imper. concurrat cum ea in jurisdictione, ita ut præventio ultro citroque locum habeat. Ad 4. Negamus omninò concursum jurisdictionis aulicæ cum Camera contrarium inducere effectum. Nam hac ratione expeditiùs & commodiùs cives Imperii jus suum consequi posse, res ipsa ostendit; quia si privativè concessa esset jurisdictio Cameræ, propter multitudinem causarum; lites in Camera essent innumerabiles, cùm verò in arbitrio positum sit, utrubi lites introducere velint, minori quoque sumptu aulæ, quàm Cameræ viciniores litigare possunt. Ad 5. ℞. Quòd vis verborum præcisorum non inducat generalem renunciationem & abdicationem totius jurisdictionis Cæsareæ, sed tantùm avocationem & suspensionem litium impediat, & causarum in Camera inchoatarum impedimentum prohibeat. Ad 6. ℞. Quòd summum dicatur non in comparatione ad aulam Imp. sed in comparatione cum judicio Rotweilensi & aliis Principum, & Ordinum judiciis solemnibus. Ad 7. ℞. Committi in eo fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non n. sequitur permis-

sum

sum est à judicio Cæsareo Rotweilensi appellare ad Cameram. Ergò Camera est Cæsare superior vel par. Ostensum enim est, quicquid Cameræ concessum, id non abdicativè, sed communicativè concessum esse, quod ergò à judicio Rotweilensi ad Cameram appellandum, non fit extinguendæ jurisdictionis Cæsareæ, sed aulæ à multitudine litium sublevandæ causa. Proinde Cameræ executio sententiarum à Commissariis vigore ordinationis datis concessa cumulativè & non privativè intelligenda est, ex fundamentis antea dictis. Quod v. pro octava dubitandi ratione adferebatur, nostram sententiam non remoratur. Satis n. expressè dicuntur, quæ vel à lege, ratione & conjecturis interpretationem sumunt, Socin. *cons.136.n.19.l.1.* Menoch. *de præsumpt.l.3.præsumpt.134.n.36.* Et satis expressè cautum dicitur, in quo eadem ratio reperitur, Bald. *cons.433.in fin.* Quæ n. nexus rationis conjungit, dispositio juris non separat, Dec. *cons.111. n.10.* Etsi n. Imp. Cameræ concursum in causis fractæ pacis nominatim concessit, nihil tamen de juris communis generali dispositione, qua jurisdictio omnis cumulativè non privativè concessa intelligitur, mutavit, sed se cum ea conformare voluisse censetur, Menoch. *consil.357.n.28.* Ad 9. Idem R. quòd videlicet vacanea sit expressio eorum, quæ tacitè insunt dispositioni, Menoch. *cons 922.n.12.* Cùm igitur, ut antea satis demonstratum, ex natura tributæ jurisdictionis, ipso jure con-

re concursus Cæsari cum Camera generaliter reservatus sit, speciali expressione in singulis opus non fuit. Nec omissa dicuntur, quæ sunt expressis similia & eandem habent rationem, Menoch. *cons. 652. n. 28.* Pro cumulativa jurisdictionis concessione ac concurrentia pugnant ex recentioribus, Mynsing. *6. obs. 99. & cons. 94. n. 4.* Gail. *1. obs. 29. n. 3. & obs. 11. num 16.* Hartm. Hartman. *de feud. obs. 43.* Heig. *1. quæst. 9. num. 20. & p. 2. quæst. 25. num. 36.* Menoch. *2. præsumpt. 18. & quæst. arbitr. 1. quæst. 40. & Cent. 6. Cas. 559. num. 2.* Arnis. *de jure majest. lib. 2. c. 2. num. 7.* Paurmeist. *de jurisdict. lib. 2. c. 5.* Mindan. *de process. Cam. extrah. 1. c. 11.*

QVÆST. VIII.

Vtrum Imperator cum Statibus Imperii in eorum territoriis concurrat in jurisdictione?

Quamvis Impp. hinc à tempore Caroli Magni collationes ac investituras provinciarum Imperii Romano-Germanici Ducibus, Principibus ac reliquis Statibus Imperii, quasi hæreditarias factas ratihabuerint, easque sæpiùs renovarint, ut hodiè provinciæ & Imperii bona sint quasi in patrimonio Principum ac Statuum, adeò ut quilibet sit in suo Imperio quasi Monarcha, & tantum possit, quantum Imperator in toto regno, attamen Imperator noster in omnes intra Imperii limites, domicilium foventes, quoad juris-

jurisdictionem, fundatam semper habet intentionem, Knich. *de jur. Territ. cap. 1. num. 187.* Schwanman. *in observ. Cam. 2. num. 6.* Gail. 2. *observ. 44. in fin. & Dd. comm.* Hoc enim est de substantia & forma Imperii cujuscunque, ut, penes quem sit Imperium, individuè eundem sequatur jurisdictio, Paurmeist. *de jurisdict. 1. c. 18. num. 9.* Durante siquidem principali, non potest videri renunciatum esse ei, quod necessariò ab illo dependet, Panorm. *in c. lecta n. 5. de renunc.* In eum omnia regimina Reipubl. translata sunt, Matth. Steph. *p. 1. c. 1. n. 14.* nec quispiam jurisdictionem ipsius declinare valet; Siquidem res in quo statu à principio fuit vel de jure esse debet, tam diu in eo persistere præsumitur, donec probetur alteratio seu mutatio, *l. 22. de probat. l. 11. Fin. regund.* Et Status Imperii etiamnum hodie eodem, quo sibi acquisiverunt titulo, feuda Imperii possident, cùm nemo sibi ipsi titulum & causam suæ possessionis qualificatam mutare possit, proinde Impp. illis collationibus ac investituris, Status Imperii, non extinctionem & plenitudinem potestatis, sed potiùs in partem sollicitudinis & administrationis justitiæ, item in augmentum & firmamentum Imperii assumserunt, quàm ut se potestate jurisdictionali, in provinciis infeudatis abdicare voluerint. Imò potiùs se tantò illustriores ac majores reddere, quantò majoribus præessent, voluerunt, Knich. *de jur. Territ. cap. 1. n. 2.* Siquidem

præeminentia dignitatis ex subditorum dignitate, cognoscatur *d.c.1.n.4.* Hinc in omnib. investiturís imperii clausula salvatoria inseritur. Dem H. Reich und männiglich an seinem Rechten unnachtheilig/ Matth. Steph. *p.1.c.1.* Hinc fidelitas & obedientia Imperatori debita in quolibet juramento ac homagio excepta præsumitur, *c.un.* §. *fin. & ibid. Dd. de prohib. feud. al. per Frid.* 2. F. 55. Idcircò mediatos Imperii, sive testimonii sive litis causa, absque omni juris subsidio ex qualibet provincia Imperii evocare, illisque mandare atque inhibere solet, Steph. *d.c.1.n.2. & 14. & c.3.n.2.* Gail. *1. obs. 98. n.2.* Sic etiam monitoria & bannimenta in territoriis statuum affigi & publicari, citra ullam eorum requisitionem, videmus. Quin imò statur mandatis compulsatoriis sine clausula & interdum quoq; cum comminatione ad sistendum subditos commissariis atque adeò in istorum statuum territoriis, qui gaudent privilegio ab iis in totum non provocandi, adacti sunt, *ut notat.* Matth. Steph. *de jurisd. 2. p.1. c.3.* Ut ita nullo modo dubium, quin Imp. cum Statibus Imperii in jurisdictione concurrat.

QVÆST. IX.

Vtrum totaliter exempti aliquo jure se tueri possint?

Tria esse exemptionum genera ex Paurmeistero *l.2.c.4.* & aliis Politicis constat. Unum genus eorum est, qui se non tantùm quoad onera & con-

& contributiones, verùm etiam superioritatem totaliter & plenariè Imp. Romano exemerunt, de quibus vide Bodin. *l.1. de Repub. c.9. &* Marth. *de jurisdict. p.1. c.26.* Cluten. *Syll. rer. quotid. th.10. & seqq.* Cujus exemptionis exempla aliquot de *Franciâ, Hispaniâ, Italiâ, Daniâ*, &c. supra in thesibus posuimus: quibus, ut hæc exemptio magis innotescat, sequentia breviter addemus. Nam *Venetiarum urbs* antiquitùs etiam Imp. Rom. paruit, uti constat ex Historicis, siquidem Conrad. Bodoarius Dux Venetorum à Conrado Imp. jus signandæ monetæ accepit. Volateran. 4. *Geograph.* Sic Sebastian. Cianus, ornamentis regiis à Barbarossâ sese indui passus est. Contaren. *l.2. de Repub. Venet.* Quòd verò ævo Caroli M. libertatem adepta sit, *refert Carol. Sigon. de Regn. Italiæ, l.4. &* Muscorn. *de jurisdict. n.129.* Cùm ergò privilegiorum concessio jurisdictionem & imperium arguat, sequitur Venetos Imperatorem nostrum comiter observare debere. Imprimis cum & ipsi Veneti negare non possint, multa loca ad sereniſſimam Austriacam Domum pertinentia de facto adhuc se possidere, referente Guicciard. *4. Hist.* Florentia à Carolo M. restaurata Imperatoribus subdita paruit, donec tandem fide denegata libertatem & privilegia 7000. ducatorum elicuerit, Sigon. *de regn. Ital. l.20.* Bodin. 1. *de Republ. c 9.* Lucana civitas libertatem suam omnigenam emit 12000. ducatorum, Sigon. *d. l. ubi similiter, de Cremonâ, Ferrariâ, Mantuâ,*

tuâ, Verronâ, Vincentiâ, Patavio, Bononiâ, Ravennâ, Arminio, Mutinâ, Regio, Parmâ, Placentiâ, Vercellâ & aliis Lombardiæ civitatibus, dicit, Genua princeps Liguriæ urbs similiter excelsam suam potentiam jactat & omnigenam exemptionem & privilegia amplissima, Imperii tamen superioritatem superiori seculo recognovit, Bodin. *1. de Repub. 9. & Cluten. d. l. th. 14. in fin.* Senas & Portugalia occasione Hispaniæ exempta, Guicciard. *l. 3. rer. memorab.* De Mediolano florentissimo Ducatu Carol. V. filium suum Philipp. Regem Hispaniarum investivit, & sic ab Imp. exemit. De Polonis, Ruscis & Suecis nullum potest esse dubium, quin olim Imp. Rom. paruerint. Constat enim ex *Nov. 50.* ab extremâ Scythia appellationes ad Imp. Rom. Curiam devolutas esse. Huc facit, quòd Otto Imp. Duci Poloniæ Boleslao regiam dignitatem contulerit, Carion. *5. Chron.* De Britanniâ constat, quòd à Claudio imperio sit juncta; Suet. *in Claud.* quòd Joannes Angliæ Rex, Franciæ Regis potentiam metuens Regnum Angliæ Innocentio III. feudatarium fecerit, Blond. *l. 6. Dec. 2.* Polyd. Virg. *l. 15. hist. Angl.* Hungaria occasione Papæ, cui à Rege Stephano in clientelam data, Imp. Rom. se exemit, uti constat ex Recess. Imp. *de An.* 1566. §. *Uber voriges ibi:* da doch solche Landschafft/ *& ibi:* daß es nicht unzeitlichen. Sic à Germania de facto ablata est, Borussia & Livonia. De Borussia constat, quod virtute & sanguine Teutoni-

tonicorum Imp. adjecta, & ob id Magistrum Teutonici ordinis habuerit, hodiè verò de facto à Polonis ablata, & mutato rerum statu ex Magistro ordinis Teutonici, Dux Borussiæ factus. Sic etiam de Livonia certum est, quod non tantùm virtute militum Teutonicorum Imp. Rom. adacta, verùm etiam semper paruerit. Ducem Allobrogum, qui hodiè Sabaudiæ Dux dicitur, Imperii feudatarium extitisse, & ab Henrico V. ut fiduciarium, comitum dignitatum aslecutum, ac tandem Ducem, Sigismundi Cæsaris beneficio appellatum, refert Bodin. *l. 1. de Repub. c. 9.* Cluten. *d. l.* Helvetia & Rethia occasione præfectorum ab Austriaca Domo se liberarunt & ab Imp. Rom. non recognoscunt, &c. Alterum exemptionis genus continet illos, qui ratione privilegii, non quidem ab oneribus & contributionibus vel jurisd. Cæsareæ Majestatis vel Imp. Rom. sed à jurisdictione Cameræ eximuntur, & hac ratione *Ducatum Burgundiæ, Hisp. ab Imp. jure fiduciario* recognoscit, cujus etiam intuitu sub tutela & membris Sacri Romani Imperii comprehensus est, & in Comitiis sessionem ac votum habet, & proinde oneri contributionum adeò obnoxius est, ut per Fiscalem contra eum procedi possit, Gail. *de Arrest. cap. 6. num. 15.* P. Frider. Mind. *de processib. lib. 1. cap. 38. num. 5.* A Camera tamen omninò exemptus, R. A. zu Augspurg / *de Anno* 1548. Sic Dux Lotharingiæ privilegio Imperat. Cameræ

Cameræ judicio exemptus: onerum tamen Imperii particeps: Comitiis etiam atque consiliis Imperialibus, non minus atque alii Principes, interest. Sic Dux Saxon. Elector & Marchio Brandenburgensis Elector judicio Cameræ exempti sunt. Item Archiduces Austriæ ex Caroli quarti Viennæ Anno 1366. & Sigismundi Pragæ de Anno 1437. concessâ immunitate & præcipuè Caroli V. Augustæ 1530. confirmatione judicio Cameræ eximuntur. Si tamen Elector Saxon. & Brandeb. Dux Lotharing. & Archiduces Austriæ, vel ipsi, vel eorum subditi pacem publicam violarent, conveniri in Camera possunt; Sola domus Burgundica hac etiam specie libera est *Cluten. d. l.* Tertium exemptionis genus continet illos, qui mediante alio Imperii statu Rom. Imp. subjiciuntur: Quemadmodum per totam Germaniam multi inveniuntur, & Comites & Barones item & civitates, qui quæve, quamvis feuda dignitatum & nobilia ab Imp. recognoscant, adeoque inter Status & ordines Imp. referantur; tamen quia in aliorum Principum provinciis dominia & domicilia sua habent, ratione territorii & districtus pro Landsassiis Principum indubitatè, & haberi & teneri possunt, utpote in Austria, Bavariâ, Saxoniâ, Marchia, Hassia, &c. R. A. zu Augspurg/ de Anno 1548. §. Wiewol auch/ & §. Auch der Graff von Tübingen halben/ R. A. de Anno 1584. Schwanman/ *decis.* 10. *n.* 26.

Verùm

Verùm cùm hæc posteriora duo genera Imperii dignitatem non minuant, ideo tantùm de totaliter exemptis quæstio hoc loco instituitur, utrum jure aliquo se tueri possint. Et quamvis adversarii hic multa nobis opponant, de plenaria concessione jurisdictionis, item de titulo donationis & venditionis, uti & præscriptionis: nihil tamen hæ objectiones nobis obstant. Nam non posse talia ex jure Romano decidi, supra etiam traditum est. Et quamvis quibusdam provinciæ & ditiones per vim contractus vel privilegii essent concessæ, id tamen fieri non potuisset abdicativè & privativè, præsertim cùm provinciæ & jurisdictio provinciarum etiam tunc temporis non fuerit in commercio Imp. sed Reipubl. Romanæ patrimonio, nam ita Imperator præesse & consulere Imperio debebat, ut non tantùm ejus utilitas incorrupta persistat, sed etiam per ipsum Imp. Rom. amplificetur & augeatur, *l. 2. §. 11. ib. Reipubl. consuli, de Orig. juris.* Hinc instar Tutoris subjectorum commoda quærere tenetur, *l. Tutor. 27. ff. de administr. & & pericul. tut.* Unde etiam Augustus vocatur, cùm ergò provinciæ & jurisdictiones provinciarum non sint propriæ Imperatoris, *c. non liceat, 12. q. 2. c. intellecto ubi Abb. de jurejur. & Bald. in d. c. intellecto de jurejur.* Sequitur Imp. non potuisse in præjudicium Imp. Rom. alienare. Ubi similiter & hoc considerandum venit, quòd in omni concessione superioritas censeatur semper refer-

reservata, uti id ipsum pluribus testimoniis probat, Arnold. Engelb. *disq. de jurisd. Imp. th. 170.* Quòd verò præscriptio contra Imperium nullo modo currat, probat inter alios, Modest. Pistor. *cons. 4. n. 28. vol. 1.* Cùm ergò potestas suprema & summa tantùm una, sicuti & gladius temporalis respectu originis tantùm unus & indivisibilis, & Christus mandavit, ut omnis caro sit subdita Cæsari, & ea tribuat Cæsari, quæ sunt Cæsaris. concludimus totaliter exemptos Imperatorem nostrum ut superiorem omni jure recognoscere debere.

QVÆST. X.

Vtrum à S. Cæsarea Majestate malè informatâ ad eandem melius informandam provocandum?

Antea dictum est simpliciter & regulariter ab Imperatore appellari non posse propterea, quòd id non tantùm iniquum, verùm etiam stultum *per l. 1. §. 1. A quibus appell. non licet.* Hinc ergò non incommodè quæritur, utrum eo casu, quo Imp. ad relatoris iniquitatem, altera parte non sufficienter auditâ & causâ legitimè discussa, sententiam tulerit, provocari ad eundem Imper. meliùs informandum licitè possit. In qua quæstione cum Gailio *l. 1. obs. ult. in fin.* multi contrariũ tenent. Verùm cùm & præjudicia hoc in casu habeamus plurima, ex quibus quæstio liquidò probari posset, (*Constat n. ut recentiora*

omit.

omittamus, Duces Luneb. & Dn. Wigandum E. piscopum Pabebergens. à Carolo V. malè informato, contra Albertum Marchionem, usos esse, quod prejudicium An. 1557. typis excusum, etiamnum habetur. Et proinde hoc dogma receptissima Dd. sententia nitatur, ut ex recentioribus. *Obr. Heig. Rul. Steph. Reut. Paurm. Gylm. Bod. Arnis. Romanus, &c.* idipsum amplexi sint, non dubitamus illis calculum nostrum addere. Et quamvis in contrarium, opponi possit 1. Quia à Regibus & Principibus quibusdam inferioribus non appelletur. Ergò multò minùs à Cæsare, *per l. 1. §. 1 ff. à quibus appellare non licet, & l. 1. C. de sent. præf. præt. & l. 5. & auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imp. offer.* 2. Quòd appellationes debeant fieri gradatim ab inferiore ad superiorem, & Imp. superiorem non habeat. 3. Quòd appellans arguat iniquitatem. 4. Quòd à Papa malè informato ad eundem meliùs informandum non appelletur. 5. Quòd à Cameræ sententiis, tanquam à judicibus malè informatis non appelletur. Sed resp. ad singula & quidem sententiam Gailii, quod attinet, sciendum, causa legitimè cognita & partibus sufficienter auditis minùs rectè dici Imperatorem malè informatũ, ideoq; sic appellationẽ non procedere rectè tradidit Gail. aliud ergò est, si allegetur & fides etiam fieri possit, eum malè informatum esse. Ad rationem 1. quod attinet Resp. id esse desumptum à separatis. Non enim hoc loco de appellatione regulari, sed irregulari

disce-

disceptatio est, de qua nostra quæstio rectè affirmativè cõcludit. Ad 2. Rx. Quòd similiter sit à disparatis, & quòd major non indistinctè vera. Ad 3. Rx. Quòd hoc casu tantùm agatur de iniquitate Relatoris. Ad 4. resp. Quòd contrarium verum & latè probatum per Ludov. Romanum *consil. 521. per tot.* Siquidem Concilium Oecumenicum supra Papam est. Ad 5. Rx. Ideò in Camera non admitti, quòd causæ per viam appellationis ad Cameram devolvantur, & hac ratione allegatio judicis malè informati impertinens sit.

COROLLARIORUM LOCO à Respondente additum.

1. *Jurisdictionis vocabulum etiam criminalem Jurisdictionem sub se comprehendere colligitur,* 1. ex l. 2. §. & quia 23. ff. de Origin. jur. *Ubi Pomponius* de capite *inquit*, cives Romani, non erat permissum consulibus injussu populi jus dicere. *Unde ex contrario sensu (quod genus argumentandi in jure firmum est, & pro expressâ lege habetur,* per gloss. in l. 20. §. mulier, ff. qui testam. fac. possunt. *Consulibus de capite civis Romani consensu populi, jus dicere permissum fuisse, & de capite non civis Rom. etiam injussu populi jus dicere potuisse certum est. Jus verò dicere, & Jurisdictio conjugata sunt,* Georg. Obrecht. in tr. de Jurisdict. l. 1. c. 2. n. 12. *Deinde confirmat hanc sententiam & Cassiodori historia,* quæ libr. 6. variar. formul. in form. Conf. *Sic habet, jus dicebat etiam capiti, sed tutò ei concessa fuit potestas necis, quia fuerat autor salutis.* 2. Cri-

2. *Crimen læsæ majestatis, non adversus Imperatorem tantùm, sed & consiliarios sive senatores ejus committi dilucidè probatur* ex l. quisquis, 5. in pr. C. ad L. Juliam Majest. *Licet n. quidam*, ut Menoch. consil. 99. n. 9. Wes. cons. 57. n. 6. & alii *distinguant, utrum illud crimen, in odium & cõtumeliam Princ. directum, an ob privatum aliquod in consiliarios odium fiat: tamen lege generaliter loquente, nec distinguente, & nos distinguere non debemus*, l. 8. ff. de publ. in rem act. & notante Harprechto in tr. crim. ad §. publica autem, 3. Instit. de Publ. Judic. pag. m. 640.

DISPVTATIO IX.

DE MEMBRIS AC STATIBVS UNIVERSÆ AC SVMMÆ REIPUBL. ROMANÆ.

Resp. *Heinrico von Weinber/ Nob. Borusso.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

AB universæ ac summæ Reipubl. Romanæ capite, ad ejus membra & status recto progrediemur ordine. Et quia membra seu Status Imperii Romani in tres distribuuntur ordines, utpote in Electores, Principes, & civitates liberas, *ideoque de illis tribus ordinibus hâc disputatione breviter videbimus.*

Thesis I.

1. Vocamus autem status Imperii eos, qui Cæsaris & communi procerum Imperii consensu, in

album sive matricem aut matriculam Imperii recipiuntur, & votum & sessionem in comitiis habent. *Vide* Gail. 1. *obs.* 21. *n.* 2.

2. Ut ergò aliquis sit Status Imperii Rom. non tantùm requiritur, ut sit immatriculatus, in des H. Röm. Reichs Matricul / verùm etiam, daß er ein Stim̃e und Stand in der Reichs-Versamlung habe. Hinc sequitur eum, qui ad Comitia, uti dictum, non vocatur, quamvis immediate Imp. Romano subjectus & immatriculatus sit, non esse propriè statum Imp. Rom. nominandum. Exemplo tibi sunt Nobiles in Franconia, & Suevia, & tractu Rheni die freye Ritterschafft. Et hinc etiam fit discrimen inter immediatè subjectos & Status Imperii in recessibus Imp. *utpote* R. A. *de Anno* 1564. §. Und wollen wir / *ib.* gegen denen / so nicht Stände / jedoch dem H. Römischen Reich immediatè unterworffen.

3. Et quamvis Gail. *dict. observ.* 21. alia duo requisita statuum Romani Imperii addat, *scilicet* ut collectas Imperio Romano immediatè pro rata sua solvant, & territorium cum omnimoda jurisdictione & regalibus à vel sub Imperio possideant; non tamen præcisè semper Statum Imp. efficiunt. Nam fit, ut aliquis ratione onerum & contributionum ex certo privilegio vel etiam præscriptione omninò sit exemptus, item, quòd nullum territorium vel bona ab Imp. habeat, vel etiam quædam bona in districtu alicujus Principis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0460
DFG

pis possideat; & tamen Status Imperii & sit & maneat. Hinc sequitur hæc duo requisita non præcisè demonstrare Imperii Rom. Statũ. Quòd si verò in demonstratione adsint, fortiùs Statum Imp. demonstrant. *Vide* Gail. *d. obs. 21. n. 9.*

4. Porrò dividuntur status sive proceres Imperii ratione territoriorum in certos districtus seu circulos, & ratione dignitatum in certos ordines seu classes.

5. Ratione territoriorum status Imper. dividuntur in circulos, de quib. vide R. A. zu Nürnberg *de An.* 1522. der Oesterreichische: der Burgundische: der vier Churfürsten am Rhein der Obersächsische: der Franckische: der Beyerische: der Schwäbische: der Rheinische: der Westphälische: der Nidersächsische Kreyß/ qui X. circuli ratione Cameræ in 6. contrahuntur, *uti videre est in part. 2. t. 2. Ordin. Cam.*

6. Ratione dignitatis, uti in proœmio dictum, dividuntur status Imperii, in tres classes. Prima classis est Electorum: secunda est Principum, Comitum & Baronum: Tertia est liberarum civitatum.

7. Proximum ergò post Imperatorem & Regem Romanorum glorioſissimum Collegium Septemvirorum, Imperii Romano-Germanici Principum Electorum, qui eligendi Cæsaris Romani potestatem & auctoritatem habent, non immeritò occupat locum: Sunt enim Electores

Principales Imperii Columnæ & præcipuâ dignitate pollent: hinc rectè *in Aur. Bull. t. 2. §.* Und wiewol / vocantur die allernächste Glieder des H. Röm. Reichs. Item nobilia Imperii fulcra & proceres, sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ pietate sustinentes, *A.B. tit. 3. in pr.* Hinc non immeritò Regibus æquiparantur.

8. Septemviri alio nomine appellantur à septenario numero, quem complent. Sunt n. tres Antistites sive Archiepiscopi & quatuor Principes Germaniæ: ex quibus Moguntinus appellatur Cancellarius Germaniæ: Colonienſis Italiæ, Trevirenſis Galliæ & Arelati, Rex Bohemiæ Pincerna: Palatinus Dapifer: Saxo Ensifer, Brandeburgicus Camerarius.

9. Septenarius numerus ita fortassis adsumptus, quia semper habitus est perfectissimus & sacer, Azo *in sum. C. de vet. jur. enucl. n. 6. & seq.* Vincent. Carot. *de com. opin. l. 1. t. 3. ubi ex sacris, naturalibus & humanis id evincit, & inter alia septem etiam Electores adducit.*

10. Ecclesiastici verò & Politici ideò, ut illi, quibus ad Imperatoriam dignitatem adspirare non licet, *A.B t. 2.* hos, ne alter alterius voto, ad tantum Imperii decus temerè adspiraret, in officio retinere possent. Julius Pflug. *in orat. de stat. Germ.* Præterea ut non solùm essent tres viri doctissimi, sed etiam. 4. Duces bellicosissimi, quo Imperatoria majestas & Legibus armata, & armis decorata tantò clariùs illucesceret. Denique ut Ec-

ut Ecclesiastici Imperatori suis consiliis scilicet Moguntinus, per Germaniam, Trevirensis, per Galliam, Colonienſis, per Italiam subvenirent, & ita eidem 4. illi Politici suis officiis aulicis inservirent, *A B t. 4.* §. Darnach) wann man.

11. De Ecclesiasticis ideoque notandum. 1. quòd non sint tantùm clerici & merè privati, sed ex Apologia Aug. Conf. *sub tit. de potest. Eccles.* Principes Imperii & per investituras Cæsareas pares curiæ facti. 2. Quòd respectu duarum qualitatum, duplicem personam repræsentent, propterea, quòd isti diversi respectus non considerentur secundùm idem & idem, sed secundùm aliud & aliud. 3. Quòd territorium non habeant, ut Ecclesiastici, sed ut Principes, Steph. *de jurisd. lib. 4. c. 2. n. 51.* 4. Quòd longè alius status sit hodiè, quam in primitiva Ecclesia Arum. *ad A.B. discurs. 3. concl. 8.*

12. Primum a. locum inter Ecclesiasticos occupat Moguntinus, qui ob id, uti antea dictum, tanquam Cancellarius Germaniæ Collegii Decanus est, & vacante Imperio jus convocandi habet. Secundum locum occupat Trevirensis, cui *ex Constit. A. B. tit. 4.* primum votum fuit, quamvis id hodiè immutatum animadvertimus. Tertium locum occupat Colonienſis cui officium primum diadema Regi Roman. imponendi *d. t. 3. A.B.*

13. Inter Politicos Electores meritò primus locus attribuitur Electori Bohemiæ, qui non

tantùm Elector, verùm etiam Rex. Nam quamvis cæteri Electores Regibus comparentur, non tamen comparatum comparato est idem, sed tantum simile, Arum. *d. l. disp. 3. concl. 11.*

14. Præterea & hoc Rex Bohemiæ præ reliquis Electoribus habet peculiare, quòd ab oneribus & contributionibus necessariis immunis sit, & ad Comitia universalia comparere necessariò non teneatur. Nam quamvis Carolus Magnus, & deinde Henricus Auceps Bohemiæ Duces Imperio tributarios fecerint Krantz. *libr. 6. Vandal. cap. 6.* tributum tamen Fridericus II. ad petitionem Primislai remisit. Dubr. *libr. 15. hist. Boh.* ita ut liberè illis, sine ullâ tributi exactione regnare licuerit. Clut. *Syll. rer. quotid. th. 24. in fin.*

15. Secundus inter Electores Politicos locus attribuitur Comiti Palatino: qui inter alios hoc decore privilegii cohonestatus, ut sit judex Cæsaris. *A. B. in fin. t. 5.* Quòd non ita intelligendum, quasi Imp. noster esset vasallus Electoris Palatini, sed quòd hoc modo in constitutione Carolina sancitum inveniatur; Ipse igitur Cæsar de sua causa Comitem Palatinum Electorem, tanquam Imp. Palatii judicem constitutum judicare jubet. Idque jure civili receptum, eoque utimur, ut si quis major vel æqualis subjiciat se jurisdictioni alterius, posse ei & adversus eum jus dici, *l. 14. de jurisd.* Pari modo Rex Bohemiæ respectu Silesiæ subiicitur judicio Uratislavienſi & respectu Ducatus Glogovienſis paribus Curiæ

istius

istius Ducatus, Schrad. *part. 10. defend. s. 1. n. 53.* Sic Electores Saxon. coram suprema sua Lipsiensi curia Electorali sese conveniri patiuntur. Archiduces Austriæ, cùm sint immunes à jurisdictione, ortis controversiis, aliquem è suis Vasallis judicem constituunt, coram quo conveniantur & jus accipiant, Cuspin. *in Austriac. p. 37.*

16. Verum illud judiciũ non in Palatinatu, sed in ipsius Imperatoris curia' institui debet, A. B. *t. 5. insin.* Exẽpla hujus judicii rariſſima sunt & præter Adolphi & Alberti nulla, Buxt. *in A. B. thes. 79*

17. Præterea & hoc Palatinus & Elector Saxoniæ (qui tertium locum inter Politicos Electores occupat) præ cæteris Electorib. habent, quod vacante Imperio possint pleno jure exercere judicia, præsentare ad beneficia Ecclesiastica, colligere reditus, investire de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine Imperii recipere, feudis Principum duntaxat exceptis & illis, quæ vulgò Fahnlehn vocantur, quorum investitura & collatio soli Imperatori reservata est, Vasq. *illustr. quæst. l. 1. c. 22.* Schrad. *part. 10. defend. sect. 1. n. 1. 74. Buxtorff. in* A. B. *thes. 69.* R. A. zu Wormbs *de Anno* 1521. ob auch sach.

18. Ultimum inter Electores habet Marchio Brandeburgensis, S. Rom. Imp. Archicamerarius & fisci præfectus, cujus insigne est sceptrum, quod in argumentum gubernationis Imperatori, quando coronatur præfert.

19. Præterea & hoc annotandum quòd Elec-

ctoribus Ecclesiasticis & secularibus data sit prærogativa, ut in actibus ad ipsam curiam spectantibus, nullus alius Princeps, cujuscunque etiam status, dignitatis, vel conditionis sit, ipsis ullatenus anteferatur; addito & hoc, quod Rex Bohemiæ quemcunque alium Regem in dictis actibus antecedere debeat, Buxtorff. in *A.B. th. 84.*

20. Porrò concessum est Electoribus & hoc, ut absque specialis veniæ impetratione pro salute & incolumitate Imperii singulis annis conventum agere possint, *A.B. t. 12.* Id quod in hodiernum usque diem jugiter servatum extitit. Idemq; PP. Elect. in capitulatione sibi ab Impp. stipulari, Imperatoresque hisce formalibus promittere solent: Wir lassen auch zu / daß die sechs Churfürsten jezu Zeiten / nach Vermöge der gülden Bullen und ihrer Gerechtigkeit / des H. Reichs / zu ihrer Nohtdurfft / auch so sie beschwerlich Obligen haben / zusammen kommen mögen / dasselbige zu bedencken und zu berahtschlagen / daß wir auch nicht verhinderen / noch irren / und deßhalben kein Vngnade oder Widerwillen / gegen ihnen samptlich noch sonderlich schöpffen oder empfahen / uns in dē und andern der gülden Bullen Gemäß gnädiglich unverweißlich halten sollen und wollē.

21. Quòd a. post mortem Cæsaris & vacante Imperio, Electori Moguntino electionem intimandi & Comitia indicendi potestas constitutione Carolinâ data sit, minimè ambiguitur, an verò

verò idem quoque liceat superstite Imperatore, ut autumat Onuph. Panv. *de comit. tit. 7.* graviter patrum nostrorum memoriâ in electione Ferdinandi Imper. controversum fuit. Et quòd non liceat, arguit interlocutio Joan. Electoris & Ducis Saxoniæ, qui misso filio Joanne Friderico ad conventum Colonienſem, Moguntino Electori, antequam rem cum iis communicasset, integrum non fuisse contẽdebat, quæ res transactione Spirensi *An. 1544.* tandem sopita est, & in triste atque funestum bellum abiit, Arum. *Comm. A. B. q. 11. Et tantum de prima classe.*

22. Secunda classis continet *Principes Imperii.* Sunt a. duplices *Ecclesiastici & Politici.* Antequam ergò ad Principes politicos transitum instituamus, præterire non possumus, magnam veterum Impp. devotionem, quæ tanta fuit, ut sine Sacerdotibus & Episcopis nihil magnum feliciter se absolvere sperarent, & ita demum rectè omnia processura crederent, si religionis Antistites suis consiliis præsentes, & tanquam directores haberent. Hinc magna Classis Episcoporum & Canonicorum etiamnum in Imperio nostro conspicitur.

23. Et sicut domus Romula septena in collibus templa habuit, ita in Germaniâ septem ædes sacras & primarias, seu Metropolitanas, ut vocant, prisci Impp. constituerunt.

24. Sunt ergò præter Electores Ecclesiasticos, adhuc IV. Archiepiscopi, utpote: Magdeburgum,

burgum, Salisburgum, Brema, Riga, vel ut quidam volunt, Vesontinum.

25. Moguntiæ subjecti Episcopatus ceu Ecclesiæ suffraganeæ numerantur hæ: 1. Würciburgũ alias Herbipolis. 2. Wormatia. 3. Spira. 4. Argentina. 5. Augusta. 6. Aichstadium. 7. Curia. 8. Constantina. 9. Hildesia. 10. Werda. 11. Padeborna. 12. Halberstadium.

26. Coloniæ subjecti Episcopatus: 1. Monasterium. 2. Trajectum. 3. Leodinum. 4. Minda. 5. Osnaburga.

27. Treviri subjecti Episcopatus: 1. Metis. 2. Tullum. 3. Verodunum.

28. Magdeburgo, cui primatus & suprema jurisdictio in omnes Germaniæ Archiepiscopos ab Othone I. Imp. fuit commissa, subjecti Episcopatus. 1. Mersburgum. 2. Naumburgum. 3. Brandeburgum. 4. Havelspurgum. 5. Misniæ.

29. Salisburgo: 1. Tridentum. 2. Brixia. 3. Passavium. 4. Frisinga. 5. Vienna. 6. Seccovia. 7. Geritia. 8. Laventinum. 9. Chiema. 10. Ratisbon.

30. Bremæ: 1. Lubeca. 2. Suerinum. 3. Lebussa. 4. Slesvicum. 5. Megapolis. 6. Raceburgum. 7. Hamburgum.

31. Rigæ: 1. Revalia. 2. Curia. 3. Upsalia. 4. Atrebatum.

32. Archiepiscopis annumeratur Magister ordinis Teutonici, qui in dignitate major est Episcopo & in Comitiis Imperii Episcopos præcedit, R. A. zu Augspurg / 1528. *in Catalogo subscriptorum.* 33. Simi-

33. Simili ratione Papeberga sive Bamberga, quæ olim Moguntiæ subjecta, hodiè ab omni jurisdictione libera, ein frey Keyserlich Stifft/ omnes alios Episcopos in dignitate præcedit.

34. Præterea est & Archiepiscopatus Pragæ, cui Olumuncia & Uratislav. subest, sed ad Comitia non vocantur, neq; locũ habent in matricula.

35. Sic Episcopis Germaniæ annumerantur: Basilea, Camaracum: Sedunum: Lusanan. &c.

36. Verùm quorum hoc tempore in Comitiis locum habent, hoc ordine à Paurmeist. & aliis, recensentur: 1. Bambergensis. 2. Würtzburgensis. 3. Wormatiensis. 4. Spirensis. 5. Strasburgensis. 6. Aichstadiensis. 7. Augustanus. 8. Constantiensis. 9. Hildesheimensis. 10. Padebornensis. 11. Verdensis. 12. Halberstadensis. 13. Monasterienſis. 14. Osnabrugensis. 15. Passaviensis. 16. Freisingensis. 17. Basilienſis. 18. Ratisbonensis. 19. Mindensis. 20. Lubecensis. 21. Verduensis. 22. Cameracensis. 23. Metensis. 24. Tulliensis. 25. Leodicensis. 26. Tridentinus. 27. Brixiensis.

37. *Hisce ex* veteri prælatorum ordine adscripti sunt 1. Magister ordinis Equitum Teutonicorum seu Marianorum. 2. Abbas Fuldensis, Augustæ Archicancell. & Germaniæ primâs. 3. Abbas Hirsfeldensis. 4. Abbas Murbacensis. 5. Abbas Campidunensis. 6. Magister ordinis Equitũ Divo Joanni sacrorũ. 7. Præpositus Elbangensis. 8. Præpositus & Archipresb. Berchtelsgadensis, Abbas olim vocatus decreto Spirensi,

Anno

Anno 1529. 9. Abbas Corbeiensis. 10. Abbas Brumensis 11. Abbas Stabulensis.

38. Vocabulum Principis quod attinet, quamvis olim Imperatori tantùm hoc nomen competebat, uti hic tantùm in legib. Rom. ea appellatione denotatur, *l. 13. ff. de LL. l. 1. ff. de Const. Princ. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. cum similibus.* Sic in libris feudorum, *c. 1. de natur. feud. 1. F. 7. c. 1. quis Dic. Dux. 2. F. 10. &c.* tamen tandem eo ventum est, ut & Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravii, & similes majorem regalem dignitatem habentes, generaliter Principes vocentur, idque fit expresse à Friderico primo in jure feudali, *c. in pr. in verb. à princip. Italicis. de prohib feud. alien. per Frid. 2 F. 55. & passim à Carol. IV. in A. B.* In specie tamen alius alio titulo, vel Electoris, vel Archiducis, vel Ducis, alius Marchionis, alius Comitis provincialis, alius Burggravii insignitur. Sunt tamen qui alterius specialis dignitatis nomen non habent, sed tantùm Principes nuncupantur, ut sunt *Anhaltini*, qui neque Duces, neque Comites, neque Marchiones, sed tantùm Principes Anhaltini, Fürsten von Anhalt nuncupantur. Sunt præterea & alii in Imperio Principes, qui ratione Principatus sive Fürstenthums/titulum habent, eoque etiam inter Ducatus aliarumvè dignitatum regalium titulos, utuntur, ut apparet ex titulis Illustrissimorum & Celsissimorum Principum Marchionum Brandeburgensium, Ducum Pomeraniæ & Megapoli-

politanorum. Sic Dux Sabaudiæ, respectu Pedemontanæ regionis est, & dicitur Princeps Pedemontium. Sic Dux Ferrariæ, Princeps Carpii.

39. Non a. hæc nomina Ducum, Marchionum, Comitum, &c. sunt nomina muneris & administrationis, ut olim, sed Patrimonii. Sunt enim Principes & Status Imperii investiti de Ducatibus, Marchionatibus, Landgraviatibus, cum omnibus pertinentiis, nec non jurib. superioritatis, mit aller Lands-Fürstlichen Obrigkeit und Hochheit. Et hinc est, quod vulgò dicitur: Principes in suis territoriis tantùm posse, quantum Imp. in Imperio, &c.

40. Verùm sereniſſimi & potentiſſimi Archiduces Austriæ ex privilegio concesso, primas post Electores tenent & proximam à dextrâ eorum sessionem habent.

41. Originem hæc dignitas sumpsit à Rudolpho I. Habspurgensi. Is enim Austria legitimo hærede destituta, eandem filio suo Alberto & quidem sub titulo Archiducatus contulit.

42. Et quamvis fuerint, qui suum Ducatum in Archiducatum evehi & Archiduces nominari voluerint; tamen hoc apud Imper. obtinere non potuerunt, Chass. *de glor. mundi par. 5. consid. 44. v. audivi alios.* Hoc ergo nomen tantùm in Germania usurpatur, nec ulli alii, quàm Austriæ Duces, antea ita appellati fuerunt nec postea tales extiterunt, Cluten. *d. l. th. 25.*

43. Sunt autem Archiducum Austriæ hodiè duæ

duæ familiæ, una à Ferdinando, quæ propriè Austriaca; Altera à Carol. V. quæ Burgundica appellatur, & à qua hodierni Reges Hispaniar. ortum habent.

44. Varia proinde privilegia Archiduces Austriæ ab Impp. obtinuerunt. Nam partim ab Electorib. in privilegiis pares sunt, partim eos longè superant. Nam nova vectigalia propria auctoritate instituere, & non solùm Nobiles, verùm etiam Comites & Barones creare, iisque insignia dare possunt. Item famam restituere, spurios legitimare, omnesque concessis dignitatibus abutentes rursum privare possunt. Et quod maximum est, non tenentur extra Provinciam investituram petere, & cùm alii quàm humiliter & devotè, nudato capite, depositis calcaribus, & flexis genibus, investituram petant, illi tecto capite, insidentes Equo investituram accipiunt, Privil. hoc extat verbotenus *in Cosmogr.* Sebast. Münsteri *l. 2. c 399. fol. nov. edit. 974. 975. & seq. ex parte etiam apud* Gylman. *ver. in Cam. judicat. l. 2. decis. 54. n. 59.*

45. Ducis vocabulum ab exercitus Romani Ducibus originem sumsit, Zal. *de feud. p. 5. n. 6.* Unde etiam Herzoge/ quasi Domini & Duces, exercitus ein Herr des Zuges. Postea verò Duces appellati sunt, qui de Ducatu à Principibus Rom. Imp. sunt investiti. In Anglia adhuc tituli Ducatus, & Comitatus etiam sine locorum possessione dari consueverunt, ita tamen, ut quotannis

nis exvectialibus regis certa pecuniæ ſumma iis conſtituatur, Tholoſan. *lib. 6. de Repub, 7.* Et hodie in Hiſpania dignitas Ducalis ad hæredes non tranſit niſi denuò per Regem renovetur, Ludov. Molin. *de Hiſp. primog. lib. 1. c. 11. n. 20.*

46. Comites Palatini à Palatio ſeu ſede Imperatorum dicuntur. Sunt enim Palatia ædes Imperatori conſecratæ, *l. un.* C. *de Palat.* vel nuncupatur Palatium Aula Cæſaris. *l. 3. C. de privil. eorum, qui in ſacr. palat. milit. l. ab omnibus* C. *Theodoſ. eodem.* A Palatio ideoque Imperatoris, Comites Palatini appellationem ſuam habent. In Germania Comites Palatini qui ad Rhenum ſunt, non tantùm ſunt Principes, verùm etiam Electores, & quidem excepto Rege Bohemiæ primas inter politicos Electores tenent. Longè alia ratio eſt eorum Comitum Palatinorum, quibus data eſt poteſtas creandi notarios, famæ & honoribus reſtituendi, vel etiam ſpurios legitimandi & plura alia, quæ non ſunt hujus loci. Quibus omnibus impropriè & abuſivè hoc nomen competit.

47. Marchiones ex eo dicuntur, quod finibus Romani Imperii tuendis præfecti eſſent. Marcha enim idiomate Teutonico, nihil eſt aliud, quàm miles, unde Germanicum Marck/gemarkünge/Marckſtein & Marckſcheiden. Inde Marchio ein Marckgraffe. Dux limitaneus. Olim dicti ſunt Marchenſes, ex quo Itali Marcheſe, & Galli Marquis ſuũ fecerunt Cluten. d. l.

48. Land-

48. Landgravii olim erant judices totius alicujus provinciæ, inde etiam provinciarum comites dicti.

49. Et quamvis olim & Marchiones & Landgravii ex numero Comitum fuerint, hodiè tamen Marchionatus & Landgraviatus dignitas non minor, quam Ducatus, Heig. *p. 1. q. 1. n. 55. 56.*

50. Duodeveginti Principum Germ. familiæ hodiè enumerantur: 1. Est Archiducum Austriæ, quorum, uti dictum est, duæ sunt lineæ, Austriaca & Burgundica. 2. Ducum Bavariæ, in duas itidem lineas distincta, quarum una communi nomine Bavarica, altera Palatina nuncupatur. 3. Est Ducum Saxoniæ, Marchionum Misniæ & Landgraviorum Thuringiæ cujus lineæ sunt hodiè, Electoralis, Coburgica, Isnacensis, Aldenburgica & Vinarienſis. 4. Est Marchionum Brandeburgensium, quæ constat Electorali, Anspacensi, Culmbacensi. 5. Est Ducum Brunswicensium & Luneburgensium, quarum hæc alia Cellensis, alia Dannebergica, alia Harburgica. 6. Ducum Juliacensium nuper extincta 7. Ducum Pomeraniæ. 8. Ducum Megapolitanorum. 9. Ducum Würtenbergensiũ. 10. Landgraviorum Hassiæ, Cassellana & Darmstadiana. 11. Marchionum Badensium 12. Ducum inferioris Saxoniæ seu Lavenburgensium. 13. Ducum Holsatiæ, à quibus Reges Daniæ, & est linea Gottorpica & Sunderborgica. 14. Landgraviorum Leuch-

Leuchtenbergensium. 15. Ducum Sabaudiæ. 16. Principum Anhaltinorum. 17. Ducum Lotharingiæ. 18. Comitum Arnbergiorum à D. Max. II. inter Imperii Principes susceptorum. Quibus hodiè, & Ratzivilii adduntur, nec non ii Comites, qui principali dignitate & gradu sunt decorati, ut sunt Habspurgensis, Tirolensis, Hennebergensis, Mompelgardicus, Gottzensis, Mansfeldensis, &c. de quibus R. A. zu Regenspurg/ *de Anno* 1576. §. Nach dem auch. Hic verbo Fürstenmässige in actis Imperii comprehenduntur. Camergerichts Ordnung zu Worms/ *An.* 1495. *tit.* Wie Churfürsten/ Fürsten und Fürstenmässige/ &c. & *tit.* wie Prälaten/ &c. Cammergerichts Ordnung zu Augspurg/ Anno 1500. Bürger und Bauren/ &c. Erneuerte Cammergerichts Ordnung/ de An. 1548. & 1555. *part.* 2. *t.* 2. 3. *&c.* Quando verò hujusmodi vocis nulla fit mentio, verbo Fürsten/ etiam unà cum aliis Principibus in constitut. ac Recessibus Imp. die Fürstenmässige continentur.

51. Comites dicti sunt à comitando vel sequendo, *Ulp. in l.* 15. §. 16. *ff. de injur.* Hinc Comites dicti sunt, qui Proconsules & Præsides in provinciam euntes & legatos Cæsaris tanquam publicorum negotiorum consortes & administri, comitabantur *l.* 16. *ff. de off. præsid. & l.* 41. §. 2. *ff. de Excus. tut:* Et quia aliis etiam officiis & muneribus hoc nomẽ accommodatum, factum est,

ut pro diversitate demandati officii, nomen Comitis, quis sortitus sit. Unde alii Comites sacri Consistorii, alii sacrarum largitionum, alii rerum privatarum, alii sacri Palatii, alii sacri patrimonii, Clut *d.l.* Fuerunt Comites etiam judices ordinarii, qui in pace & otio jus reddebant, *c. unic. pr. de pace tenend. 2. F. 53. & c. un. pr. si de invest. int. Dom. & Vas. 1. F. 26.* Inde in quibusdã Germaniæ locis vocabulum Graffe/judicẽ notat. Sic Freygraffen pro prætorib. judiciorum occultorum Westphalicorum, *de quib.* Zas. *ad L. Imp ff. de jurisd. & in reform. Frid. III.* zu Franckfurt/ *An.* 1442. *tit.* von dem heimlichen Gericht. Sic Saxones etiam Graffen / pro judicibus acceperunt, hinc si judices dati sint illis hominibus qui in limitibus Imper. Rom. habitarunt, tunc à Marcâ dicti sunt Marckgraffen. Hinc Landgraffen/ qui provinciis intermediis jus dixerunt. Hinc Pfaltzgraffen / qui jus dixerunt bello partis pacatisque provinciis. Hinc Burggraffen/ qui fuerunt judices in terris, quæ Imperatorum donationibus Ecclesiis accesserunt. Hinc Centgraffen/ Centenarii dicti, *de quib.* Knich. *de jur. territor. c. 4. n. 54.* Hinc reliqui Comites & pedanei judices utpote sunt Lograffen/ Dingraffen/ Raugraffen/ Saltzgraffen/ Knich. *d. c. 4. n. 68.*

52. Verùm cùm veterum Imperatorum temporibus non tantùm ad singulas provincias, sed etiam ad amplas civitates ablegarentur Comi-

tes,

tes, factum est, ut jurisdictio & territorium, cui præficiebantur, comitatus appellari cœperint, *Clut. d. l.* Qui postea homagii & fidei nexu, ita ut administratio fruenda etiam ad hæredes pertineret, quibusdam tributi sunt, Duar. *in comm. feud. c. 6. n. 8.* donec tandem cum dignitate regali & superioritati investiti sunt.

53. Unde manifestum est, non tantùm Comitis appellationem esse vetustissimam & omnium dignitatum primam; verùm etiam, varia esse Comitum genera.

54. Sunt ergò quidam Comites Principes Imperii, qui cũ adjectione aliquâ Landgraffen/ Marckgraffen/ Burckgraffen &c. de quibus antea dictum.

55. Secundò sunt quidam Comites, qui principali dignitate & gradu sunt decorati: Gefürste Graffen/ de quibus similiter in præcedentibus dictum.

56. Tertiò quidam sunt Comites, qui ab Imperio cum regalibus, jurisdictione ac juribus aliis omnibus sunt investiti, & tantùm possunt, quantum Principes in suis territoriis. Sed hoc locum non habet, quando vel expressâ conventione & consensu, vel longâ possessione & moribus, à vicinis Principib., jurisdictio Comitum vel ex investitura, privilegio vel præscriptione cõpetens, vel quoad partem territorii, vel causas ac personas, partes quoque judicii, diminuta est. Nam tunc in iis jurisdictio comitum cessat, & in

aliis est integra & salva, Knich. *de sublimi territ. jur. c. 4. in pr. n. 6. & seqq. usque ad n. 34.*

57. Quidam sunt Comites, quibus comitatus ab inferiore aliquo Principe, per subinfeudationem cõfertur, Borch. *de feud. c. 4. n. 12.* Schrad. *de feud. part. 10. sect. 2. n. 69. vers. hæc conclusio.* Rosenthal. *de feud. c. 2 concl. 1. n. 3. lit. c.* Hujusmodi comitatus nihilominus regales dignitates manent. Nam subinfeudatio sub eadem prorsus lege & conditione fit, quâ feudatio ipsa allermassen wie sie vom Reich ergangen. Quando ergò Comites ab inferiore Principe per subinfeudationem investiuntur, uti sæpè fit, mediante inferiore Principe ab ipso Imperatore ejusmodi feuda consequuntur. Quando verò à summo Principe comprobatio hujusmodi subinfeudationis fit, adjici solet hæc clausula: Mit Vorbehalt der Oberlehens Gerechtigkeit.

58. Quidam Comites sunt, qui ex singulari supremi Principis privilegio, per inferiorem Principem, qui tale privilegium habet, creantur. Quo spectat privilegium Sereniſſimorum Ducum Austriæ, de quo supra.

59. Quidam etiam Comites sunt, qui non sunt in matriculam relati & sine regalibus investiti, quales in aliquibus Germaniæ partibus inveniuntur, utpote, sub domo Austriaca, Graffen zu Hardeck. Et sub Electore Brandenb. Graffen zu Hänstein / Herren zu Biraden. Item sub Duci-

Ducibus Pomeraniæ & Episcopo Caminensi, Graffen zu Neugarten.

60. Qui ergò Comites Status Imperii sunt, ad Comitia quidem vocãtur, verùm duo saltem, votum & sessionem in Comitiis habent. Hinc totus ille Ordo Comitum in Imperii Comitiis duo tantùm suffragia habet. Unum suffragium die Schwäbische: alterum die Wetterauischen Graffschafften. Verùm ad consilium Principum zum Fürsten-Raht reliqui Comites, qui sunt Status Imperii accedere & deliberationibus interesse non prohibentur.

61. Baronum origo varia est admodum controversa. Nobis autem illa placet, quâ à Germanica Freyen Barones, quasi Frejones dicti sunt, *Cluten.d.l.*

62. Proinde & varia est appellatio Baronum. Dicuntur enim alii semper Freye/ alii Freyherren, alii Freyen, alii Edele Herren/ alii Herren/ alii die Edele/ &c. Hinc tria genera Baronum aliqui faciunt. Utpote, 1. Semper liberorum. 2. Liberorum Baronum. 3. Simpliciter Baronum. Verùm quamvis Barones nominibus discrepent, dignitate tamen & nobilitate omninò pares sunt. Quamobrem, hæc nomina, nihil aliud sunt, quàm synonyma. Familias Comitum & Baronum vide apud Paurmeist. *l. 2. c. 1. de jurisd. Imp. Rom. fol. 448.* Ubi similiter ordinem Prælatorum, Abbatum, Præpositorum & Abbatissarum invenies. Et tantùm de secundo ordine.

63. In tertio ordine sunt civitates liberæ. Quod enim & liberæ civitates sint status Imper. Rom. patet exinde, quod sint immediatè sub Imperatore, Imperii matriculæ insertæ, votum & sessionem in comitiis habeant, & necessitate urgente contribuant.

64. Liberæ autem dicuntur non ratione Cæsaris & Imperii wie die freye Schweitzer, sed quòd ab inferiorum Principum, Prælatorum ac Comitum imperio sint liberæ & immunes, tantumque possint, quantum Principes, Prælati ac Comites in suis territoriis. Nam uti Principes ratione status cum juribus territorialibus & superioritate mit der Landsfürstlichen Obrigkeit investiti, ita etiam liberæ civitates die Keyserliche Freye- und Reichs-Städte cum juribus territorialibus & superioritate, mit der Lands Ober- und Herrligkeit investitæ sunt. Jura igitur Principum ratione rei, seu territorii, non verò ratione dignitatis personalis habent. Nam quêadmodum dignitas regalis sine juribus regalibus consistere potest, Alvat. Valas. *de jur. emphyt. q. 8. n. 34.* Sic etiam jura regalia sine titulo regali esse & exerceri possunt.

65. Distinctionem aliqui esse putant, inter civitates Imperiales & liberas, illas vocant simpliciter Reichs-Städte: Has freye Reichs-Städte. Distinctionem illam desumunt ex insignibus diversis. Siquidem imperiales illas esse volunt, qui quondam potestati Principum, Prælatorum

latorum & Comitum subjectæ, postmodum verò libertate donatæ & Imperio Romano adactæ: Die einen gantzen Adler oder etwas in ihren Wapen davon führen: Contra liberas civitates volunt esse illas, quæ ab initio liberæ & nunquam alterius jugo subjectæ fuerunt. Verùm hanc distinctionem nullam realitatem importare ex eo manifestum, quod in Recess. Imp. in Catalogo statuum vel matriculâ Imp. nulla fiat distinctio civitatum Imperialium, sed appellationes promiscuè usurpentur & ut plurimùm conjungantur, atque sic indistinctè simul omnes appellentur, Freye- und Reichs-Städte/ & ne verbulo quidem in earum enumeratione innuatur, quæ liberæ tantùm, vel quæ Imperiales. Præterea, quòd omnes, quocunq; nomine appellentur, eâdem libertate fruantur & statibus annumerentur. Illud tn. libenter largimur, unam ratione privilegiorum magis esse liberam, quàm aliam atque exinde præcellentiam quandam habere.

66. Sunt præterea & aliæ civitates quæ omnem & plenam jurisdictionem à Cæsare concessam vel præscriptam non habent, sed in aliorum Principum, Prælatorum vel Comitum territoriis sitæ & secundùm quid à Principum jurisdictione exemptæ. Hæ igitur magis provinciales civitates appellantur, & salvis libertatibus, quas ab Imperatore habent, Principibus suis, ut Landsassii meritò parent. Distinguuntur tamen à municipiis

Principum, quòd hæc prorsus subdita & nullo modo à jurisdictione Principum exempta, illæ verò secundum quid exemptæ.

67. Dividuntur civitates liberæ Imp. secundũ sessionem, quàm habent in Comitiis, in duo latera, videl. in Rhenanum & Suevicum. De utroque latere, *vide* Paurm. *de jurisd. l. 2. c. 1. f. 42a.*

68. Et tantùm breviter de Statibus & membris Imp. Rom. dixisse sufficiat. Ubi notandum porrò, quod alii hos *status dividant in septem classes*, quarum prima est Electorum. 2. Archiepiscoporum. 3. Episcoporum. 4. Principum. 5. Prælatorum. 6. Comitum. 7. Civitatum Imperialium.

69. Denique ut major S. R. I. dignitas & Majestas esset, ex his supra dictis Circulis, ordinibus & classibus *quatuor viri* constituti sunt. Et quidem I. Quatuor Duces. 1. Duces Sueviæ, cujus Ducatus titulum sereniſſima Domus Austriaca sibi usurpat. 2. Dux Brunswicens. 3. Dux Lotharing. 4. Dux Bavar. II. *Quatuor Vicarii.* 1. Dux Brabantiæ. 2. Dux Veteris Saxoniæ. 3. Dux Westerich. 4. Dux Silesiæ. III. *Quatuor Marchiones*, 1. Marchio Brandenburg. 2. Marchio Moravienſis. 3. Marchio Misnenſis. 4. Badenſis. IV. *Quatuor Comites Provinciales*, 1. Landgravius Thuringiæ. 2. Landgr. Hassiæ. 3. Landgr. Alsatiæ. 4. Landgr. Leuchtenbergæ. V. *Quatuor Comites castrenses*, 1. Burggravius Norinberg. 2. Burggrav. Magdeburg. 3. Burggrav. Stromburgenſis.

gensis. 4. Burggrav. Rheineckensis, qui hodiè in Comitum Hanaviensium ditione. VI. *Quatuor Comites*, 1. Comes Schwartzburgensis. 2. Comes Ciliensis. 3. Comes Clivensis. 4. Comes Sabaudiæ. VII. *Quatuor Barones*. 1. Baro Limburgens. 2. Westerburgens. 3. Altewaldens. 4. Thusanus. VIII. *Quatuor Equites*, 1. Miles de Andlo. 2. Miles in Strandek. 3. Miles in Meldingen. 4. Miles de Frowenberck. IX. *Quatuor urbes Imperiales*. Augusta-Vindelicorum. 2. Aquisgranum. 3. Metis. 4. Lubeca. X. *Quatuor pagi*, 1. Bamberga. 2. Selestadium. 3. Ulma. 4. Hagenoa. XI. *Quatuor Rustici*. 1. Colonia. 2. Ratisbona. 3. Saltzburgum. 4. Constantia. XII. *Quatuor Villæ*. 1. Amberga. 2. Orlemund. 3. Lichtenavia. 4. Ingelhemia.

Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum sanctissimum illud Electorum Collegium sub Ottone III. cæperit?

Electorum in Imperio Roman. tanta est dignitas, ut eos Carol. IV. Imper. Palmites Imperiales, septem candelabra lucentia in unitate spiritus septiformis, quibus sacrum illuminari debeat Imperium, columnas & latera, solidasque Imperii bases & propinquiora Cæsaris membra appellitet, quæ veluti Columnæ sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ, solerti pietate sustentent, quarum præsidio dextro dextera imperialis roboretur, & orbi fluctuanti subveniatur,

A. B. in pr. & c. 12. §. & quia c. 3. in pr. c. 12. c. 24. c. 36. §. cùm sacri. De quo sanctissimo Electorum Collegio magna & celebris est inter eruditos controversia, quando & à quo institutum. Sunt qui id acceptum referunt Gregorio V. Papæ Rom. Sunt qui id referunt ad Fridericum II. & Gregor. X. Sunt qui existimant, id non tam expresâ & speciali constitutione institutũ, quàm antiquâ consuetudine sensim introductum. Buxtorff. *th. 14. in diss. A. B.* Utut sit, pervulgata est opinio: Othonem III. Imper. divinitus excitatum, prima fundamenta huic Collegio posuisse. Et ut ab ovo rem incipiam, constat Imperatoriam Majestatem virtute Caroli Magni ad Germanos translatam esse, & tunc temporis electionem & institutionem Imperatoris penes Imperatorem ipsum constitisse, qui pro libitu & voluntate, vel filium vel alium sibi sanguine junctum nominabat. Caroli verò Magni masculâ stirpe extincta, universus Francorum & Saxonum populus, Germanorumque procerum concursus ad Othonem Sax. Ducem factus est. Verùm ubi ille majori animo oblatum regnum repudiavit, quàm alii per ferrum & flammas quæsiverunt, excusationem decursæ ætatis prætendens, populus & proceres Germanorum Imperium Conrado Franconiæ Duci detulerunt, qui id rursum moriturus Henrico Aucupi tradidit, & hic rursum ad filium Othonem Magnum & Nepotem Othonem Imperatoriam Majestatem transmisit. Quo

ultimo

ultimo fatis defuncto, à Germanis proceribus, qui tunc temporis frequentes Romæ erant, de successoris electione varia certamina sunt excitata, alii enim in Henricum Bavarum inclinabant, alii verò in Othonem III. Othonis Magni nepotem: Germanis ergo Proceribus in contraria studia euntibus, Crescens Nomentarius Consul factus, seditionem exciebat & Imperii titulum adsciscere sibi gestiebat, ægrè admodum ferens, Imperium Romanum ad exteros translatum. Sed quid fit? proceres Germani Imperii, apud quos longo jam tempore Imperii dignitas sedem suam fixerat, rerum suarum satagentes Bavaro Othonem puerum præferunt, & regni successorem declarant. Ubi verò Crescens Nomentarius semel atque iterum ad ingenium suum rediit & Gregorium Pontificem, quem Imp. Otho III. Imperatorio suo jure usus ad Pontificatum ritè promovit, nefario ausu ejecit & alium substituit, Otho III. infestum exercitum urbi admovit, cives ad incitas redactos ad deditionem compulit, Gregorium sedi restituit, adulterino Papæ oculos eruit & suspendi eundem curavit; Crescentium verò consulem ex fugâ retractum vili jumento aversè impositum ac per civitatem circumductum ultimo supplicio affici jussit, Cusp. *in vita Oth. III. &* Sigon. *l. 7. de regn. Italiæ.* Cùm ergò sapientissimus Imp. Gallorum, Italorum, & Hispanorum conatus satis perspexerit, quòd scilicet majestatem Imperialem vel ad suos vel ad alie-

ad alienos transferre omnibus virtutibus fatege-
runt, nihil utilius ad servandam hanc præemi-
nentiam Germaniæ esse, facilè animadvertebat,
quam si Collegium Electorale constitueretur.
Quamobrem cùm & ad præeminentiam Ger-
manorum, & è re & commodo Romano-Ger-
manici Imperii probè intellexerit, non tantùm
hoc Septemvirale Electorum Collegium insti-
tuit, verùm etiam ut natione Germanus in Im-
peratorem eligeretur, prudentissimè constituit,
Pro quâ sententia innumerabiles ferè & Chro-
nologi & JCti acriter pugnant, *de quibus vide*
Buxt. th. 14. in A. Bull. lit. A. Cluten. Syll. rer. quo-
tid. th. 24. lit. b. Anton. Coler. *de jure Imp. Germ.*
th. 45. Verùm de Anno, quo lata hæc constitutio,
variant Historici. *Vide* Kirchn. *in sua de Republ.*
disp. 5. Corol. 2. An etiam numerus septenarius
constitutione Othoniana introductus, incertum
est. Illud tamen constat Bohemum ante Carolum
IV. in Electorum numero fuisse. Interim tamen,
Pontificem Gregorium V. ut acceptæ injuriæ
pœnas ab Italis, quo posset modo, repeteret, Im-
peratori Othoni III. ut & certus Electorũ nume-
rus, & constitutio de Germano in Imperatorem
eligendo, certa fieret, authorem fuisse, facilè Põ-
tificiis largimur; Verùm, numerum Electorum
à Pontifice Gregorio institutum, hoc est, quod
nos negamus; Et cùm apertissimè constet; antea
populum & Proceres Imperii semper, nunquam
verò Pontifices potestatem eligendi Imperato-

rem

rem habuisse, quomodo quæso Gregorius V. id Electoribus dare potuit, quod nunquam habuit, *c. nemo 79. de R. I. in 6. l. 54. & l. 120 ff. eodem.* Inde facilè etiam apparet irrationabilitas Pontificiæ illius jactationis, quàm falsò glorientur, Septemviris hanc eligendi potestatem à sede Romanâ datam concessamque fuisse, *in c. venerabilem, de Elect. & Clement. Romani. de jurej.* Consuetudini acceptum referunt, Paurm. *de jurisd. l. 2. c. 2. n. 38.* Schönb. *l. 5. Pol. c. 32.* Heig. *q. 4.*

QVÆST. II.

Vtrum Principes in suis territoriis tantùm possint, quantum Imperator in Imperio?

Non immeritò hâc de quæstione dubitatur. Nam illud certissimum est, Principes Romani Imperii, ut & Comites & Barones quosdam, ex concessione Imperatoris plenariam, & omnimodam jurisdictionem cum omnibus pertinentiis & superioritate territoriali, die hohe Lands-Fürstliche Obrigkeit / mit allen Gerichten / oberst / mittelst / und niedrigst / mit allen ihren Ehren / Würden / Freyheiten / Nutzen / und Zugehörungen / acquisitam habere, Knich. *in cons. c. 4. fol. 119.* Roland. à Valle *consil. 1. n. 115.* Borch. *in c. 1. Quæ sunt regalia.* Obrech. *de Regalib.* Quã jurisdictionem & superioritatem non ad mandatum Imperatoris, sed proprio jure exercent, Knich. *n. 386.* Fulgos. *cons. 1. n. 2.* adeo, ut & gratiæ Dei suum Principatum, Dominatum & superio-

perioritatem acceptam ferant, id quod in Gallia absque crimine Majestatis nemo Principũ scribere audet, Monſ. de Serraz. *l. 17. Inventarii.* Præterea possunt Principes Romani Imperii Leges communes abrogare & contraria provincialia statuta substituere, Castrenſ. *conſ. 34. n. 3. vol. 2.* Knich. *d. c. 1. n. 363.* adeò ut secundùm sanctiones Principum Camera pronunciare teneatur, *Ordin. Camer. part. 1. tit. 57.* quo casu subditi fortiùs dicuntur obligari suo Domino, quam Imperatori; *ut probat* Knich *d. c. n. 383. ex Petro Gregorio de conceſſ. feud. p. 7. q. 4. n. 12.* Cæterùm habẽt Principes Romani Imper. jura majestatis, utpote: I. Liberum exercitium utriusque religionis tam Pontificiæ, quam Augustanæ Confeſſ. R. A. *de An. 1535.* §. Vnd damit solcher Friede. II. Jus famæ restituendæ, R. A. zu Speyer/ *de Anno 1526.* §. Vnd wiewol der gemeine Mann. III. Jus remittendi pœnas capitales. *d.* R. A. de Ann. 1526. §. Vnd wie wol/ ꝛc. Rol. à Vall. *conſ. 4. n. 4. l. 3.* IV. Jus salvi conductus, Menoch. *de arbit. jud. q. l. 2. cent. 4. caſ. 336. n. 27.* Gail. 2. *obſ. 64. n. 2.* Roſenth. *de feud. c. 5. concl. 22.* Schurff. *conſ. 2. n. 4.* Sixt. *de Reg. c. 2. n. 35. l. 2.* V. Jus induciarum moratoriarum Anstand-Brieffe / nemlich auff gewisse Zeit zu zahlen / Reformation guter Policey zu Augspurg / de Anno 1548. *ſub tit.* von verdorbenen Kauffleuten / §. Vnd nach dem/ Gail. 2. *obſ. 46. n. 14.* VI. Jus fiſci, Pereg. *de jure fiſci, l. 4. tit. 3.* Mynſ. *conſ. 69. n. 2. & 3.* VII. Judæos

reci-

recipiendi, Policey-Ordnung zu Augspurg/ An.1548. *tit.* Von Juden und ihrem Wucher. Buxtorff. *ad A.B. Carol.4. concl.90. per tot.* VIII. Jus conducendi per vias publicas. R.A. zu Augspurg/ de An.1548. §. Ferner zu noch mehrer/ &c. IX. Jus Vectigalium, utpote sunt: portorium, quod solvitur in portu, vel ripatica, quæ in ripâ, vel telonia, quæ in terrâ. Sixt. *de reg. l.2. c.6.* Buxt. *ad A.B. Carol. IV. concl.91. per tot.* X. Jus foresti, die Wildbahn/ Gail. *2. obs.68.* XI. Jus cudendæ monetæ. R.A. zu Nürnberg / de An.1524. §. Dergleichen hat der Münz halber/ & R.A. de Anno 1551. §. So haben wir auch. Et An.1570. § Als dann auch. Et id genus alia, &c. Hinc pro quæstione affirmativâ, de Principibus Romani Imperii pugnant, Castrens. *cons.34. n.1. & 5. vers. concluditur, l.2.* Natta *cons.554. n.19. vol.3.* Socin. *cons.4. n.23. vol.3.* Marzar. *cons.26. n.36.* Alex. *cons.2. n.9. vol.1.* Rimin. junior *cons.370. n.3.* Decian. *respons.5. n.17. vol.4.* Cravet. *cons.404. n.15.* Schurff. *cons.18. n.2. cent.3.* Zas. *cons.1. n.21. l.2.* Modest. Pistor. *cons.24. n.1. vol.1.* Gail. *de P.P. l.1. c.6. n.10.* Schrad. *de feud.2. part.9. partis principalis sect.10. n.36. & part.10. sect.1. n.33. Ubi & alios plures hoc simpliciter asserentes alleg. Idem de Comitibus tradunt,* Cacher. *decis.155. n.1. & cons. 9. n.2.* Castrens. *d. cons.34. num.5. vers. ergò* Alex. *cons.1. n.30. vol.5.* Crav. *d. cons.404. n.15.* Rol. à Vall. *cons.29. n.26. vol.1. & cons.68. num.16.* Obrecht. *de jurisd. c.4. n.16.* Gail. Schrad. *dd. locis.*

Ubi

Ubi eodem modo & Baronum mentionem fecerunt, Castrens. *d. cons. 34. n. 2. in fin.* Paris. *cons. 25. n. 63. l. 1.* Bellon. *cons. 59. n. 10.*

Verùm cùm hæc Dd. opinio admodùm periculosa, & eâ sæpè apud Principes & Comites, imperiti Aulici abutantur, meliùs sentiunt & cautiùs loquuntur illi, qui distinguunt. 1. Inter superioritatem Imperialem & absolutam, quæ fundata est in supremo & universali totiùs Imperii dominatu, & inter superioritatem territorialem, quæ fundata est in alicujus districtus jurisdictione ordinaria. 2. Inter leges universales & provinciales. 3. Inter Statuum Imperii jura Regia quæ propter similitudinem, quam habent cum jurib Majestatis, non impropriè jura majestatis dici possunt, verùm nullo modo propriè iis hoc nomen competere potest: Et distinctionib. præsuppositis quæstionem hoc modo limitant: Imperii Principes tantùm in territoriis suis posse, quantum Imp. in Imperio, intellige, quæ veniunt ordinaria jurisdictione & superioritate territoriali, non verò, quæ veniunt absoluta superioritate Imperiali: Sic n. adhuc multa sibi reservavit Imperator, quæ transferri non possunt. Debent n. privilegia & concessiones esse ejusmodi, ut vires potestatis non extinguant. Æneas Sylv. *de ort. & auctor. Rom. Imp.* Neque credendum est, summum Principem omni suo juri renunciasse (id quod fieri per rerum naturam, si superior manere velit, non potest) & nihil residui in præ-

in præeminentiæ & majestatis testimonium sibi reservasse. Nec quoque in generali concessione, veniunt reservata Principum, *c.81. de R. I. in 6. & c.4. x. de off. leg.* Atque sic plurima sunt, quæ Principes Imperii ratione superioritatis territorialis non possunt, utpote Comites Palatinos vel tabelliones creare, legitimare spurios, Academiam erigere, nobilitatis insignia dare, Doctores, Licentiatos, Poëtas, Barones, Comites, Duces, Marchiones, creare, nullo modo possunt. Et quamvis Sereniſſimis Archiducibus Austriæ exceptis juribus territorialibus, ampliſſima & admodum pinguia privilegia ab Impp. sint concessa, de quibus antea in præceptis dictum est: tamen non omninò omnia ratione privilegii possunt, quæ Imp. in Imperio & ei in signum supremæ eminentiæ competunt, idque ex eo satis apparet, quòd ex eo privilegio Archiducibus Austriæ, Comites quidem & Barones, non minùs, quàm Nobiles creandi; non verò Marchionatus, vel alterius Principatus dignitate aliquem ordinandi, & insigniendi, facultas sit data, quæ tamen Imp. ratione absolutæ superioritatis Imperialis competit, & est de ejus reservatis. Sic vectigalia nova, de quib. in eo privilegio mentio fit, tantùm abest, ut alii Principes inferiores ea instituere, vel etiam vetera augere possint, *uti antea diſp. 7. th. 30 dictum est.* Proinde confirmatur hæc sententia Aurea Bulla Carol. IV. qua quædam de Regalibus & reservatis Imperatoris, solis Prin-

cipibus, Electoribus peculiariter conceduntur, quasi aliis non competentia. Posteriorem ergò opinionem, ut æquiorem & juri magis consentaneam tuebimur cum Borch. *de feud. c. 5. n. 37.* Dauth. *ad tit ff. & C. de test.* Forst. *de succes. ab inteſt. l. 6. c. 34. n. 32.* Felin *conſ. 31. n. 5.*

QVÆST. III.

Vtrum territorium ſit de ſubſtantiâ ſuperioritatis?

Quia præcedente quæstione dictum, superioritatem & Regalia, occasione territorii jure hæreditario, salva tamen superioritate absoluta Imperiali, ab Imperatore tanquam Auctore & fonte Regalium, Principibus Imperii concessa, non immeritò porrò quæritur, utrum superioritas illa, quæ dicitur die Lands-Fürſtliche Obrigkeit/ sit radicata in territorio? In quâ quæstione, quamvis adferri possit. 1. Superioritatem esse qualitatem non ipsi territorio, sed Principibus Imperii concessam, qui illam etiam exercent & ea utuntur. 2. Quòd & Rectoribus Academiarum & Cameræ Imperiali omnimoda etiam jurisdictio cõcessa sit sine ullo territorio, Knich. *c. 1. n. 27.* 3. Quòd nõ tantùm districtus aliquis, verum etiam non rarò personæ singulares territorii nomine veniant. Attamen rationib. illis postpositis affirmativam quæst. partẽ amplectimur, propterea, quod territorium sit subjectum, quòd passivè superioritatem recipit, & cujus contemplatione

platiq. e Princ. Imp. eandē activè exercēt, Knich. *d.c.1.n.103.* Proinde pro decisione quæst. omninò distinguendū putamus, inter superioritatem territorialem universalem, quæ competit jure territorii & regalis dignitatis, & Germanis dicitur, die Landsfürstliche/ oder ratione illorū statuū, qui non sunt Princ. die Lands-hohe Obrigkeit. Et inter ordinariam jurisdictionem particulariter concessā. Illa talis est, quæ absq; territorio cui inseparabiliter cohæret, esse non potest. Hæc v. omninò esse potest, quemadm. exempla de Camera & Rectorib. Academiarū allata evincunt.

QVÆST. IV.

Vtrum omnes, qui alicujus Principis territorii districtu comprehenduntur, sint in istius Principis jurisdictione & Patrocinio?

Cùm præcedente quæstione dictum, posse aliquem particularem jurisdictionem habere in alterius territorio, non immeritò quæritur, utrū ille, qui est in alterius territorio, sit etiam necessariò sub istius jurisdictione & patrocinio. Et quamvis territorium universale habens quoad jurisdictionem, tam civilem, quàm criminalem, fundatam intentionē suam habeat in omnes sui territorii districtus homines, *argum. l.1. §.4. ff. de offic. præf. urb. l.29. & 30. ff. ad municip. l.nulli*, 28. §.4. *C. de Episcop. & Cler.* adeò ut in dubio pro habente territorium pronunciari soleat, Menoch. 3. *præsumpt.* 100. *n.2.* Cephal. *cons.539. n.4.* Roll. à Vall. *cons.91. num.17. vol.1.*

Attamen cùm non pauci & Comites & Barones & Nobiles reperiantur, qui in alicujus Principis districtu & Castra & villas suas extra jurisdictionem istius Principis possident, non necessario sequi putamus, eundem qui est in territorio alicujus Principis debere de necessitate sub ejus jurisdictione esse. Proinde pro quæstionis decisione distinguendum est, inter Landsassium & subditum. Landsassium enim quod attinet, est quidem in territorio, sed non semper de territorio Principis, & hac ratione potest Landsassius esse immunis à jurisdictione istius Principis, non tamen à generali superioritate territoriali, h.e. von des Lands hoher Obrigkeit. Potest ergò Dominus territorii vigore superioritatis territorialis Landsassio suo & mandare & præcipere, & cogitur Landsassius Dominum territorii agnoscere pro Domino suo & illi, als seinem Lands-Fürsten und Erb-Herren obedire & homagiũ præstare, Felin. *in c. grave, n. 1. de off. ord.* Aug. Conf. 23. *Castrens.* 132. *Innoc. c. nimis d. jud.* Contra verò, subditos quod attinet, seyn dieselbige nicht allein in eines Fürsten Land und hoher Obrigkeit/verùm etiam sub jurisdictione Principis. Plura hac de re alio tempore cum Deo & die dabimus, *Vide* Bidenbach. *in quæst. nob. 1.*

QVÆST. V.

Vtrum jurisdictio Ecclesiastica Principibus secularibus competat?

Juris

Jurisdictionem Pontificis, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum quoad Protestantium territoria & districtus, *Anno* 1552. *Passavii, & Anno* 1555. *in Comitiis Augustanis, jussu Caroli V. à Ferdinando Roman. Rege*, planè enervatam esse constat, ut ab eo tempore non tantùm ea, quæ sunt ordinis, sed etiam quæ sunt jurisdictionis Episcopalis ac legis diœcesanæ pleno jure habuerint, Matth. Stephan. *de jurisd. l. 3. part. 1. c. 15. n.* 113. Schönb. *in Polit. l. 4. c. 6.* Atque duplicem personam Principis & Episcopi, exemplo veterum Regum Romanorum, Euseb. *l. 1. hist. Eccl. c.* 5 sustinuerint. Et quamvis hac ratione personam Principis jure territorii, auß Landes-Fürstlicher und Ober-Hochheit/ de quo ab Imp. investiti sunt, sustineant, & Ecclesiasticam jurisdictionem ex concessione Imperiali & vigore decreti Passavienſis habeant: Hodiè tamen non minùs hanc, quàm illam jure territorii exercent, adeò ut nulli exercitium religionis publicum in alterius status territorio instituere licitum sit, uti ex multis Cameralium votis refert Reichwein / *in form. de pace relig. c.* 2. Mind. *1. de proces. c. 30. n. 10.* Atque hinc, cùm diœceseos fines putantur conformes finibus territorii temporalis, Raudens. *cons. 32. n. 79. l. 2.* adeò, ut à certitudine finium diœceseos, concludatur ad determinationem incertorum temporalis territorii finium, Knich. *de jur. territ. c. 3. n. 81.* nullum est dubium, quin Principes & status

Imp. ſententiam ſuam æquè quoad Eccleſiaſticam, quàm territorialem juriſdictionem, adverſus omnes, in eorum diſtrictu commorantes, fundatam habeant, Paur. *de juriſd. 2. c. 7. n. 25.* Nam quemadmodum præſumptivè inferimus, hujus eſt territorium, ergò ejus & juriſdictio erit, Menoch. 3. *de præſ.* 79. ita multò magis inferre licet, ad hunc ſpectat, die Lands und hohe Obrigkeit. Ergò ad illum ſpectabit omnimoda juriſdictio Eccleſiaſtica, quæ ex Conſtit. Religionis, nulli, niſi jura territorialia poſſidenti, competit, Leopold. Helth *in quæſt. de conc. juriſd. ex* Reichswein *tract de pace relig.* Ne tamen iſtæ duæ juriſdictiones, quæ, quoad materiam, formam, proceſſum, pœnas & perſonas differunt, confundantur; rectè conſtitutum & proviſum eſt, ut cauſæ Eccleſiaſticæ in ſeparatis judiciis, quę conſiſtoria vocamus, à certis ad illa ſpecialiter deputatis conſiliariis, partim clericis, partim ſecularibus cognoſcantur. Umm. *de Proceſſ. diſp. 4. n. 76.* Foman *ad tit. C. de Epiſcop. audient. c. 1. q. 2. & 7. & ad tit. de Epiſc. & Cler. c. 2. q. 6.*

QVÆST. VI.

Vtrum juriſdictio ſecularis, Eccleſiaſticis Electoribus competat?

Antea dictum eſt, tantam Veteribus fuiſſe devotionem, ut tunc demum omnia rectè proceſſura crediderint, ſi religionis Antiſtites ſuis conſiliis haberent præſentes. Hinc non tantùm Politi-

Politicos voluerunt constituere Electores, sed Politicis adjunxerunt tres Archiepiscopos, Cum autem separata sint Dei dona, Sacerdotium & Imperium *Novell. 6. in pr.* adeoque has jurisdicti-ones confundi. *c. 7. x. qui filii sunt legitimi.* Ponti-ficique secularib. negotiis se implicare prohibi-tum, *c. 6. dist. 96.* cum malè sonet Psalter cum Cy-thara, *ex sent. Ferr. in form. libell. Resp. rei convēt.* Item opprobriosum sit Ecclesiasticis, se peritos causarum secularium ostendere, *l. 17. l. 41. C. de Episc. & Cler. c. 6. dist. 96. tt. x. ne Cleric. vel Mo-nach. secul. neg. se immis.* ansam dubitationis præ-bet, num Ecclesiasticis Electoribus regimen se-culare & officium hoc Electorum competat? Et quamvis plures rationes dubitandi huc adferri possent, non tamen dubitandum est, quin eis hoc officium maximè decorũ & ornamento sit, & se-cularibus etiam negotiis interesse possint. Con-stat enim ex Apologiâ Augustanæ Confessio-nis, Ecclesiasticos Electores esse Principes & sta-tus Imperii, August. Confess. *sub tit. de potest. Ec-clesiast.* Atque hac ratione æquè ut seculares cum superioritate territoriali sunt investiti. Hinc ergò non minus, quàm seculares, potestatem domina-di habent. Neq; ob id confunditur sacerdotium cũ Imperio, sed manent distincta & separata, quia sacerdotium non expediunt, jure superioritatis territorialis, sed potiùs ex mandato Dei, & quidẽ jure ministerii. Proinde non absurdum est unam personam numero, posse duplicem repræsentare

personam, atque ob id, ratione videl. diversarum suarum qualitatum, diverso jure censeri, Gail. 1. *obs. 30.* Cæterùm cùm Ecclesiastici Electores nõ sint tantùm Clerici, ut dictum est, neque homines privati, sed præcipui Status Imperii, non est, quòd ampliùs de hâc quæstione dubitemus.

QVÆST. VII.

Vtrum Superioritas territorialis ab Imp. concedi possit?

Antea dictum est Principes & Status Imperii Romani concessione summi Principis superioritatem territorialem, non uti olim magistratus, sed hæreditario & patrimonii jure acquirere. Hinc ergò oritur quæstio, utrum superioritas ab Imperatore concedi possit. Et quamvis pro dubitandi ratione adferri possit, superioritatem esse de essentiâ Imperatoris, eique inseparabiliter adhærere, adeò ut in omni concessione superioritas censeatur reservata, uti id antea pluribus est demonstratum: attamen non tantùm ad illustres familias conservandas, verùm etiam ad præeminentiam Romani Imp. prudentissimè territorium in certum dignitatis titulum est erectum, & Principibus cum omnibus commodis superioritatis ab Impp. tanquam fonte omnium regalium, Principibus & Statibus concessum, ut non immeritò Principes Romani Imperii, *Baldus* pro Regibus habeat *in l. fin. C. de test. milit.* Et Carolus V. inclutæ memoriæ dicere solitus.

Se in

Se in alienis suis regnis ac ditionibus, manicipiis & servis, ast in Germaniâ liberis ac Regibus imperare. Et Max. I. *Se Regem Regum appellavit, cùm alii servorum & asinorum Reges esse malint.* Et nullibi familiis Electorum & Procerum Imperii illustriores vel similes inveniri, *dicit* Æneas *in descript. Germ. 30.* Proinde prò decisione quæstionis repetimus distinctionem antea datam, inter absolutam superioritatem Imperialem: & inter generalem territorialem superioritatem Principibus & Statibus Imperii Romani concessã. Secundùm hanc n. Principes seu Status, quoad subditos suorum territoriorum, similem, quam Imperator in universos Imperii cives tenet, potestatem habere censentur, Knich. *de jur. territor. c. 1. n. 359. & seq.* Gœden. *cons. 1. n. 21.* Modest. Pist. *cons. 28. n. 1. vol. 2.* Atque sic ratione territorii sui, Principes nostri ab Imperatore nihil differunt, nisi ambitus & minoris territorii ratione, Pruckm. *cons. 38. n. 11. 12. & tract. de reg. 45.* Quæ sunt regal. Borch. *tit.* Quæ sunt regal. *n. 7. & 8.* Wes. *cons. 4. 5. n. 4. part. 1.*

QVÆST. VIII.

Vtrum superioritas territorialis præscriptione acquiri possit?

Ansam dubitandi præbet, quod præcedente disp. quæst. ult. in fin. dictum: Adversus ea, quæ Principi in signum præeminentiæ & superioritatis sunt reservata, præscriptionem nullo modo

currere ex Modest. Pist. *cons.4.n.28.vol.1.* Sixtin. *de regalibus, l.1.c.5.n.145.*

Contra adversus Imperatorem, præscriptionem, seu potiùs immemorialis temporis usurpationem currere, inde probatur, quòd immemorialis temporis usurpatio habeat vim privilegii, itē specialis concessionis & tituli, adeò, ut neque titulum, neq; scientiam, neque patientiā Principis docere sit necessum, *l.3.§.4.ff. de aqua quotid. & æstiv.* Pruckman. *in §. soluta potestas, 2.eff 7.n.112. ubi plures.* Et hanc cōmunem *dicit* Jason. *in l.3.n. 20.ff. de jurisd.* Covarr. *in rel.c. possessor malæ fidei. §. secundus, n.12.* Bellon. *cons.28.n.12.* Bart. *in l.4. §. ult. ff. de Publican.* Bald. *de præscr.2.p.3. pr.q.6. n.13.* Rol. à Vall. *cons.3.n.82.* Gœd. *consil.3.n.24.* Schurff. *cons.83.n.9.cent.2.* Decian. *resp.24.n.112. vol.1.* Wes. *cons.45.n.21.* Mynsi. *4.obs.24.* Præsumitur n. ex immemoriali tempore consensus, & quia hæc præsumptio est juris & de jure, non facilè admittit probationem in contrarium, Menoch. *l.3. præsumpt.131.n.39.* Alia proinde probatione non est opus, cùm & aliàs vetustas pro lege habeatur, *l.1.ff. de aqua pluvia arcend.* Mynsi. *5. Obs. 29.n.6. & seqq.* Pruckm. *de reg.c.5.n.89.* Aliud v. si præscribatur adversus privatum, tunc n.30. vel 40. anni sufficiunt, *l.4.C. de præscr.30. vel 40.an.* Pro decisione ergò quæstionis, distinguendum est inter absolutam superioritatem Imperialem, quæ ipsi Imperatori in signum supremæ præeminentiæ est reservata: Et inter præeminentem aliquam

aliquam dignitatem Imperatoris. De posteriori, non de priori quæstio nostra est proposita.

QVÆST. IX.

Vtrum Comites & Barones immediatè Imperio Romano subjecti, sint in pari dignitatis gradu?

Negativam quæstionis tenent, Matth. de Afflict. *in c.1. Quis dic. Dux n.6.* Duar. *de feud. c.6.* Molin. *in consuet. Paris. t.1. §.10. num.4.* Schurff. *cons.37. num.cent.2. &c.* Rationes dubitandi hæ sunt: 1. Quòd Comites & Barones nomine & origine differant. 2. Quòd Comites, Barones antecedant. 3. Quòd in jure feudali *tit. quis dicit Dux, March. 2. F.10.* ubi recensentur dignitates regales, Baronatus nulla fiat mentio. 4. Quod simili ratione *Ordin. Camer. p.2. t.7. §.* Wie umb Fürstenthumb und Graffschafften im Recht gehandelt werden soll/ disertis verbis Comitatus referantur inter regales dignitates, non verò Baronatus. 5. Quod pari ratione *in Ordin. Cam. p.2. t.4. §.* Zum vierdten/ constitutum, quòd Comites à Cæsareâ Majestate peti possint, ut Commissarii constituantur, coram quibus ab utroque procedatur, ibi, So soll der Klagenden Partheyen erlaubt seyn/ einen unpartheyischen Commissarien/ der zum wenigsten eines hohen Prälaten-Standes/ oder ein Graffe sey/ quo in loco similiter nulla fit mentio,

mentio Baronũ, quod procul dubio additum, si etiam Barones Commissarii munere fungi possent. 6. Quod ordo Comitum in Imperii Comitiis duo tantùm habeat suffragia unũ die Schwäbische: alterum die Wetterauischen Grafschafften / ubi similiter Baronum nulla fit mentio, Cluten. *Syll. rerum quotid. th. 27.*

Verùm quod Comites & Barones in pari dignitatis gradu constituti, probamus his fundamentis. 1. Quia hanc opinionem esse communem & in Germaniâ nostrâ receptam attestantur Dd, plurimi, Zas. *de feud. part. 5. n. 29.* Rosenthal *de feud. c. 2. concl. 1. num. 5.* Schrader. *de feud. part. 10. sect. 1. n. 22. & seq. & cons. 13. n. 171.* Gœden. *cons. 2. n. 7.* Vult. *de feud. lib. 1. c. 4. n. 14.* Mynsing. *respons. 16. nu. 19. decad. 2.* Gail. *d. arrest. Imp. c. 6. n. 15. & multi alii.* Atqui Doctoribus consuetudinem allegantibus omnino credendum est, quâde re vide Cothm. *respons. jur. 13. à n. 16. usque ad 64. vol. 1. 2.* Quia Barones non minus ac Comites sunt status Imperii. Gail. *d. l.* Item non minùs Illustres & Generosissimi vocantur, quàm Comites. Schrader. *d. cons. 13. n. 172. vers. tum quia* Barones. Bald. *in. c. 1. in pr. n. 6. de Feud. March.* 3. Quia Comites & Barones in matricula Imperii æquiparantur in privilegio & jure Austregarum, Cammergerichts Ordnung / *p. 2. t. 4.* 4. Præterea in dignitate & munere Judicis ac Præsidum Cameræ Imperialis comparantur. Das Käyserliche Cammergericht / soll jederzeit mit einem red-

redlichen verständigen Cammergericht / der ein Fürst oder auffs wenigste ein Graff oder Freyher / *Ordin. Cam. p. 1. tit. 1. in pr.* 5. Quia in constitutionibus & recessibus Imp. æquiparantur, uti videre est ex *Reformat. Polit. de Anno 1530. sub. tit.* von Graffen und Herren / *Idem de Anno 1548. sub eodem tit.* 6. Quia Barones non minùs regalem dignitatem annexam habent, quam Comites: Et Baronatus æquè est feudum titulatum, quam Comitatus, uti idipsum pluribus apud præallegatos Auctores probatur.

Contraria ergo argumenta quod attinet &c. Ad. 1. Quod non sit universaliter verum. Non enim semper diversitas nominis inducit diversitatem rei. Hinc potius ad realitatem & qualitatem rei, quàm ad vocabulorum vim & originem respiciendum est. Ad. 2. Resp. Quod ex ordine non possit desumi firmum judicium ad paritatem, vel disparitatem gradus probandam, quia ordo sæpius ad confusionem vitandam observatur, & quia impossibile, ut omnes simul atque semel possint esse vel primi vel ultimi.

Sic quamvis inter Principes ratione gradus & dignitatis nulla est disparitas, omnes enim æquè dignitatibus regalibus & superioritate territoriali sunt investiti: attamen confusionis vitandæ gratiâ, in Imperio unus alterum præcedit. Ad. 3. Resp. Nihil referre, quòd in Jure feudali d. c. Baronum nulla fiat mentio. Nam neque aliorum Principatuum in eo fit mentio, cùm tamen certo cer-

certius sit, præter Ducatum, Marchionatum, & Comitatum etiam alia ex jure feudali pro feudis regalibus habenda esse, *text. in c. 1. de feud. alienat. in fin.* ubi Ducatus, Marchionatus & Comitatus ita fit mentio, ut subjiciantur hæc verba, vel aliarum dignitatum, quæ verba procul dubio alia feuda regalia, quàm quæ nominatim sunt expressa, designant. Ad 4. Resp. Quòd per hoc Barones à Comitibus propter supradictas rationes, nullo modo separentur, contrarium siquidem *ex Ordin. Camer. p. 1. t. 1. in pr.* von dem Cammerrichter est probatum. Et quamvis *in d. Ordin. p. 2 t. 7.* Baronatus non fiat mentio: attamen ibi post verba Fürstenthumb / Herzogthumb / Grafschafften subjicitur nota amplificatoria. *Et cætera*, quâ Barones procul dubio designantur. Ad 5. Resp. Hoc fieri ob singularem hanc rationem, quòd Comites, ut plurimum soleant esse potentiores, quàm Barones, & habere plures, quorum consilio & operâ in hujusmodi arduis commissionum causis uti possint. Quare cum id in favorem Baronum constitutum, non debet contra regalem dignitatem eorundem detorqueri, *l. 6. C. de ll.* Ad 6. Resp. Quòd non tantum Comites, verum & Barones ad Comitia Imperii vocentur, & æquè ut Comites jus suffragii habeant. Nam duo isti Comites, de quibus antea dictum, tàm Barones quàm Comites repræsentant, & tàm illorum quàm horum nomine sessionem & suffragia habent, & finitis Comitiis illorum nomina con-

conjunctim cum horum nominibus recessibus Imperii in Catalogo Statuum his adjuncto, subjiciuntur, R. A. zu Augspurg / de An. 1500. ibi: Graffen; Cammergerichts Ordnung zu Costnitz / de An. 1570. *& infinitis seqq.*

QVÆST. X.

Vtrum lites in Marchiâ Brandenburgensi, Ducatu Brunsvvicensi, Luneburgensi, in Pomerania, Holsatiâ, Meckelburgo, item in Episcopatibus Magdeburgensi & Bremensi, secundùm jus Saxonicum, an verò secundùm jus civile, sint decidendæ?

Ingolstadienses JCti *cons. 22. n. 54. vol. 5.* apertè statuunt, jus Saxonicum etiam, quoad simultaneam investituram receptum esse, non tantùm in provinciis Saxon. vicinis; verùm etiam remotis, ut in Marchionatu Brandeburgensi, Ducatu Brunsvicēsi, Pomerania, Holsatia, Meckelburgo, Episcopatu Magdeburgensi & Bremensi. Cui assertioni non immeritò contradicit, Gœd. *cons. Marpurg. 32. n. 186. vol. 3.* Cujus rationes hæ sunt. 1. Quòd extra territorium jus dicenti impunè non pareatur, *l. fin. ff. de jurisdict.* 2. Quòd par in parem non habeat imperium. 3. Quòd etiamsi, maximè tempore Henrici Leonis provinciarum harum aliquot Sax. Duc. subditas fuisse, probari posset: novum tamen non est desuetudine & inobservantia leges tolli, *l 23. ff. de ll.*

ff.d.ll. 4. Quòd istiusmodi Ducatus hodiè immediatè Imperio sint subjecti, unde nullum dubium, quin Imperii LL. uti censeri debeant. 5. Id optimè colligendum ex ordinatione cujusq; provinciæ, in quibus hoc omninò disponi debeat, scil. quodnam jus in dubio sequi debeant subditi, vel etiam usu quotidiano. 6. Quòd hoc jus sit speciale, & propterea alios non liget, nisi quatenus usu & consuetudine receptum & introductum. Sed quia consuetudo facti, ideoque à parte, quæ eam allegat probari debet, quomodo autem probanda consuetudo, *vide* Cothm. *resp.13.vol.1.* De Megap. *vide Cothm.cons.27.& 28.vol.1.* De Luneburg. Pfeil. *cons.83.n.6.cent.1.&* Knich. *de pact. invest.p.1.c.1.ubi dicit.* Ducat. Luneburg. & Brunsvic. eodem jure uti. De Pomeran. Hartman. Pilt. *quem refert Cothm.d.l.in hæc verba:* Ich weiß nicht anders / als es sey das jus Saxonicum in Meckelburg und Pommern abrogiret und auffgehoben.

DISPVTATIO X.

DE NOBILITATE ET EQUESTRI DIGNITATE.

Resp. *Johan Volpert à* Schlitz / *dicto* Görtz.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

STatibus S.S.Roman.Imper. præcedente disputatione enumeratis & contemplatis; ad alia Imperii membra transitum nostrum instituimus. Et quia

quia proximum à Statibus locum sibi vendicant Nobiles, ideoq3, antequam ad alia progrediamur, hâc disputatione de Nobilitate & Equestri dignitate videbimus.

Thesis I.

Illud imprimis scire oportet. Nobiles à noscendo dici, veluti noscibiles: & nobilitatem tanquam noscibilitatem, præ cæteris notam esse, claram, illustrem, apertam, spectabilem, conspicuam atque hominum sermone celebratam. Nã & ita Nobilem, quem veteres per G. Gnobilem scribebant, accipi, multis antiquorum scriptorum testimoniis probant, *referente Tiraq. de Nobil. c. 2. in pr. Festus Pomponius & Nonius Marcellus, & inter alios Plautus in Pseudolo.*

2. Hinc nobilem dictum alii volunt illum, qui virtute sua præfulget & cuivis noscibilem & conspicuum se reddit.

3. Unde nobile etiam dicitur, quod in unoquoque genere excellit. Sed quia hoc modo vocabulum nobile in siniſtrum flecti potest sensum: Sic n. Poppæa, quæ omnem pudorem ejuraverat, nobilis fuit, Tacit. *lib.* 13. & Quintilla, quæ nunquam virginem se noverat, vel alia id genus lasciva bestia nobile scortum appellari solet, ideoque hoc nobilitatis significatum, quia parum præeminentiæ importat, hîc non ulq; adeò attendendum.

4. Germanicum illud von Adel magis nobis arridet, quod vocabulum à Græcorum voce

ἀεθλιος, benè meritum vel præmio affectum significante, descendit, quod tales ob merita in Rempubl. collata ejusmodi dignitatem fuerint adepti.

5. Estque nobilitas apud varias gentes varia, cùm n. non ex jure naturali, sed civili magis proveniat, secundùm mores & instituta civitatis ac gentis variatur.

6. Definimus Nobilitatem, excellentiam beneficio Principis ac legis in aliquem ob virtutes Reipubl. & vitæ communi salutares, & commoda collatam, quâ plebejorum numero quis eximitur & alia privilegia multa consequitur.

7. Concedi id beneficium à nemine potest, nisi à summo Principe, & quibus ab Imperatore id specialiter concessum, ut sunt Archiduces Austriæ, quibus inter alia privilegia, hoc specialiter concessum, ut non tantùm Nobiles, verùm etiam Comites & Barones creare, iisque insignia dare possint, Münsterus *in Cosmogr. l. 3. c. 399.* Ruland. *de commiss. c. 3. n. 23.*

8. Fundamentum & causa veræ Nobilitatis est sola & unica virtus, *l. 7. C. de postul. c. 37. extr. de prabend.* Non ergò immeritò à veris excluduntur nobilibus, qui ob flagitium, aut solam Principis gratiam, titulo ornantur.

9. Non tamen quævis virtus ad Nobilitatem sufficiens est, sed oportet illam esse excellentem, illustrem & Reipubl. & vitæ communi admodum utilem, qualis est Fortitudo & Scientia.

10. Est

10. Est a. nobilitas alia generis seu Gentis & sanguinis: & alia virtutis.

11. Illa est nobilitas à majoribus, virtute rebusque præclare gestis, acquisita & in suos descendentes legitimos translata, die von Vatter und Mutter / und derselben Groß- und Elter-Vatter / auch Groß- und Elter-Mutter von Alters her ererbtes Helm und Schild auffliegen/ oder ihr Geschlecht und Herkommen mit acht oder zum wenigsten mit vier Ahnen erweisen können. Hæc v. personæ est propria, & est vel personalis vel hæreditaria.

12. Nobilitatem transferri diximus in descendentes, idque ad differentiam ascendentium & collateralium, ad quos nobilitas filiorum & cognatorum nullo modo pertinet.

13. Proinde non ad omnes descendentes transit, sed solùm ad legitimè natos; non etiam ad nothos & spurios, quia tales non patris, sed matris conditionem sequuntur, *l. 10. l. 24. ff. de stat. hom.* nec cognationem à patre consequuntur, *l. Spurii, ff. unde cog.*

14. Cùm ergò liberi debeant esse de sanguine parentum, nam propterea transfertur nobilitas in liberos, quod magna spes sit, fore, ut liberi quemadmodum sunt pars suorum parentum, parentis etiam virtutem ejus amore incensi acceptent, sequitur, ignobilem ex adoptione nobilem non fieri, quemadmodum id ipsum *disp. 4. q. 5.* pluribus demonstravimus.

Nam juxta Horat. 4. Od. 3.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum -- Virtus.

15. Privilegia & jura nobilitatis sunt varia, de quibus latè *Tiraq. tr. de nob. c. 20.* Potissima a. hæc sunt. 1. Quòd in adsequendis Magistratuum muneribus prærogativam habeant & ignobilibus præferantur, *l. 14. §. 3. ib.* origo natalium, *ff. de muner. & honor. Novell. 15. in pr. ib.* Viri quidem obscuri, *& c. & c. 1. in pr.* universi nobiliores, *& c. 6. in fin.* unumquemque nobilium. 2. Quod testimonii dicendi vel jurisjurandi præstandi causa domo ad tribunal non evocentur, sed judex ad eorum domum notarium, à quo examinentur, mittere teneatur, *l. 15 ff. de jurej.* 3. Quod quamvis de crimine aliquo, excepto majestatis, suspecti & legitimis indiciis onerati, quæstionibus seu tormentis subjici nequeant, *l. 4. C. ad L. Jul. Majest l. 11. C. de quæst. l. 10. C. de dignitat. l. 33. C. de decur.* 4. Quod si quid deliquerint & pœna corporis infligenda venerit, mitiùs puniantur, quàm plebei, nisi crimen sit atrociissimum, *l. 6. in pr. ff. ad L. Jul. pecul. l. 4. §. 1. & l. ult. §. 1. ff. de incend. ruin. naufr.* 5. Quod ob æs alienum, cui dissolvendo propter inopiam sufficientes non sunt, neque bonis cedere, neque creditoribus in servitutem addici, neq; in carcerem conjici, neque ultra, quàm commodè facere possunt, excuti debeant, adeoque iis relinquendum, unde commodè vivere possint, & quidem sumptus amplio-

pliores; quàm ignobilibus *arg. l. 6. & l. 18. ff. de re judic. c. non cogantur. d. 41.* 6. Quod ob delictum aliquod ad pœnam pecuniariam damnati, si solvendo non sint in corpore luere non cogantur, Cov. *2. var. resol. c. 9. n. 4. in fin.* 7. Quòd sint immunes à muneribus publicis, ideoque non teneantur excubias agere, nec milites hospitio excipere, nec diurno aut nocturno tempore ad portas vigilare, nec loricis aut armis, quæ aliis imponuntur civibus, instructi esse, nec simile munus obire, *l. 4. 7. & 14. C. de dignit. adde l. 6. ubi Dd. C. de prof. & Medic.* 8. Quòd per procuratorem comparere possint in criminalibus, *l. ult. C. de injur.* 9. Quod possidentes immobilia satisdare non cogantur. *l. 17. C de dign.* 10. Quod si condemnentur propter crimen suspendio dignum à furcæ supplicio sint immunes, *arg. l. 28. §. 2 ff. de pœn.* Schrad. *de F. p. 9. c 3. num. 66.* Clar. *§. fin. q. 60. n. 24.* 11. Quòd non debeant pro delictis in carcere detineri, Luc. de pen. *in l. 15. col. 5 vers. 8. C. de Dignit.* Bald. *in l. 2. C. de exhib. re.* Nisi semel aufugerit à Palatio, quod illi fuerat loco carceris assignatum, Tiraq. *tract. de nobil. q. 20. n. 32.* 12. Quòd si tutor nobilis palàm per interpositam personam seipso auctoritatem præstante rem pupilli emat, non præsumatur fraus, sed valeat emptio, *l. 5. §. 3. junct. §. 4 ff. de auth. tut.* Tiraq. *d. l. n. 45.* 13. Quod nobiles ignobilibus sint præferendi in sessionibus, salutationibus & aliis id genus præferentiis uti idipsum pluribus probat,

Tiraq. *d. tract. an. 51. ad n. 55.* *Plura vide apud* Tiraq. *loco allegato.*

16. Porrò nobiles, quoad statum Imperii duplices constituuntur: Quidam enim sunt Imperii liberi: Quidam Principibus & Ordinibus subjecti: Illi immediatè & directò parent imperio, unde etiam appellantur, die Freyen vom Adel/ die Freye Ritterschafft. R. A. zu Augspurg/ *de An.* 1555. §. Und in solchen frieden / Cammergerichts Ordnung/ *part. 2. t. 5.* Et à loco in tres distribuuntur classes: in Franconicam, Suevicam & Rhenum, die Freyen vom Adel im Lande zu Francken/ Schwaben/ und am Rhein. R. A. zu Augspurg/ *de Anno* 1500. Wie man mit der Ritterschafft zu Francken / Schwaben und Rheinlande handeln soll R. A. zu Speyer/ *de Anno* 1542. §. Demnach haben wir / ꝛc. Et hi non minùs quam reliqui status Imperii immediatè Imperio subsunt, constitutionibus Imperii, de immediatè Imperio subjectis loquentibus comprehenduntur. Habent præterea jus & privilegium Austregarum, Cammergerichts Ordnung/ *p. 2. t. 3. ib.* Ritter oder andere des Adels *& t. 4. l.* die vom Adel/ *& tit 5. ib.* Edelman oder Knecht dem Reich ohn Mittel unterworffen/ in quo civitates Imperiales, tanquam eo privilegio carentes superant: Deinde gaudent beneficio constitutionis de pace religionis, nec minùs quam Imperii status contribuunt, tantaque eorum ab Imperatore Rudolpho. II. ratio habita, ut

Anno

Anno. 1592. Cameræ Imperiali mandârit, ut eos in suâ libertate, ejusque possessione, vel quasi manuteneret adversus potentiores, & non facilè exceptiones subjectionis, ab iis objectas, attenderet, nec sub prætextu superioritatis contra libertatem eorum pronunciaret. Præjudicium Cameræ in verbo Nobilitas, §. die Franckischen.

17. Et quia cum liberis Nobilibus Imperii, maximam habent affinitatem arcium nobilium possessores vulgo: die Ganerben/Burggraffen oder Burgleute / ideoque de his quædam adjiciemus.

18. Est autem vocabulum Ganerben vocabulum corruptum & cõtractum ab Erben/quasi dicas Gemeinerben. Unde etiam ab aliquibus Condomini appellantur. Vel ut alii volunt, est compositum ab antiquo germanico Gaan/quod hodiè significat gönnen/ exoptare, precari, non invidere, quasi Ganerben sint, welche ihren Erben gönnen Frieden und Einigkeit.

19. Ganerbiatus enim introductus est illo tempore, da das Faustrecht im schwanck gieng. Cùm enim latrones in arcibus suis, sui generis homines latrones in den Raubschlössern latitarent, tunc arces munitiores sibi extruxerunt Nobiles honestiores & excellentiores, in quibus cum familiis suis & rebus pretiosioribus ab aliorum invasionibus violentis tuti essent. Ut autem conjunctio bonorum eò major, fortior, & constantior

stantior esset, & se, suos, suaque eò meliùs defendere possent, fraternitates & confœderationes certis contraxerunt legibus.

20. Est ergò inter Ganerbios quædam societas, fraternitas & confœderatio, sui causâ coita, certisque adstricta legibus, quas leges seu conventiones appellarunt den Burckfrieden. Cujulmodi arces Ganerben Häusser sunt hodiè, arx Rotenburgensis, non procul Norimbergâ dissita. Item Salzburgensis ad Salam in Franconiâ item Fridburgensis in Wetteraviâ, quæ arx imprimis est celebris Ganerbiatus, habens Burggravium peculiarem, familias Splendidissimas, leges item inter Condominos constitutas plurimis dotatas regalibus & privilegiis, & est immediatè Imperatori, tanquam Domino feudi subjecta. Neque minus est celebris arx ob jus Ganerbiatus, quod habet Reiffenberga infra Francofurtum sita, &c. Sunt præterea & quædam civitates Ganerbicæ, ut Creuzenacum, oppidum situm ad Rhenum, habet condominos Electorem Palatinum & Marchionem Badensem. Sic Smalcaldia, dum viverent Comites & Principes Henebergenses, ex parte dimidiâ ad ipsos, ex alterâ ad Landgravios Hassiæ pertinuit, qua hodiè Landgravius solus potitur.

21. Hinc Burckleute dicuntur illi, die da Bürger sein einer gemeiner Burck und Friedens. Nulla proinde inter illos & alios vasallos est differentia, quàm quod certis pactis & conditioni-

ditionibus societatis seu fœderis vivant. Quanquam enim aliquis in ipsorum societatem receptus & condominus factus sit, in aliis tamen rebus persona ipsius non mutatur, neq; desinit esse Vasallus vel subditus illius Domini, cujus erat antè quàm in Ganerbiatum daret nomen aut cooptaretur.

22. Et quamvis interdum totum Collegium sive corpus Condominorum sua habeat privilegia & regalia ab Impp. sibi concessa: tamen ea non sunt singulorum condominorum, sed pariter omnium. Sic neque status Imperii sunt omnes, quamvis nonnunquam Baronatus & similia feuda possideant.

23. Pacta autem inter eos inita varia esse possunt plerumque tamen conveniri solet, ut maximus natu sit administrator, qui & judicis loco est, unde etiam Burggravius appellatur à veteri verbo Gravio, quod judicem significat. Hinc pro onere administrationis partem aliquam fructuum habet præcipuam, & reliqui fructus dividuntur æquis portionibus inter reliquos Condominos & socios fœderis.

24. Et quia nonnulli à priscâ virtute degenerârunt, dum alios non tantùm opprimere, verùm etiam confratres & socios alios opprimentes receptare cœperunt, audacia eorum publicis legibus est coërcita. In Königlichen Landfrieden zu Wormes/ *de Anno* 1495. auffgerichtet/ *tit.* die Pön der Friedbrecher/ *ibi:* daß jhr Leib

und Gut. *Item* Röm. Käys. Majest. Landfried/ auff dem Reichstag zu Wormbs/ *de Anno.* 1521. auffgericht/ die Pön aller Friedbrecher/ *Item* Erklärung des Landfriedens zu Augspurg/ à Max. I. *de Anno.* 1500. wider der Ganerben Schloß. Cujus verba accuratè repetuntur in der Ordnung des Landfriedens zu Wormbs/ *de Anno.* 1521. *tit.* wider der Ganerben Schloß. *Item.* Cammergerichts Ordnung/ *de An.* 1555. *part. 2. tit. 13.* Daß wider die Ganerben so die Aechter zu ihrer Ganerbschafft zulassen/ &c. Et tantum von den Bürgern einer Burg/ oder Burgmännern hâc vice dixisse sufficiat.

25. Hucusque de nobilitate sanguinis, & ea, quæ hæreditaria, sequitur Nobilitas personalis seu scientia, quam quis, licet infimo genere natus, propter singularem literarum scientiam, gradu Dd. assequitur *l. 7. C. depost. ul.* & J Ctus Ulp. Nobilis est dictus. *l. 2. in fin. ff. de excus. tutor.* quinimò nobilissimus. *l. 4. in fin. ff. eodem.*

26. Doctores ergò præter animi & veram Politicam nobilitatem, in omnibus jam prædictæ nobilitati comparatam, consequi nullum prorsus est dubium. Differunt in hoc, quod illa hæreditaria, hæc personalis. Et quòd illa præter nobilitatem, dignitatem etiam Equestrem annexam habeat.

27. Hinc omnibus etiam privilegiis, cum prædictis Nobilibus, Doctores gaudent, iisque utuntur. Quamobrem & eminentiore loco præ aliis

aliis ſedere, aliosque præcedere debent, *ut notat gloſſ in 2. verſ. verò, in verb. altiori, Inſtit. de bon. poſſ. adde l. ult. C. de off. diverſ. judic.* Et injuria illis facta, pro atroci reputatur injuriâ, proindeque graviùs, quàm plebejo impoſita coërcenda eſt, Men. 2. *de A. l. Q. c. 3. caſ. 263. n 17.* Quin & plus fidei iis, quàm hominibus plebeis tribuitur, *arg. l. 3. ff. de teſt. Novell. 90. c. 1.* Hinc ſi duo ſaltem Doctores teſtes ſint ex unâ parte, præferuntur tribus aliis ex aliâ parte contrarium deponentibus *c 32. ubi gl. de teſtib.*

28. Proinde licitum eſt Doctoribus ſine ſpeciali Impp. conceſſione, nobilium inſignia cum apertis galeis, Wapen mit einem offenẽ Schild und Helm/ gerere & uſurpare (dummodò ab inſignibus certæ familiæ propriis abſtineant) quod privatis conceſſum non eſt, *arg. l. 27. §. ult. ff. ad L. Corn. de falſ. Chaſſ. d l p. 1. concl. 23.*

29. Eſt & alia nobilitatis ſpecies, tẽporaria dicta ad hæredes non tranſiens, qualis olim fuit ordo patricioru, qui honorarii conſules dicti. Hodiè ſunt Comites Pal. & Equites aurati, qui ampliſſima ſæpè habẽt privilegia ab Impp. ſed quàm turpiter iis ſæpè abutantur, experientia teſtatur.

30. Cùm a. ſine honore Nobilitas conſiſtere nequeat, ſequitur eam per infamiam & vitæ turpitudinẽ amitti, *c. 15. c. 2. q. 5. l. 2. C. de ſecund. nupt. & l. 1. C. ubi ſenat.* adeò, ut etiam filiorum nobilitati, poſt delictum tamen & abrogatam nobilitatem, non parum præjudicet, *l. 11. C. de quæſt.*

31. Quod

31. Quod de infamiâ & vitæ turpitudine, idem quidam de paupertate & agriculturâ adstruere non sunt veriti. Sed absurdissimè. Quamvis a vulgò Nobiles pauperes ludibrio esse soleant, quandoquidem

Et genus & virtus nisi cum re, vilior algâ est.
Hor. 2. Serm. Sat. 2. Atque sic decora à majoribus parta illis magis oneri sint: non tamen ideò privilegiis Nobilitatis excidunt. Absint licet Nobilitatis fulcra & columnæ, divitiæ; ipsa tamen nobilitas & Generositas manet, *arg. l. 7. C. de incest. nupt.* Stob. *ser. 86.* Tiraq. *cap. 25. n. 1.* Schönb. *l. 3. c. 39.* Quod ad agriculturam attinet, disting. *Arist. 7 Pol. 9. & 10.* Inter possessores agrorum & inter cultores, qui ad servilia opera non parùm deflectunt & ad sordes abeunt, Arnis. 1. *Polit. 13. p. 314.*

32. Porrò advocandi & judicandi munus, nullam Nobilitati maculam inurere potest, præsertim si in summo Imperii Tribunali id fiat, nam & laudabile est advocatorum officium, *l. 4. C. de advocat. div. judicum* & honorarium, *l. 6. in fin. ib.* honori suo, *C. de postul.* Ita Germani, cum causas orasse, *ex* Suet. *in Calig. cap. 3. refert* Schönb. *d. l.* præterea nulla major potest esse gloria, quàm præesse judiciis, per quæ conservatur hominum societas, *l. 5. in prin. ff. de jur. immunit. l 3. §. 1. ib.* jure honoris, *ff. quod metus causa l. 19. in fin. ff. de off. præsid.* Nec desunt exempla Nobilissimorum hominum, qui juri dicundo præfuerunt, Schönb. *d. l.*

33. Hinc

33. Hinc gradu Doctorum nobilitatem obfuscari & deleri, minimè putamus, Kirch. *in orat. de Ducibus & Equitibus Germ.*

34. Eum verò, qui illicitas exercet artes, indignum nobilitate se facere, certissimum est, *l. 2. C. de secundis nupt. l. 1. C. ubi senat. vel clariss. c. nobilis, 2. q. 5.*

35. Sordidarum porrò artium exercitiis non tantùm obfuscatur Nobilitas, verùm etiam planè tollitur. Indigna ergò nobilioribus videri debet omnis Negotiatio vel minimi lucri causâ suscepta, *l. 3. C. de comm. & mercat. l. 6. C. de dign. Mynsing. 6. obs 54.* Tiraq. *de Nobil. c. 33.* Nisi hoc ipsum summâ necessitate alicui impositum sit. Nam & M. Æmilio Scauro nihil offecit, quod pater ipsius paupertate coactus carbonariam exercuisset, Jacob. Curt. *tom. 1. conject. l. 2. c. 19.*

36. Et tantùm de nobilitate; jam de equestri dignitate paucula adjiciemus.

37. Est a. equestris dignitas tanta, ut secundum post clarissimatus dignitatem gradum obtineat, *l. un. C. de Equestri dignit.*

38. Qualis verò clarissimatus dignitas fuerit, inter interpretes non convenit. Nos a putamus Clarissimatus dignitatem fuisse eam, quæ tributa est Senatorio ordini. De eo n. constat, consulatus dignitatem fuisse illustrem: & senatores Clarissimos appellatos esse. Cùm ergò Equites secundùm gradum post Clarissimatum habeant,

sequi-

sequitur, eos, post senatores locum habuisse, atq; sic spectabiles nominatos. *Uti ex Accurs. Odofred. in præall. l. uñ.*

39. Est ergò equestris dignitas spectabilis & primum gradum post Principes & Barones, in civitatibus obtinet. Ita n. ab Imp. creari solet. *Te N. N. præsenti nostro edicto, & de plenitudine nostræ Cæsareæ potestatis militem sive equitem auratum facimus & creamus, ac titulo & dignitate militari decoramus, & ad statum & ordinem militarem assumimus, militaris quoque cinguli & balthei decore, fasciibusq; & stemmate accuratæ militiæ insignimus & fortitudinis gladio accingimus, ac aliorum militum numero & consortio clementer ascribimus & aggregamus, volentes & decernentes, quòd deinceps ubivis locorũ & terrarũ pro vero milite habearis & honoreris, possisque & debeas pro hujusmodi susceptæ dignitatis ornamento, torquibus, gladiis, calcaribus, vestibus, phaleris, seu eorum ornamentis aureis, cæterisq; omnibus & singulis privilegiis, gratiis, dignitatibus & franchitiis uti, frui, gaudere quibus veri strenui, per nos stricto ense facti & creati milites utuntur, fruuntur & gaudent, & etiam admitti, ad quæ illi admittuntur, quomodo libet, de consuetudine vel de jure.*

40. Et cùm ordinem nobilium, militiæ ergò habere oporteat, Quâ etiam de causâ, militum nomen in Feudalibus consuetudinibus, pro nobili usurpatur, eò, quòd nobilium proprium sit, pro patria militare. Et ante vel circiter annos.

200.

200. soli in Germaniâ & Italiâ Nobiles militabant, & solo ferè equitatu omnis constabat eorum exercitus. Rectè Nobiles adhuc Equitibus Romanis vel auratis æquiparantur, & Equites die Ritterschafft appellantur.

41. Sed quia præter Nobiles, diversi sunt ordines Equitum, ideoque de his quædam adjiciemus.

42. Tres ordines Equitum primùm cæpisse Hierosolymis, Volateranus *Anthropologiæ l. 21. c. 6. tit. ordines militares*, ait, utpote: 1. Ordinem S. Johannis Baptistæ, qui postmodum Rhodii appellati, nunc Melitenses. 2. Templariorum. 3. Sanctæ Mariæ Teutonicorum.

40. Initium S. Johannis Baptistæ ordo sumpsit tempore Phocæ Imperatoris. Is n. imperavit Constantinopoli circa Annum salutis 700. Volat. *d. l.* Initium hic ordo habuit perexiguum, quia Xenodochium tantùm erat pauperum, quod hospites excepit eos, qui sanctam terram & sepulchrum visitatum venerunt, ubi v. à Gotefredo Rege insula Rhodus ipsis concessa, incrementum cœpit maximum atque sic magister ejus ordinis creatus fuit, qui aliis jus diceret & præesset. Ubi verò Rhodo sunt expulsi hi milites à Solimanno Turcarum Imperatore Anno 1523. Insula Melitensis illis à Carol. V. est concessa. Unde germ. die Johañiter/Rhodisische oder Maltheserische Ritter appellantur.

44. Templariorum ordo ob nefanda facinora à

ra à Clemente V. sublatus est An. 1312. *Ut etiam scribit* Plat. *in vita Clementis Quinti &* Pol. *de Invent. rer. l. 7. c. 5. & Robertus Gaguinus in vita Philipp. pulchri Regis Francorum.*

45. Ordo militum Sanctæ Mariæ Teutonicorum Germ. der Teutsche Orden jam satis in Germania cognitus.

46. Alii quoque ordines plurimi in Hispania creati sunt, ut milites S. Jacobi de Spatâ, ordines S. August. It. milites de Calatravé ordinis Cistercienſis, à provinciâ caletravè sic appellati. Item milites Jesu Christi in Lusitania. Item ordo Sepulchri & alii, de quibus Volat.

47. Sunt præterea complures militum ordines erecti à diversis Pontificibus, ut militum S. Petri: S. Pauli: Lauretanorum, S. Georgii, S. Lazari, Liliatorum, & poltremò militum Piorum à Pio IV. Pontif. creatorum.

48. Erectus etiam est noviſſimè An. 1561. à Cosmo Medices Illustrissimo, Excellentissimoque Florentiæ Senarumque Duce, &c. probante Pio IV. Pontifice, ordo militum S. Stephani ad fidei Catholicæ defensionem, marisque mediterranei ab infidelibus custodiam & tuitionem, cujus Magister erat ipse Dux, & post eum ejus successores.

49. Sunt & alii ordines merè laici, ut ordo aurei velleris vulgò del Tosone, qui nunquam excedit numerum quinquagenarium. Institutus ille est à Philippo Burgundiæ Duce: trans-

latus

latus per successionem in invictissimum Carol. V. & sic ad Reges Hispaniarum pervenit.

50. Rex quoque Gallorum suum habet ordinem, quem S. Michaëlis appellant, ad quem admitti non solent, nisi proceres & Principes. *Plura de his vide apud* P. Calefat. *ICtum in tract. de Equestri dignit.* Et tantum de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum Nobiles immediatè imperio subjecti sint Status Imp.

Non desunt, qui immediatos Nobiles Statibus Imperii annumerant, propterea, quòd ut cæteri Status contribuant, & olim Comitiis etiam interfuerint, Goldast. *tom. 1. const. Imp. p. 143. Item Ludov. Gremp. à* Freudenstein / *& Hieron.* zum Lamb / *in responso solivago*, der Erbaren Frey- und Reichs-Städt / Session / Stand und Stimm belangende / §. Zu der vierdten objection. Verùm si hodiernam faciem Rom. Imp. & essentialia Statuum requisita consideraverimus, sive immediatè, sive mediatè imperio subjecti sint, attamen propriè loquendo Status Imperii non sunt. Repugnat n. primo ipsa matricula statuum imperii, in quâ non inter status numerantur. Deinde reclamat experientia, nam ad Comitia Imperialia non vocantur, neque sessionem & jus suffragii habent. Proinde distinguendum est inter immediate Imperio subjectum, seu membrum Rom. Imp. & statum Imperii, hæc enim

sunt diversa, à quibus ab uno ad aliud non valet illatio.

QVÆST. II.

Vtrum divitiæ nobilitent?

Divitias nobilitatem esse, vel certè nobilitatis speciem, affirmarunt ex veteribus plurimi, utpote Euripides in Archelao his verbis: *Ne reddideris eum divitem, nam si pauperior sit, humilis erit. Ingens autem vis est divitiarum, quas qui nactus est, statim nobilis evadit.* Idem *in Æolo his verbis: Nobilitatis mentionem amabo ne mihi feceris. Hoc enim in pecuniis situm est.* Idem *in Erechtheo, in Iphigenia & aliis plurimis locis.* Cui accedit etiam Aristot. 4. *Polit. 4.* qui postquam recensuit multa plebejorum genera illud confestim subdit: *Nobilium opulentiam & claros natales differentiam facere inter plebejos & nobiles.* A quorum sententiâ non procul abit Alber. *in l. Imper. ff. de Dec. ubi expressè dicit*, divitias nobilitare. *Item* Bald. *in cap. super eo 20. in fin. extr. de test. ubi dicit*, eum satis esse nobilem, qui dives est. *Item Bart. in l. nobiliores. res. C. de Commer. & merc.* tria facit nobilitatis genera scilicet natalium, honorum & divitiarum. Quò inter alios Horat. *l. 4. Epist. 1.* respexisse videtur, quando ait:

Et genus & formam regina pecunia donat:

Huc facit, quod pecuniæ obediant omnia, exemplum nobis suppeditat *Ecclesiasticus, c. 13. v. 28. Dives locutus est & omnes tacuerunt, & verbum*

verbum ejus usque ad nubes perducent ; pauper locutus est & dicunt, quis hic est? Pecuniæ proinde appellatione omnia continentur, *l. pecuniæ ff. de V.S. & c. totum* 1. *quæst. 4.* tanquam omnes res habeat, qui habet pecuniam, *uti notat* Bald. *in l. repet.* C. *de const. pec.* Hæc ergò opinio tam altè radices in quorundam hominum animo egit, ut non modò copias, opes, fortunas nobilitatem ingenerare putent, verùm etiam ab inopiâ decus omne nobilitatis aboleri & obliterari: Atque sic apud Rom. pauperi non licuit ingredi senatum, Liv. *l.* 1. *Curia pauperib. clausa est*, inquit Ovid.

Verùm opinio ista applausum minimè meretur, siquidem constat veram nobilitatem in solâ virtute consistere, ut est communis ; Philosophorum, Theologorum, JCtorum, Poëtarum & Historicorum opinio pro quâ etiam acerrimè pugnant Hieron. *ad Demetriad.* Cardin. Florent. *in c. pen. de præbend.* Luc. de penna *in l. 13. C. de Dignit.* Salic. *in l. 7. C. de post.* Lactantius *lib. 5. de justitia, c. 16.* Negamus proinde Nobilitatem inopiâ extingui, siquidem & Æmil. Scaur. generis claritatem in inopia retinuit, Val. *lib. 2.* Non verò diffitemur, nobilitatem per divitias ingentem nanciscì splendorem & verè magnificam reddi, ut unanimiter concludunt Bart. *in l. 1. C. de dignitat.* Benedict. *in c. Raynutius num.* 132. Matth. de Afflict. *in cap. un. Quis dicat. Dux. Natt. in tract. de statut. quæst. 3.* Quin imò sæpè ex divitiis surgit nobilitas,

Salic. *in l. furiosi, C. de nupt.* & Angel. *in l. si quis uxori, §. cum Titio ff. de fur.* Et Cepolla *in tract. de imper. milit. delegendo, in materia nobilitatis, col. 1.* Francisc. Ripa *in cap. ad aures colum. 7. vers. tertio quæro de rescript.* Verum Nobilem non faciunt. Proinde distinguendum est inter causam essentialem & accidentalem Nobilium. Divitiæ n. faciunt ad splendorem & magnificentiam Nobilium, uti antea dictum, siquidem honos mundanus inanis res est, nisi operibus sustentetur, Æn. Syl. 71. Quo sensu Curt. *in tr. de Nobil.* sic loquitur: *Quemadmodum fides sine operibus est mortua: ita Nobilitas sine divitiis:* à quo non multùm abludit illud: *nobilitas sine bonis est, quod Doctor sine lege & Canonicus sine præbenda, ut habet* Andr. Knich. *de Sax. non provoc. jur. c. 3. n. 228.*

QVÆST. III.

Vtrum feudum nobilitet, & Regalia possidenti conferat?

Invenies non paucos, qui statuunt, infeudationem non tantùm Nobilitatem, verùm etiam regalia conferre. Quemadmodum inter alios, Wes. *cons. 60. n. 30.* Pruckm. *de regalib. c. 4. n. 34. Vult. de F. l. 1. c. 5. n. 7.* Nobiles iis annumerant, qui regalia possident. Verùm utrumque veritati repugnat, idque facilè patet ex eô, 1. Quòd opinio illorum nullo certo fundamento sit subnixa. 2. Quòd nobilitas & ignobilitas sint qualitates non rei, sed personæ cohærentes, siquidem resà

persona

persona, & nō persona à re conditionem & qualitatem suam desumit, *l. 1. in fin. C. de impon. lucrat. descript.* Et res hominibus accedunt, non verò rebus homines, *l. 44. pr. ff. de ædil. edict.* Hominum n. causâ sunt omnia, *l. 28. §. 1. de usur.* Hinc Luc. de pen. *in l. 4. in fin. C. de incol.* addit, quòd rusticus, emens feudum nobile, non fiat nobilis, tum per eum tex. ubi, qui emit domum decurionis, non propterea fungitur munere Decurionis, *cui addit l. 2. C. de prad. & om. reb. navic. ubi* Navicularis non fit, qui emit rem navicul. Hinc Pericles apud Thucydidem *l. 1.* rectè ait: *Possessiones non viros, sed viri possessiones nanciscuntur.* Neque n. locus hominem sanctificat, sed homo locum, *c. multi, & c. illud, & c. nos qui, dist. 40.* Hinc Josephus Hyssoparus Rabbi in libello, cui titulus, *Lanx argentea*, rectè scribit: *Virū loco dare honorem, & non vicissim locū viro.* Sic etiam uti rectè Masver. *Tit. de Talliis, §. item & la porsona:* Persona rem nobilitat & non res personam. 3. Quòd à persona concedentis videl. Imperatoris, aut ejus, cui nobilitandi potestas est, tota dependeat Nobilitas. 4. Quòd huic sententiæ repugnet experientia ipsa, & totius Germaniæ consuetudo receptissima, quâ civis vel rusticus nobilis non habetur, quamvis nobile feudum possideat, uti neque Nobilis, Comes vel Dux dicitur, quamvis Comitatum & Ducatum possideat, sed tantùm possessor salutatur, ein Einhaber der Grafschafften oder Fürstenthumbs / nisi nobilita-

tem suam ab Imperatoriâ Majestate obtinuerit, & Nobilis cum Comitatu & Ducatu ab Imperatore investitus sit. Proinde quamvis multi reperiantur Nobiles, qui simul etiam regalia, jurisdictionem omnimodam & superioritatem in suos habeant, illa tamen non obtinent ea ratione, quâ nobiles sunt, sed quod legitimis modis vel peculiari concessione & largitione Principum vel etiam consuetudine & immemoriali temporis usurpatione vel 30. & 40. ann. præscriptione, sibi eadem acquisiverint. Constat enim Nobilium dignitatem non esse regalem, & in eo differre à Principum, Comitum & Baronum dignitate, quæ cum regalitate conjuncta.

QVÆST. IV.

Vtrum liberi ante acceptam à Patre Nobilitatem nati, æquè nobiles sint ac post nati?

Nobilitatem veluti ex traduce, in posteros, ut qui majorum suorum conditionem sequuntur, descendere, certissimum est & optimè probatur, *ex l. 1. ubi Bart. & Johan. Plat. & in l.* 11. C. *de dignit.* Ideò enim dicitur nobilitas generis, *in c. nullus Episcopus, dist. 38.* Verùm utrum æquè nobiles sint liberi, ante acceptam à patre nobilitatem, ac post nati, de eo non levis est controversia. Et sunt, qui id de consuetudine affirmant, *utpote* Joh. Rayn. *in tract. de Nobilitate in. 8. q. 5.* Andr. de Barull, & Joan. Plat. Tiraq. *de nobil. quæst. 15.*

Verùm

Verùm de jure contrarium *cum* Mol. *ad consuet. Paris. §. gloss. 1. ad fin.* Costald, *ad l. 5. de stat. Hom.* verius esse, putamus. Nobilem enim vel propria virtus facit, *l. 7. C. de post. & c. nos qui, & c. illud autem, dist. 40. & c. nunquam, dist. 56.* vel natura & jus sanguinis, *arg. l. 1. C. de jur. aur. an. & l. 3. C. de mercatoribus.* Ita tamen ut à parentibus veluti ex traduce atque coruscatione clari stemmatis, & sanguinis, prærogativa nobilitatis ad liberos transeat, *gloss. in l. 9 ff. de gr. & ad fin.* Tiraq. *de Nob. c. 15. n. 6.* Non ergò ex jure filiationis nobilitas quæritur, sed ex coruscatione stemmatis per traducem & sanguinem. Et huc faciunt multi text. utpote. *l. 11 C. de dign.* in qua expressè distinguitur inter natos ante & post dignitatem patris, ut videlicet illi sint privati, hi verò potiantur dignitate patris. *Item est tex. in l. 61. 63. 64. penult. & ult. C. de Dec.* Idem affirmat etiam Bart. *ad l. 2. §. in filiis. ff. de Dec.* ubi dicit, istiusmodi liberos non puniri ex statuto aggravante pœnam nobilium, quem in hoc casu expressè refert & sequitur Bald. *in l. 23. §. 5. Cod. de nupt.* & Joan. Plat. *in l. 4. C. de Decurion.* & Car. Alexand. *in c. jamitaque, 1. quæst. 4.* Idem etiam defendit Besoldus *in disp. de jure & ordinib. civium, Class. disp. Polit. 2. thes. 50.* Id quoque etiam vult *gloss. in l. 5. ff. de Senatorib.* ubi inquit: *quod natus ex illustri ante dignitatem adeptam sit clarissimus solùm, contrà verò natus postea sit illustris*

ut pater, quod idem dicit gloss. in l. 11. C. de dign. Hoc a. libenter concedimus liberos antea natos ex nobilitate parentum, nonnihil fieri digniores, & clariores, nobiles verò exinde reddi, nulla ratione sequi putamus.

QVÆST. V.

Vtrum uxor ignobilis Nobili nubens, liberis inde prognatis, nonnulla privilegia Nobilium adimat?

Cùm eadem reverentia, quæ marito debetur, etiam uxori debeatur, nullum est dubium, quin uxor ignobilis Nobili nubens fiat Nobilis, uti idipsum multis textibus juris probatur, *l. 8. ff. de senat. & l. 10. & l. ult. ibi,* & sentiat ejus fulgorem, *C. de nupt. & l. ult. C. de incol. & l. 13. C. de dign.* Et in specie de nobilitate, pluribus probat. Tiraq. *de Nobil. c. 18. & post leges connubiales, n. 15.* Etiamsi hæc nobilitas tantùm virium & ponderis non habeat, quantum ea quæ ex genere est, aut quam aliquis ex sua persona obtinet, *uti* Tiraq. *ibidem n. 11.* Verùm utrum istiusmodi uxor ignobilis præjudicet ex tali matrimonio prognatis, non est usque quaque expeditum. Et quamvis ex juris ratione nullum videatur esse dubium, qua liberi non matris, sed patris conditionem & statum sequuntur: interim tamen consuetudine introductum videmus, quod in collegia Canonica superiora, auff die hohe Stiffter/ item in Turnir und Ritterspielen non recipiantur, nisi qui ex maternâ quoque linea per longam seriem nobilita-

bilitatem ſuam docere poſſint, vollbürtige Ritters-Leute / die ihre Ahnen mit Schild und Helm beweiſen können/Matth. Steph. *de Nobil. Pol. c. 4. n. 44.* Neque id ratione caret, nam dubium eſt nullum, quin clarior & illuſtrior ſit nobilitas, quæ non tantùm ex parte patris, verùm etiam ex parte matris & ſic ab utroque accedit, Tiraq *d. l. n. 26.*

QVÆST. VI.

Vtrum Nobilis genere, Nobili virtute ſit præferendus?

Satis trita & pervulgata eſt diſtinctio, qua diſtinguitur inter Nobilem genere, ſive natum, & nobilem virtute ſive factum. Non immeritò ergò hoc loco quæritur, uter in ordine & dignitate præferendus? Et quamvis multæ rationes adferri poſſent pro Nobili facto, quod videl. ſua virtute polleat. Et magis id noſtrum ſit, quod per propriam quærimus virtutem, quàm quod per anteceſſores noſtros, *gl. in l. 28 ff. de capt.* Unde Bononienſes, ſemper fecerunt præcedere Doctores egregios, quoscunque nobiles ſanguine. Valdè n. diſciplinatos meritò moribus attollendos eſſe, ait, *l. 6. §. 10. ff. de excuſat. tut. 2.* Quod non rarò orti ex nobili ſtirpe in vitia & flagitia ruant, luxu & faſtu virtutem ſuorum Anteceſſorum obfuſcent. &c.

Contrarium tn. eſt verius: Nobilitas enim, quo antiquior eſt, eo quoque major eſt, & ut ita dicam,

cam, nobilior, id est, quo longiùs procedit eo magis augetur, uti idipsum constat ex multis juris textibus, *utpote l. 2. §. 9. vers. sed & Anatolium, ib.* vir ab antiqua stirpe, *C. de vet. enucl. l. 7. ib.* aut meritum nobilissimos facit aut vetustas, *C. de postul.* Item in jure feudorum, §. *3. vers. si miles adversus tit. de pace tenenda 2. F. 27. ubi non datur facultas pugnandi contra militem, nisi prius probaverit*, quod antiquitus ipse cum parentibus suis natione legitimus miles existat. Ex quo Bald. ita: *Quemadmodum una hirundo non facit ver: ita non intelligitur Nobilis genere, nisi qui probaverit, quod antiquitus majores ejus fuerint nobiles per not. gl. in l. 9. ff. de gradib.* quasi dicat Baldus, *non satis esse, habere patrem Nobilem, nisi majores quoque ejusmodi fuerint.* Hinc enim Bald. *in l. 3. C. de comm. & merc.* ita scripsit: *quandam esse nobilitatem incipientem, quandam crescentem, quandam perfectam*, quasi sentiat: *nullam esse perfectam, quæ sit in principio aut etiam in augmento tantùm, nisi ultra quoque gressa fuerit.* Et in proœm. feud. in penult. divis. ita scribit: *feudum antiquum sapere nobilitatem, non item novum, quia nobilitas non nascitur in ictu oculi.* Hinc Decius *in rubr. de constit. col. 1.* scribit: jus scriptum esse nobilius jure non scripto, quia & antiquius. Neque id tantùm propter antiquitatem & vetustatem, verùm etiam quòd & propria virtute præditi sint, & eximios habuerint majores, quorum dignitas filiis minimè invidenda *l. 11. C. de di-*

de dignit. tum etiam propter spem, quam de illis concipimus, qui ex præclaris parentibus sunt prognati, *ut tradit* Speculat. *in tit. de feud. §. quoniam super vers. 5.* Et quo quisque nobiliore stemmate prognatus est, eo clariori judicio & ingenii rectitudine præfulgere censendus est, uti dicit Imp. Justinian. *in l. 8. C. de SS. Trin. eumq; secuti* Dd. *in d. l. & alii*, Tiraq. *de Nobilit. c. 20. n. 21. ubi plures alios allegat.* Mascard. *de probat. vol. 3. conclus.* 1096. Menoch. *lib. 5. præsumpt. 4. n. 6. & l. 6. præsumpt. 59.* Chasian. *in consuet. Burgund. rubr. 4. §. 25. vers. contre gens nobles, &c.* Hinc distinctione quadam quæstionem concludemus, quæ talis: Quòd & genere & virtute nobilis omninò sit præferendus nobili virtute tantùm; Contra verò si nobilis genere à parentum virtute defecerit, & sic suapte culpa & genere ceciderit, & genus ingenuum improbarit, quod tunc Nobilis virtute commendabilior sit, & ob id Nobili genere præferendus. Ubi considerandum venit illud: *Non est nobilis, qui de nobiliori genere, nisi & ipse bonis polleat moribus*, quod urget Salic. *in l. 7. C. de postuland.*

QVÆST. VII.

Vtrum Doctor sit præferendus Nobili generi?

Non tantùm militiam seu fortitudinem bellicam, verùm etiam scientiam & artem nobilitare, pluribus textibus, juris & auctoribus probari

bari posset, *utpote l. 7. ib.* quos scientia nobilissimos facit, *C. de postul. ubi gl. in verb. nobilissimos, Cyn. Joan. Fab. Bald. Angel. Salic.* Hinc optimo jure Doctores dicuntur nobiles, Cyn. *in d. l. 7. C. de post.* & Bart. Luc. de penn. & Joann. Plat. *in l. 12. C. de dignit.* Bald. *in l. 11. C. de advoc. diverf. judiciorum.* Angel. *in l. sed etsi susceperit. §. 1. de judic.* Joan. Ray. *in tr. nobilitatis in 1. q. pr.* Cepol. *in tract. militum deligend. in materia nobilitatis in 26. opinione.* Hinc JCtus Ulpianus nobilis appellatur, *in l. 2. §. ult. ff. de excus. tut.* quin imò nobilissimus *in l. 4. in fin. ff. eodem.* Huc facit, quod Spartanus in Juliano Imperat. *Juliano*, inquit, *qui post pertinacem Imperium adeptus est, proavus fuit Salvius Julianus, bis consul, præfectus urbi & jureconsultus, quod magis eum nobilem fecit.*

Et quamvis hæc Nobilitas multorum judicio nobilitati generis, quam quis non ex se, sed parentibus accepit, præferenda, *gloss. in l. 5. ff. pro socio*, Alex. *consil. 94.* & Car. Alex. *in proœm. Decret. col. ult.* Felin. *c. 22. x. de testib.* 2. Quòd ita nobiles recipiantur in Canonicos, Tiraq. *d. l.* 3. Quòd magis laudandus sit ille, qui natus ex parentibus prorsus alienis à bonis moribus, sese virtutibus addixerit, quàm qui ex bonis & probis parentibus natus, *gloss. in cap. 4. dist. 56.* quia hic sua sponte, nullo majorum suorum exemplo virtutis viam arripuit, ille verò exemplo suorum majorum ductus. Hinc Plato

post

post initium lib. 9. de leg. *Filiis eorum, qui ob scelera mortem passi sunt, si mores paternos fugerint, qui nati ex malis fortiter virtutem secuti sunt, honorem exhiberi jubet & laudem.* Huic tamen opinioni sese opponunt plurimi. Inprimis *Cyn. in l. 7. C. de postul.* ubi dicit, quòd præferendus sit is, qui sua virtute & parentum imaginibus pollet, ei, qui altero tantùm innititur. Idem Bald. *in l. 3. in fin. C. de Comm. & mercat.* ubi dicit Nobilem dici tribus modis. Primo genere: secundò virtute: tertiò utroque: & hæc est, ait, perfecta nobilitas, scilicet generositas animi magnitudine decorata. Idem *in l. 11. in fin. C. de advoc. div. judicior.* dicit: *Quòd si duo sint aequalis scientiæ, is est magis honorandus, qui est de meliore sanguine; Nobilitas enim gradum adjicit.* Et hoc generale est, ut qui duplici dignitate est cohonestatus, præferri debeat ei, qui alteram tantùm habet. Sic Doctor utriusque juris præfertur Doctori, unius tantùm. Sic Comes & Baro, præfertur illi, qui Comes tantùm. Sunt enim duo vincula fortiora uno. Cui sententiæ, ut veriori nos & nostrum addimus calculum.

QVÆST. VIII.

Vtrum in illegitimos seu spurios Nobilitas descendat?

Affirmativam quæstionis qui tenent, procul dubio his moventur rationibus. 1. Quòd nemo

in 6.

debeat alterius odio prægravari, *c. 22. de R. I. in 6. & l. 74. ff. de R. I. & l. 6. ff. de decur. l. 26 ff. de pœn.* 2. Quòd æquè ex sanguine & stemmate nobili & claro sint prognati, quam legitimi.

Verùm contrarium verissimum. Sordes enim non merentur poni inter præcipuos, *l. 7. C. de incest. nupt. & idem* Bald. *in c. innotuit. col. ult. vers. nota quòd nobilitas, de elect.* ubi etiam dicit, quòd nobilitas patris filios degeneres non possit nobilitare, etiamsi mater fuerit defiorata vi vel dolo. 2. Quia bastardi non decidunt ab aliquo fonte nobili, sed à sanguine putrido. 3. Quòd nobilitas non transmittatur ad posteros, nisi per legitimum modum & lineam, Bald. *in l. 19. col. 3. in 8. q. in pr. C. de jur. delib.* 4. Quia illegitimi nullam cognationem vel agnationem retinent ex parte patris, *per l. 4. ff. unde cogn.* Cùm ergò non sint de domo & familiâ naturalis parentis, Tiraquell. *de Nobil. c. 15. n.* 12. Sequitur nobilitatem à patre naturali illos consequi non posse. Quin imò infamiam facti evitare non possunt, uti idipsum pluribus probatur, *disp. 6. Polit. quæst. 7.* ubi ad 1. argumentum Negativè responsum: Ad secundum Resp. per rationem secundam. Non enim à fonte nobili procreantur bastardi, sed potiùs à sanguine putrido. *Plura vide apud* Tiraq. *d. tr.* 6. 15.

QUÆST.

QVÆST. IX.

Vtrum per subsequens matrimonium legitimati consequantur nobilitatem?

Rationes dubitandi potissimum hæ sunt. 1. Quod tanta sit matrimonii vis, ut omnia vitia purget, *c.6.extr.qui filii sunt legitimi.* 2. Quòd legitimatio matrimonium retrotrahat ad tempus nativitatis liberorum, §. *fin. l. de nupt.* 3. Quòd legitimati ampliùs non sint turpes personæ, *l.23. §.1. C. de nupt. illis verb. omni maculâ penitus direptâ, neque vocabulum inhonestum eis inhærere, & l.57.§.1 ff. de rit. nupt.* Unde Duar. ait: *tantam vim habet & efficaciam legitimatio per subsequens matrimonium, quantam expressa voluntas Principis:* Atqui Princeps habet potestatem illegitimos faciendi nobiles. Ergò & per subsequens matrimonium, non tantùm legitimi, verùm etiam Nobiles fient. Quam opinionem defendunt, Curt. *tract. de Nobil. in 4. parte. col. 5.* per ea, quæ de viribus legitimationis traduntur, *item* Paulus Parif. *cons. 58. col. 5. num. 45. lib. 4.* & idem licet non dicat, voluit Bald. *consil. 146.* & *in l. 23. §. 1. C. de nupt.* & *in l. 57. §. 1. ff. de rit. nupt.* & Ray. *in tr. de nobilitate, in 9. q. 5. prin.*

Verùm quòd subsequens matrimonium non faciat nobiles, inde patet 1. Quia legitimatio per subsequens matrimonium est tantùm modus faciendi

faciendi liberos legitimos, nullo modo nobiles. 2. Quòd tantùm duo sint modi Nobiles faciendi. Unus est quo propter virtutem excellentem immediatè vel mediatè ab Imperatore creantur: Alter, quo veluti ex traduce atque coruscatione stemmatis in liberos legitimè natos transit, *gl. in l. 9. ff. de gr. & ad fin.* 3. Quia legitimati nunquam per legitimationem possunt fieri legitimè nati, & quamvis legitimè natis comparentur, non tamen comparatum comparato est idem, sed tantùm simile, manet proinde adhuc aliquid in legitimatis, per quòd omninò differunt à legitimè natis. Hinc non ineleganter legitimatus confertur cum homine curato à vulnere, cui post vulnus curatum remanet cicatrix; sic quamvis infamia & turpitudo illa non remaneat apud legitimatum extincta causa turpitudinis, *manet tamen*, ut verbis Claudii Cæsaris, apud Suetonium c. 16. utar, *ejus turpitudinis litura*.

Quod ad contraria argumenta attinet, quæ ex viribus legitimationis sunt desumpta resp. Diversa esse, facere aliquem legitimum, & facere aliquem nobilem. Cùm igitur legitimatio tantùm inventa sit ad legitimationem, non debet extendi ad Nobilitatem. Proinde purgat quidem vitia legitimatio per subsequens matrimonium, sed penitùs omnem maculæ lituram & cicatricem non tollit. Et quamvis expressè positum, *in §. fin. I. de nuptiis*, quòd legitimati per subsequens matrimonium per omnia æquiparentur legitimis, id tamen

tamen non valet in Nobilitate, quæ legitimationem longè ſuperat & alium ortum habet, ſed tantùm quoad bona allodialia, in quæ æquè cum cæteris legitimè natis ſuccedit, non vero quoad feudalia, propter expreſſum textum *in §. naturales. t. 26. l. 2. Feud.* Neque nos movet hac in parte auctoritas Duareni & aliorum, ſiquidem apertè principium Duaren. petit, quando inquit *matrimonium tantam vim & efficaciam, quoad liberos naturales legitimandos, habere, quantam expreſſa Principis voluntas:* Nam voluntate & auctoritate Principis & ſpurius non tantùm legitimari, verùm etiam nobilitari poteſt, quod Patri tanquam privato nullo modo conceſſum.

QVÆST. X.

Vtrum Nobiles deceat eſſe literatos?

Quod quidem dicere verentur, ipſo facto ſatis ſuperque oſtendunt, dum literatos odio proſequuntur, & multis conviciis proſcindunt. In quorum numero olim etiam extitit Licinius Imp. aliàs etiam non admodum laudatus, qui literis adeò infeſtus erat, ut & virus & peſtem publicam eaſdem appellarit, ut tradit, Aur. Victor. *in vita Conſtantini Conſtantii & Helenæ filii.* Eò etiam mores apud Gallos, *referente* Tiraq. *tract. de Nobil. c. 6. n. 10.* deciderunt, ut qui Nobiles eſſe gloriantur, nihil magis obeſſe nobilitatis decori exiſtiment, quàm literas. Sunt etiam, qui dicunt, mediocrem doctrinam in Nobilibus æquipolle-

re paulò majori doctrinæ in ignobilibus, *uti videre licet apud* Barb. *conſ. 35. col. 1. l. 2.*

Aſt ſi verum dicere volumus, contrarium omninò eſt ſtatuendum. Nemo n. ſanæ mentis negare poteſt ignorantiam rerum & imprimis legum, admodum dedecere ac dehoneſtare Nobiles, idque non tantùm teſtimonio Q. Mutii (cujus ſententiam retulit JCtus Pompon. *in l. 2. §. 43. ff. de Orig. jur.* his verbis : *Turpe eſſe Patritio & viro nobili jus ignorare*) quod exemplo non tantùm ſplendidiſſimorum Nobilium, verùm etiam Illuſtriſſimorum Principum & Sereniſſimorum Regum, uti etiam invictiſſimorum Imperatorum ſatis copiosè demonſtrari poſſet, *quæ dere vide* Kirch. *in Orat.* Et quid magis ornet ac illuſtret Nobilem non animadvertimus, ſiquidem nihil eſt in rerum natura, quod ita mores erudiat ac emolliat, quàm literarum ſtudia, & nihil tantas in vita utilitates habeat, quam humanitas atque doctrina, Sturm. *de lit. ludis rectè aperiend. p. 2.* Hæc enim eſt, quæ ſapientiam, prudentiam, pietatem, & mores exquiſitos, confert hominibus, ſine quibus nihil eſt, niſi Chaos, ſuperbia, inſtabilitas, arrogantia, prælia, lites, ingratitudo, factiones, invidia, calumniæ, inſidiæ, impudentia, hypocriſis, ſimultates, Schleid. *in Orat. ad Princ. Imp. p. 2.* Haud quenquam ergò vel meliora vel plura ſcire oportet, quàm ipſos nobiles, illi enim ſunt, qui quotidiè aſſident Principibus & Regibus,

bus,& quorum auxilio subditi reguntur & Respubl.administratur.

QVÆST. XI.

Quomodo puniantur, qui falsò Nobilitatem affectant?

Illos, qui prærogativam & dignitatem Nobilitatis,quæ duntaxat vel ab Imperatore,tanquam omnis dignitatis fonte, vel ex sanguine originem trahit, falsò sibi assumũt,ut privilegiis & juribus nobilium utantur & fruãtur gravissimè peccare, & ob id puniendos esse,nullum est dubium. Verùm quanam pœnâ sint afficiendi nonnihil inter interpretes juris controvertitur. Sunt enim qui dicunt tales incidere in crimen Majestatis, & propterea crimine læsæ Majestatis esse puniendos & pro stabilienda sua opinione allegant, *l.3. in fin ff.ad L.Jul.Majestatis.* Sunt, qui opinantur , tales pœna extraordinaria & quidem gravissima esse afficiendos , *per text.in l.27. §.2.ff. ad L.Corn.de falsi.* Verùm omnium melior nobis esse videtur illorum opinio,qui dicunt,tales incidere in crimen falsi & propterea etiam pœna criminis falsi esse afficiendos, *per l.13. & l.27. §.2.ff.d.t.* Quem textum etiam rectè notat Bart. ibid. Contra illum, qui se appellat Doctorem, cùm non sit , ut scilicet teneatur crimine falsi.

Idem quoque de Notario voluit,Bald.*in l.1.C.de testam.*

QVÆST. XII.

Virum Nobiles mitius puniendi sint, quàm plebeij?

Inter alia privilegia Nobilibus indulta & hoc etiam prosuimus, videlicet, Nobiles mitiùs esse puniendos quàm plebejos: Cùm autem circa hoc privilegium diversæ sint opiniones, porrò indagare libet, quidnam de hac quæst. sentiendum. Et quamvis non desint, qui quæstionem simpliciter & absque ulla determinatione affirmant, *per l.6. in pr. ib.* pro qualitate personæ, *&* aut si honestiore loco natus, *ff. ad l. Iuliã pecul. & l.4. §.1. ib.* si sordidiores erunt, *& l. ult. §.1. ib.* si humiliore loco *ff. de incend. ruin. naufr. & in l.6. pr. ib.* humiliores ad opus publicum, *ff. de extraord. crim. & l. ult. ff. de sepulc. viol. & l.1. §.3. ff. de abig. & l.1. in fin. ff. de furib. baln. & l.1. §.1. & §. ult. ff. de effract. & l.3. §. 2. ff. de crim. stellion. & l.2. ff. de term. mot. & l.1. §. ult. & l.3. §.5. & l. pen. ff. ad L. Corn. de Sicar. & l. 10. in pr. ff. de pœnis, & l 9. §.11. & l.28. §.2. & §. 9. ff. eodem. & l.3. §.1. & §.10. ff. de re milit. & l.1. & 3. ff. de veter.* Hinc Quintilianus *l.6. Instit. orat. c.6.* inquit: *periclitantem commendat dignitas & studia fortia, & suscepta in bello cicatrices & nobilitas & merita majorum.* Et idem l.7. scribit: *ad pœnarum deprecationem prodesse nobilitatem, dignitatem, propinquos & comites.* Hinc Cicer. *in defensione Luc. Flam. sic inquit. Majorum & generis honores, imperium & rerum gestarum gloriam non prætermisit, ob idq; in eare, etiamsi quid erraſſet, omnes boni connivendum esse arbitrantur.*

Eadem

Eadem deprecatione Cicer. usus est in defensione Æmilij Scauri, & quamvis Scaurus propriis obtuebatur criminibus; attamen propter vetustissimam nobilitatem & recentem patris memoriam Scaurus absolutus fuit.

Verùm melior nobis videtur opinio illorum, qui certis limitationibus quæstionem affirmant. Nisi videlicet nobilitas vel dignitas, in qua quis constitutus, augeat delictum, quod plerumque facit, *l.quædam delicta ff. de pœnit. & l. 2. & l.omne delictum, §. augetur ff. de re militari, c.homo 40 dist.c quia sanctitas, 50.dist. & c. nullus itaq;* 1. q.1. *& c.nulli. 25.q.1. & c.ult.q.1. & c.1. de cler.vena.* Tunc enim pœna delicto respondere debet, *juxta text. in d.l.quædam delicta, ff. de pœnis, & cap.non afferamus, 24.q.1.* gravius tunc puniantur constituti in dignitate, sicuti gravius peccant Bart. Alb. & alii *in d.l.quædam ff. de pœn. & l.3. §. is qui ad hostes, ff. de re militari & l.presbyteri, C. de Episc. & Clericis l.omnes, Cod. de Decurionibus.* Dicitur autem crimen augeri dignitate, si videlicet peccent in his, quæ dignitatem ipsam vel administrationem ejus concernunt, vel si in his, propter quæ dignitatem & honorem sunt consecuti: vel cùm delictum cecidit in dedecus & contumeliam ipsius dignitatis: vel etiam delinquunt prætextu & colore dignitatis. Præterea limitanda est quæst. hoc modo: Ut Nobiles mitius puniantur in pœnis corporalibus, non verò in pecuniariis. Pauperes enim, cum pluris æsti-

mant porcellum, quàm oculum, in pœnâ pecuniariâ, cum nobilibus, qui exiguam pœnam pecuniariam non adeò timent, non sunt comparandi. Tertiò, quæstio de pœnis Nobilium, intelligenda est de pœnis arbitrariis, quæ scilicet, quoniam certæ non sunt, ex legibus vel statutis relictæ sunt arbitrio judicum, secus verò in pœnis uniformiter certè & determinatè indistinctéq; & indiscriminatum impositis, tunc enim eâ pœna æqualiter puniri debent nobiles & ignobiles, secundum Bald. *in l. 11. C. de sacros. Eccles.* & Salycet. *ad l. 8. C. ad L. Juliam de vi pub.* & *plures alii de quibus* Tiraq. *dicto tract. de Nobilit. cap. 20.* Nisi statuta aliter expressim disponant, & consuetudines locorum aliter doceant. Cujusmodi statuta & consuetudines in multis locis Germaniæ nostræ reperiuntur.

QVÆST. XIII.

Vtrum Pater amittens Nobilitatem præjudicet Nobilitati filiorum?

Nobilitates, ut cæteras res in casu sitas, temporibus gubernari, rectè scripsit Tullius *l. 1. Offic.* Amitti ergo nobilitatem posse certissimum est, atque imprimis cum fine honestate stare nulla possit Nobilitas, perdi eandem sequitur per infamiam & vitæ turpitudinem, *l. 2. ib.* honestæ nobilisque personæ decore privetur, *C. de secund. nupt. l. 1. ib. in fin.* omnem enim hujusmodi honorem reatus excludit C. *ubi senat.* & *clariss.* & *l. 17. in*

17. *in verbis* illustri dignitate per suum facinus privatos, *C. de dignit. Hinc* Bald. *in l. 17. in pr. 8. qu. C. de jur. del. rectè scribit:* mulierem quæ in suum corpus peccat, perdere nobilitatem, & Salycet. *in l. 7. C. de post.* Quòd nobilis ex genere non debeat dici nobilis, nisi bonis polleat moribus & Luc. de pen. *in l. 13. Colum. 5. v. ult. not. C. de dignit.* & Joan. Rayn. *in tr. de Nobilitat. quæst. 6.* Cui concinit, quod Bald. scribit *in c. sedes. Colum. 1. vers. ibi minores, de rescript.* quòd insignis persona delinquendo fiat vilis. Unde non immeritò quæritur: Utrum pater propter infamiam & rei turpitudinem, præjudicet Nobilitati filiorum; Et quamvis *Aymo Cravetta* hac de re consultus, consil. 165. affirmativè respondeat, ex ea ratione, quod quis non possit transferre id in alium, quod non habet, *l. traditio ff. de acquir. rer. dominio.* Nec potest, inquit filius inniti nobilitati avi & aliorum majorum, quia persona patris, tanquam proxima & immediata inspici debet, *l. 60. ff. pro soc.* & *l. pen. ff. de condict. ob turp. caus.* Quibus addi potest & *text. in l. 11. C. de quæst.* ubi privilegium ejus legis transit ad nepotes, nisi is qui priore gradu est, vitæ turpitudine inspersus sit. Nam tunc nec ipse, nec sequentes eo privilegio potientur, tanquam scilicet patris dedecus & impedimentum obsit liberis ipsius. Ideo aliqui distinguunt inter liberos ante & post infamiam natos;

& illis quidem non præjudicari dicunt, hos verò, minimè nobilibus annumerandos esse statuunt.

Verùm, si quæstio non est de eo, qui primus sibi nobilitatem acquisivit, & rursum eandem postea vitæ turpitudine amisit, sed de illo qui eandem à sanguine, gente seu genere accepit, contrarium verius esse putamus, atque adeò ut non tantùm illi, qui ante, sed etiam illi, qui post infamiam & vitæ turpitudinem nati, nobilibus sint annumerandi, *per l 3. ff. de interd. & releg.* Nam tali casu liberi Nobilitatem suam non tàm à patre videntur consequi quàm à Principis liberalitate & provisione, quâ toti posteritati provisum. Atque ut pater in præjudicium filiorum non potest renunciare Nobilitati, ita neq; sua ignominiâ potest illis præjudicare. Interim tamen facilè largimur, non levem maculum filiis infligi infamiâ parentum.

DISPVTATIO XI.

DE CONSILIARIIS, LEGATIS ET OFFICIARIIS.

Resp. *Bartholdo Rochovio, Osteroda Grubenhag.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

QVoniam de difficilimo & diffusissimo Reipublicæ munere, nempe de Magistratu, tam in genere quàm specie, præcedentibus disputationibus satis actum, consequens est, ut de administris Reipublicæ seu mediis, quibus magistratus necessariò instructus esse debet, videamus. Et quia media illa,

illa, per quæ magnum ac difficile onus, videlicet Reipublicæ gubernatio seu administratio expeditur, sunt triplicia, utpote: Officiales, leges & ærarium: *ideoq; hâc & sequenti disputatione, de his administratoribus seu administris videbimus. Cùm verò officiales ordine naturæ & leges & ærarium præcedant, visum fuit ab officialibus hâc disputatione orditi.*

Thesis I.

Officiales seu administri sunt, qui in partem curarum ac onerum à Magistratu necessariò accersuntur. Nam cùm administratio Reipublicæ sit magnum atque difficile, imò onus omnium maximum, cui oneri ferendo una persona, licet prudentia & sapientia esset instructissima, minimè sufficiens, propterea, quòd admodum periculosum sit sibi soli fidere, omnino impossibile, ut Princeps sua scientia cuncta complecti, videre audire & animadvertere possit, de summo Reipublicæ & Principis bono est, ut de fidelib. sufficientibus & idoneis administris seu officialibus sibi prospiciat, quibus partem curarum & onerum committat.

2. Sunt autem officiales seu administri in duplici differentia, Constituuntur enim vel in *perpetuum* vel *ad tempus*.

3. Perpetuos appellamus illos, qui in Imperio Romano decorati sunt titulo superioritatis, & dignitate perpetua in hæredes transitoria, quales sunt in Imperio Romano Principes ab Imperio constituti, utpote Electores, Archiduces, Duces

Principes, Marchiones, Landgravii, Pfaltzgravii, Burggravii, Comites, Barones, Equites, Nobiles, *de quibus præcedentibus disputationibus in specie est actum.*

4. Temporales illos vocamus, quibus ita curarum & onerum pars imponitur, ut pro cujusvis Magistratus lubitu & voluntate rursum dimitti & mutari possint.

5. Sunt rursum in duplici differentia. Adhibentur n. vel ad *consilium* vel *ad res gerendas.*

6. Illi, qui ad consilium adhibentur, consiliarii dicuntur, quorum dignitas est tanta, ut pars corporis ipsorum Principum censeantur, *l. 5. in pr. C. ad L. Jul. Majest. c. si quis, 6. q. 1. c. 5. de pœnit. in 6.* Et cum ipso Principe unum constituant corpus, *l. 8. C. de dignit.* Hinc consiliarii dicuntur amici Principum, *l. 4. C. de contrah. stipul.* Hinc Alexand. Severus Imp. Ulpianum JCtum, parentem suum appellare dignatus est, *l. 4. C. de Locat. & cond.* Quem Justin. Imp. summi ingenii virum appellavit, *in l. un. §. 9. C. de caduc. tol.* Hinc & Patritii vocantur, *l 5. C. de Coss.* Unde etiam venit, quòd consiliarii summi Principis liberati sint patriæ potestatis nexu, *l. 3. & ult. C. de Coss.* Inque eos committatur crimen læsæ Majestatis, *d. l. 5. C. ad L. Jul. Majest.*

7. Et quia consiliarii sunt ornamentum Rei publicæ & splendor civium, quos non impropriè, Cicer. *in orat. de Arusp.* Principes salutis appellat, non immeritò, ab omnibus oneribus & mu-

& muneribus, sunt immunes, *l.30.l.44.ff.de ex. euſ. tut.*

8. Distribuuntur porrò *in ordinarios & extraordinarios.*

9. Ordinarii sunt, quorum consiliis magistratus semper aut saltem sæpiùs utitur.

10. Suntq; vel Politici vel Ecclesiastici. Politici sunt, qui suis consiliis dirigunt negotia civilia. Idque fit vel in aulis, unde aulici, vel in curiis, unde curiales appellantur.

11. Ecclesiastici sunt, qui res sacras & divinas suis consiliis dirigunt & promovent.

12. Extraordinarii sunt, quorum consiliis magistratus non semper utitur, sed tantùm urgente gravi aliqua necessitate.

13. Et tales vel sunt *provinciales* die Land-Räthe/quibus præcipuè utitur Princeps in dirimendis litibus provincialibus: vel sunt extra provinciam, quibus Princeps utitur ad consilium dandum de certis quibusdam causis, quas aliunde cognoscere oportet. Unde germanicè appellantur Räthe von Hauß auß.

14. Generaliter a. in consiliario spectanda duo veniunt: 1. *Est Electio.* 2. *Officium.*

15. Circa electionem id inprimis Magistratui ponderandum venit ex consiliarii boni vel mali electione, ruinam & calamitatem populi dependere. Nam tolerabilior est reipublicæ status, ubi Princeps malus & consiliarii boni sunt, quàm

quàm ubi Princeps bonus, & mali consiliarii sunt. Siquidem unus malus à pluribus corrigi potest; quod ex adverso difficulter fieri potest.

16. Quamobrem Magistratus non sit præceps in electione consiliarii, sed inquisitione de moribus, naturâ, doctrinâ, & virtutibus cuncta examinet, & cum judicio & discretione, quæcunque de illo percepit, admittat.

17. Respiciat ergò magistratus in electione consiliarii ad ætatem, ad doctrinam, & ad mores futuri consiliarii.

18. Ætatem quod attinet, non sit juvenilis, neque senio nimis languida. Juvenes enim plerumque molles sunt, ætate fluxi, & dolis haud difficulter capiuntur. Et quanquam non desunt exempla juvenilis prudentiæ. Nerva n. de jure respondisse fertur 17. ætatis anno, *l. 1 §. 3. ff. de postuland.* & Celsus. *l. 91. §. 3. ff. de V. O.* rarissimè tn. id evenit, ut ante 25. an. animus obducatur veræ prudentiæ cortice. Hinc cautum esse, inquit Plin. *ad Trajan.* ne quis capiat Magistratum, neve sit in senatu minor. 30. an. è re & commodo ergò erit tam Reipublicæ quàm juvenum, ut intra illud tempus celebres adeant Academias, peregrinentur, & cum eruditis & claris viris amicitiam colant, atque sic usu & exercitatione animum obsirment, neque patiantur animum juvenilem & mollem tàm multis ac gravissimis curis onerari.

19. Et quia ut plurimùm in senioribus memoriæ

moriæ vigor flaccescat, intellectus vacillet & experientia in obstinationem convertatur, consultum non est ultra 60. an. constitutis hoc munus concredi, Hippol. *tr. de consil. & consil.*

20. Proinde doctrinam consilii exquisitam & elegantem esse oportet. Et quod ad hoc requisitum attinet scientiâ & prudentiâ ex omnibus artibus & disciplinis hausta consiliarium integrè ornatum optaremus: Verùm cùm omnibus numeris perfectus vix sperandus, in necessariis saltem, utpote in *Theologiâ, Jurisprudentiâ, Philosophiâ practica & oratoriâ*, ut probè formatus & instructus, sit ipsa necessitas postulat. Althus. *c 22.*

21. Mores quod attinet, imprimis pietate consiliarios imbutos esse necesse est. Nam ubi divina providentia non commilitat consiliis & actibus hominum, malus iis eventus & exitus obvenit & cogitationibus valdè adversus, Schönb. *l. 3. c. 23.*

22. Secundo loco modestia, quàm plurimùm commendatur. Illi n. optimi sunt, qui speciem obsequii regunt, & ad omnia, quæ agenda sunt, quietâ industriâ adsunt, Tacit. *l. 3. hist.*

23. Sit præterea fidus, fortis, constans & firmus in bono negotio, Greg. *l. 24. c. 6. n. 5. de Republ.*

24. Item non sit contumax, pugnax, contentiosus, pervicax, pertinax, obstinatus, sed sit le-

nis,

nis, facilis, placidus, mansuetus, humanus, affabilis, Althus. c. 22.

25. Vacuus etiam sit pravis affectibus, contrariis personæ vel negotio: Non indulgeat iræ, odio, avaritiæ & festinationi præproperæ. Nam canis festinans, ut habet proverbium, cœcos parit catulos, & qui citò judicat, ad pœnitentiam properat. Celeritas siquidem noverca est consilii, prudentiæ pestis, & temeritatis mater. Lentos igitur consiliarios in consulendo esse convenit non præcipitantes, Althus. d. l.

26. Officium consiliarii est dare consilia Magistratui, quæ tam ipsi, quàm toti Reipubl. sunt utilia & necessaria.

27. Quæ ut consiliarius dare possit, necesse est, ut Magistratus, maturè consiliarios consulat, & nisi extremâ aliquâ necessitate urgente, consultationem non præcipitet. Nam consilium in arena & ex tempore capere magis est gladiatorum, quàm Principum, Lips. 3. *Pol.* 8. 2. Magistratus consiliariis suis libertatem judicandi, consulendi, dicendi, liberam relinquat, & patienter sententiam audiat, ne veritas reticeatur, *Althus. d. l.* Et tantùm de consiliariis.

28. Consultatione jam peracta duo in consiliario maximè sunt necessaria: Silentium videlicet & constantia.

29. Silentium enim est optimum & tutissimum rerum administrandarum vinculum, Val. Max. l. 2. c. 2. Neque res magnæ sustineri possunt ab eo,

ab eo, cui tacere grave est, *Cur. l. 4.* Nulla enim sunt meliora consilia, quàm quæ ignoravit adversarius, antequàm fierent. *Veget. lib. 3.* Abominamur ergò istos loquaculos rimarum plenos, qui consilia & deliberationes publicè habitas obviis quibuscunque & præcipuè uxoribus suis communicant.

30. Constantia alterum est consultationis peractæ requisitum. Nam voluntatis mutatio, indicatanimum inconstantem & fluctuantem. Et, fixum & firmum non est, quod vagatur.

31. *Ad res gerendas*, qui adhibentur, sunt rursum in duplici differentiâ: vel enim sunt *Legati*, vel *officiarii*.

32. *Legatos* quod attinet, dicti sunt à legendo, quòd publicè lecti mitterentur. Aliâs appellantur oratores, *l. 7. ff. ad L. Juliam de vi pub.* Item nuncii Cic. 1. *Tuscul.* Item Ambassadores, ἀπὸ τοῦ ἀμφαδίζειν, quod mittere significat. Item responsales, *c. 24. dist. 63.* Item Caduceatores, à caduceo sive ceryceo, *l. 8. de rer. divis.* hoc est, baculo à legatis gestari solito, habente ab utraque parte insculptos duos serpentes invicem implicatos, & se mutuò respicientes, Plin. *l.* 29.

33. Est autem legatus persona publica sacratiore nomine ad Principem, vel Rempub. missa, sine imperio, rei duntaxat dicendæ & agendæ causa.

34. Species Legator. variæ: Alia legatio dicitur *officiosa*, & suscipitur officii & honoris gratia, quales

quales sunt, quæ ad congratulandum aut dolorem significandum, ne inter Principes alioquin conjunctos simultatibus occasio detur, mittuntur.

35. Alia dicitur *negotiosa*, quæ ad alia negotia varia Reipubl. tempore pacis, expedienda ablegatur.

36. Alia est *Militaris*, quæ ad denunciandum bellum mittitur, Unde Feciales appellantur.

37. Alia est *pronuba*, quæ ad matrimonium pro absente Principe contrahendum mittitur, unde pronuba legatio vocatur.

38. Alia legatio *libera* dicitur, non quòd nullo finita sit tempore, sed quod introire in urbem & rursum exire liberam legationem habenti liceret. Quales inprimis periculi vitandi causa postulari solent.

39. Origo legatorum est antiquissima, & cum ipsis civitatum primordiis est introducta, *l. 5. ff. de just. & jur.* Et quia apud gentes passim usus legatorum fuit receptus, sequitur legationes esse jurisgentium.

40. Jure gentiũ ergo effectum est, quòd Legati habeantur iĩmunes, hoc est ab omni injuriâ & violentiâ tuti. *l. 8. ff. de rer. divis.* Hinc Legatorũ nomen apud omnes gentes sanctum & inviolatum semper fuit, Cæs. *l. 3. bell. Gall.* Non coguntur durante legatione subire dubiam judiciorũ aleam, sed domum revocandi jus habent, *l. 2. §. 3. de judic.* Non possunt capi pro repressaliis, *l. 17. in pr.*

17. *in pr. ff. de legat.* Coler. *de pr. exec. part. 2. c. 3. n. 186. & seqq.* Vacationem habent ab omnibus oneribus & muneribus, *l. 7. in fin. & l. 8. ff. de legat. & l. 3. C. eod.*

41. Et non tantùm accessu inviolabiles sunt, sed etiam in reditu. Neque n. quisquam desinit esse legatus antequam Principi renunciarit, quid perfecta legatione gestum fuerit.

42. Maximas ergò immunitates & summa habent privilegia Legati. Nam & si quis Legatum hostum pulsasset, contra jus gentium statim deliquit. *l. 17. ff. de Legat.* & in hac re ipsos feciales habuerunt judices, Juvenal. *Sat. 6.* Varro *lib. 3. de vit. Pop. Rom.* Hinc in signum securitatis olim portabant sagmina, herbas, *d. l. 8. §. 1. de rer. divis.* Vallantur divino & humano præsidio, Cicer. *3. in Verr.* eorum turbatores excommunicantur, *c. 2. dist. 94.* Et gravissimè plectuntur ex pronunciato Ulpian. *in l. 7. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Hinc si quis legatum Principis violat, crimen læsæ Majestatis committit, Gail. *de pign. obs. 5. n. 6.* Jure canonico uti dictum est à Christianâ Republ. exterminantur violatores Legatorum, *c. 2. dist. 94.* Quòd si verò à civitate facta esset violatio, ultionem sustinet, & bello petitur ab eo, cujus legati asperè & crudeliter excepti sunt. Corinthiorum urbs ideò à Romanis fuit eversa, quòd ab illis Legati duriùs fuissent tractati & sordibus perfusi, Cic. *pro l. Manil.* Eandem ob causam Tartari pugnârunt contra Russos, Cromer. *l. 7.* David

contra Ammonitas, 2. *Sam.* 10. 7. Herodes contra Arabes, Egesipp. *l.* 1. *c.* 32. Et Legatorum cædes sufficientem causam belligerandi præbere, multis probat, Polyb. *l.* 1. *& 2.*

43. Verùm ne istis privilegiis abutantur Legati, sedulò curare debent, adeoque in omnibus quantum fieri potest, modestiæ studeant & intra limites suorum mandatorum strictissimè sese cõtineant, aliâs si sua culpa in periculum incurrant, frustra immunitates prætendent, istæ enim tantùm competunt illis, qui officio Legatorum probè defunguntur. Quis ergò approbaret illam rusticitatem Partheniastis, qui ab Athenien. ad Philipp. Maced. missus, Regi interroganti quidnam posset Athenienſibus gratum præstare, respondit, gratissimam rem iis faceres, si te suspenderes; Quis approbaret audaciam vel temeritatem Pompilii Romanorum Legati, qui ad Antiochum M. Asiæ Regem missus, cum Populi Romani mandata explicasset, virgula locum, in quo stabat Rex, circumscripsit, & ab eo, antequam ex circulo illo abiret, responsum postulavit, Liv. *lib.* 32. proinde, si sic insolenter se gerunt Legati; rarò impunè dimittuntur. Sic M. Antonius Augusti legatum, quòd liberius cum Cleopatra verba seruisset, verberibus nudum cædi jussit, Bodin. *l.* 5. *c. ult. n.* 620. Sic Alex. Legatos Persicos jugulavit, quòd filias Amyntæ ad concubitum flagitassent, Herod. *l.* 5. Moschovitarum Rex Basilius, clavo pileum capiti cujusdam Legati

gati affigi jussit, quòd rusticè caput texisset, Sig. Bar. *in hist. Moschovit.* Plura exempla passim occurrunt, Bod. *d. l. n. 619.*

44. Quamobrem, ut quis legationem rectè exequatur, necesse est, ut & virtute, & doctrina, & taciturnitate præstet. Nam cùm Legatorum dignitas magna, magna iis adhibenda est cautio, ut personam, quam sustinent, dignè exhibeant. Inprimis a. & temperantiæ & modestiæ curam habeant. Imitentur illum Athenienſium Legatum Xenocratem, qui dicitur, ne quicquam voluisse gustare prius; quàm legationem suam exposuisset.

45. Præterea adversus omnem vim omnemque injuriam & eventum pectus magnanimum & imperterritum gerant. Multa n. secus eveniunt, quàm cogitata sunt. Sed ideò non exuenda est magnitudo animi, quæ sola quemlibet rei eventum improvisum deprimit. Confidentia ergò animum vegetiorem reddat, & nemo impediri se patiatur timiditate, quò minùs progrediatur in sua re laudabili, in qua si meticulosus fuerit, canis muti nomen non effugiet, *c. 1. dist. 43.*

46. Doctrinam in legato non vulgarem requirimus, sed ex omni disciplinarum genere cumulatissimam. Inprimis a. futurus legatus studio Jurisprudentiæ, Politices & Historiarum, sedulam navabit operam. Linguarum etiam exoticarum notitia plurimum decoris ipsi addet.

47. Insuper, spectari possunt legati dupliciter, ut sunt missi, & ut sunt reversi. Et missi rursum ut emissi, & admissi.

48. Emissi sunt, quos magistratus ad exteros mittit, ubi singularis personarum habendus est delectus, ut sint præditi istis virtutibus & doctrina, quòd dignitatem, quam sustinent, dignè exhibeant.

49. Dandum præterea illis est mandatum, seu ut vocant literæ credentiales, ut ipsis fides habeatur, *l. 1. C. de mandat. Princip. & l. 5. C. de jur. fisci.*

50. Continere autem solet mandatum instructionem, quam monitorium antiqui nuncuparunt, quo legatus sciat, quid sibi negotii expediendum, & quæ species legationis sibi obeunda, sitne pronuba, vel officiosa, vel negotiosa, vel militaris, vel libera, &c. Schönb. *l.* 3. *c.* 27.

51. Legatus admissus literas sui Magistratus credentiales exhibeat, & nihil præter suum negotium agat, neque alienis, neque propriis rebus se interponat, *l. 8. §. fin. ff. de legat.* Legationē suam non deserat, *l. 1. eod.* quæ moram non patiuntur, strenuè ipse perficiat, non substituto permittat, *l. 4. §. 4. eod.* & fines sui mandati uti antea dictum, non excedat.

52. A legato domum reverso Princeps exigat, tum relationes actorum, tum rationes expensarum.

53. In relatione actorum operam dabit legatus,

tus, ut omnia acti tata, remota animi perturbatione, irâ posthabita, invidiâ postposita, fidelissimè renunciet. Non v. sit incendiarius turbarum, sed cùm honestè fieri potest, caveat, ne ignem super ignem accendat, & igni oleum addat.

54. Et cùm nemini suum officium debeat esse damnosum, *l. 5. § 13. ff. de his, quæ. ut indign.* Legatis sunt restituendi sumptus in legationem erogati, *l. 2. in fin. ff. de legation.* Inter quos etiam numerantur ii, quod ad recuperandam sanitatem impenderunt. Idem, quod si damnum in via passi fuerint, ad restitutionem rectè agent.

55. Olim Legatorum præmia erant tria: *Locus, Lautia, munera*, *Loci nomine* ædes liberas intelligimus, quæ ipsis à Romanis datæ, *Lautia* erant Xenia Legatis missa, sic dicta à magnificentia præbitoris, Duar. *disp. 1. c. 26.* *In muneribus erat*, quòd illis de publico dabatur aureus annulus, quem palàm gerebant, Plin. *l. 33. c. 1.* Et tantùm de Legatis.

56. Officiarii sunt in duplici differentia, vel sunt *Privati vel Publici.*

57. *Privatos* appellamus illos, quibus Princeps utitur in sua aula (unde etiam officiarii aulici appellantur) vel *necessariò*, *vel ad splendorem.*

58. *Necessariò*, ut sunt, officiarii, cùm superiores, ut præfectus aulæ, Mareschallus, præfectus stabuli, præfectus cubilis, Burggravius, præfectus commeatus aulici: tùm inferiores, ut ministri

nistri cubicularii & nobiles pueri, item Secretarii & Scribæ, Carptor, Pocillator, Coquus, Cellarius, Janitores, &c.

59. Ad *splendorem* est nobilis comitatus tàm equestris, quàm pedestris, Musici, exhibitores spectaculorum, &c. Keck. 1. *Syst.* 23.

60. De quibus officiariis in genere notandum, quòd si in aula senescere, tineas & sorices Palatii evitare velint, necesse sit, ut sint instructi, tàm animi, quam corporis bonis.

61. Officium horum officiariorum ponimus in eo, ut se rectè gerant, & potissimùm erga suum Principem ac Dominum, & erga pares, & quantum fieri potest ad invidiam vitandam.

62. Ad primũ ergò quodattinet, sint reverà tales, quales Principi ac Domino suo videri volunt. Nihil in eis sit fucatum, nihil non apertum, reclusum circa Principem ac Dominum suum pectus gerant, sint industrii, diligentes taciturni.

63. Ad alterum, commodum est, ut ea vitent, per quæ inæqualium offensionem facilè incurrere possunt. De quâ re vide pleniorem instructionem apud *Hip. d. l.* Quo etiam spectat der Reynike Fuchs.

64. *Publici* officiarii sunt, quibus Princeps vel Magistratus ad aliquam operã publicè utitur.

65. Et sunt vel *superiores* vel *inferiores*.

66. *Superiores* sunt, qui ad superiorem Reipub. curam adhibentur, ut sunt Cancellarius, Præsides, & Præfecti.

67. In-

67. *Inferiores sunt*, qui ad inferiorem aliquam curam Reip. adhibentur. Et distinguuntur variè, partim *ex officiorum*, *partim ex locorum* diversitate. *Ex officiis*, alii sunt quæstores, alii prætores, alii scribæ, alii satellites, & alii cursores. *Ex loco* alii sunt urbani, & alii pagani.

68. *Officium* verò eorum quod attinet, versatur imprimis in *obsequio & fidelitate*, ut videlicet sint prompti ad parendum mandatis à magistratu sibi impositis, & ut negotia sibi commissa absque omni dolo & fraude sedulò ac maturè exequantur.

Et tantùm de præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum quilibet magistratus stipatus esse debeat consiliariis?

Tantam sæpenumero in Principe reperimus dexteritatem, solertiam, sapientiam & prudentiam, ut sibi ipsi consiliarius esse possit. Id quod de *Carolo Magno* & aliis Regibus & Principibus, quos literæ reddiderunt celebres, affirmare facilè possumus. Præterea sunt & arcana ac secretiora quædam in omni Republica in quibus consilio determinandis, nisi ipse Princeps valet, proditur quasi Respublica & in discrimen adducitur, si omnia cum consiliariis communicarentur.

Verùm minùs tuta hæc sunt & applausum minimè merentur. Licèt enim illud negari ne-

queat, miserrimum esse alienis tantùm videre oculis, & in totum ex alterius pendere voto: attamen nec hoc quicquam diffitebitur, quòd plus videant oculi, quàm oculus & quod plures consilio communicato meliùs ac certiùs judicent, quàm unus; Item, quamvis prudentissimus, sapientissimus, experientissimus esset; non tamen solus sufficeret. Nemo enim hominum tantâ præditus prudentia unquam fuit, qui non majori indigeat, & cui nonnunquam in multis adhuc desit, tàm multi & varii casus, tàm varia scelerum, periculorum ac negotiorum genera quotidiè cuivis Magistratui objiciuntur, ut si ipsum Argum superaret, solus tamen omnia videre & animadvertere nullo modo satis possit. Nullum certè sapientiorem habuimus ipso Salomone, consiliariis tamen eundem semper stipatum fuisse, sacræ testantur literæ, *l.* 1. *Reg. c.* 4. Proinde satiùs erit Magistratui, quanta etiam polleat sapientia, ut de se modestè sentiat Antimach. *lib.* 1. *de cons. Theor.* 1. *f.* 55. Et sapientiæ argumentum esse ducat, sapientum virorum consilio uti. Imitetur in eo veteres Impp. Theod. & Valent. qui quanti fecerint consilium patrum conscriptorum, facilè patet *ex l.* 8. *C. de ll. & constit. Princip.* ubi in hæc verba Divi Impp. rescripserunt; Cognoscimus, quòd cum vestro consilio P.C. fuit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperii & ad vestram gloriam redundare. Tam diu enim, *inquit* Salust. *in Orat. ad Cæsar.* omnia regna

gna, civitates ac nationes prosperum habuerunt imperium, quamdiu apud eos vera consilia valuerunt. Cujus rei exemplum proponit nobis Dion. Halycarn. *lib. 2.* de Repub. Roman. quæ tam diu florem ac vigorem suum obtinuit, quam diu senatus consilia observata fuerunt. Imò experientia ipsa satis docet, res melius ac feliciùs, consiliis, quàm telis administrari. Hinc sapientissimus Agamênon non multos Ajaces; sed Nostrates, ad Trojam oppugnandam & faciliùs obtinendam, sibi optavit, Homer, *in Iliad.* Cum ergò propriæ suæ prudentiæ fidere, sit certæ cujusdam ruinæ prognosticon, *Eccl.* 4. *v.* 10. Et status miserrimi indicium, si nulli adsint consiliarii, 2. *Chron.* 15. *v.* 3. melius sibi Magistratus consulere non potest, quàm si viris sapientia, prudentiâ ac scientiâ præstantibus semper stipatus sit, *Keck. in disc. de consil. q.* 1. Althus. *c.* 22. *de consil.* Bodin. *l* 3. *de Repub. Hippol. à Coll. & Hœnon. disp. Pol. thes.* 12.

QVÆST. II.

Vtrum juvenes in numerum consiliariorum Principis sint cooptandi?

Iuvenes non raro juvenes, qui divina sua indole stuporem aliis incutiunt, & cum *Papyrio* omnium oculos in se convertunt, & cum *Nervâ*, cujus meminit *Vlpian. l.* 1. §. 3. *ff. de Postuland.* inter mundi mirabilia vocantur, quos omnino ad Reipublicæ clavum ante justum ætatis tempus vo-

candos esse, statuunt plurimi, propterea quòd & plurimos senes eruditione & virtute superent.

Verùm longè tutius & salutarius esse arbitramur; si indifferenter juvenes ab officio Consiliarii removeantur, idque 1. A testimonio sacræ scripturæ. Ipse enim Jehova seniores ex populo, qui cæteris sapientia & prudentia præstent, sibi vult eligi, *Deut. 15. Num. 1. v. 16.* 2. Hinc in veteri Roman. urbe constitutum fuisse reperimus, referente *Plat. lib. 10. Epist. 83.* & quidem expressa lege Pompeja cautum, ne quis ad senatum & consilium accederet, atque adeò, ne quidem ullum magistratum atingeret, qui minor annis 30. foret. 3. Qua etiam de causa legimus, quòd Solon juvenem quemcunque, etsi senilis sit sapientiæ, ab aditu sui senatus arcendum putarit. Neque est, quod juvenem senilis sapientiæ excipere cupias. Nam constat istiusmodi ingeniis multum caloris & temeritatis inesse, variis etiam perturbationum generibus obnoxios, sunt ut plurimum istiusmodi ingenia inquieta, semper aliquid movent, in multiplici inventione & rationum copia natant, & ægrè expediunt illa, quibus insistunt, proponunt ea sibi, quæ non sunt, non erunt, & mentem & consilia adversarii potius subtili sua mente, quàm veritate & eventu prospero metiuntur, sua tantùm laudant, evehunt, & contrà aliorum opiniones & sententias susque deque habent. Contrà verò quia senes sunt naturâ frigidores, tardio-

tardiores, majorem etiam obtinent auctoritatem, atque adeò, ut secundùm vetus proverbium, *plus valeat umbra senis, quàm furor & gladius juvenis*, & præter scientiam, quam sibi diuturnis vigiliis acquisiverunt, etiam pollent experientia, Solonis sententiam hac in parte amplectimur. Quod verò antea de sexagenariis diximus, id non simpliciter, sed secundum quid, quatenus ut plurimùm fieri soleat, intellectum volumus. Ibi enim alia est ratio, ubi natura sefortem præstat & hominem in senio etiam vegetat, cujus rei exemplum nobis in Galeno proponitur, qui 170. ann. attigit & sine omni morbo, solo senectutis marasmo placidissime obijt. Singulare etiam exemplum suppeditat nobis scriptura sacra, *Deut. 34. v. 7.* in Mose, qui centum & viginti ann. erat, quando mortuus est, attamen non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

QVÆST. III.

Vtrum Princeps novus, Antecessoris sui consiliarios mutare & dimittere debeat?

Apud juniores plerumque usitatum esse videmus, quòd negligant seniores majorum suorum consiliarios, & iis anteferant eos, quibus ipsi consueverunt, idque fortassis ob hanc unicam causam, quòd putent, seniores esse verendos, & Rem-

Rempublicam non tàm suo, quàm illorum seniorum arbitrio gubernandam. Verùm quod minùs tutum & æquum hoc sit, plurimi sunt experti, & quidem cum maximo suo & reipublicæ damno. Exempla habemus in Rege Rehabeam Salomonis filio, qui, dum seniores consiliarios sui Patris removit & juvenili procacitate animum applicuit ad sui similes homines, in extremam miseriam est tandem deturbatus. Commodus Imperator quamdiu commendatos sibi ab optimo patre consiliarios in consilium adhibuit, tamdiu etiam se optimum virum in gubernatione gessit, neglectis verò & repudiatis consiliariis sui Patris, parasitis in consilium adhibitis, impudentiam eorum & temeritatem longè antegressus est. Melius proinde & prudentius fecit Ludovicus XI. Galliæ Rex, quòd veteris aulæ consiliarios & amicos paternos, quos juvenili procacitate sub initio sui regiminis removerat, non tantùm pristinæ dignitati restituerit, verum etiam, Carolo filio suo hoc dederit consilii, ut paternos amicos, antiquos & familiares, & ministros retineret. Et de M. Aurelio Imperatore hoc etiam notum, quòd morti vicinus filium suum Commodum, primam adolescentiæ florem ingredientem, consiliariis suis quorum ope & Consilio Rempublicam feliciter administraverat, fidelissimè commendarit, & quod tantisper ejus imperium fuerit

felix

felix, quoad consilio ipsorum Commodus utebatur. Quamobrem, ut quæstionis negativam constanter tueamur, non tantùm movemur supra allatis exemplis; verùm etiam rationibus firmissimis. 1. Quia sciunt mores & animos provinciæ, ut & vires Principatus, experientia ductrice cognoverunt plurima. 2. Quia prædecessoris consiliariis mutatis, leges etiam Regiminis mutatum iri opinantur cives & consequenter oppressionem libertatis futuram suspicantur. At in republica gubernanda, dici non potest, quid noceat opinio & simulatio subditorum. Hinc novum Imperium inchoantibus admodum utilem & necessariam esse clementiæ famam, *ait.* Tacit. 4. *hist.* & monet hac de re multa Hippol. *à collibus, d. l. item* Althus. 12. Danæ. *p. 244. aphor.* 159. Antimach. *lib.* 1. *theor.* 2. *p.* 135. Tholos. *lib. 24. cap. 6.* 3. Quia novus magistratus à consiliariis veteris aulæ multum discere potest, quod ipsi in suo regimine admodum est commodo & utilitati, Tholos. *d. l.* 4. Quia si dimissi fuerint consiliarii secreta Principatus communicant aliis, & ob illam ipsam dimissionem, quæ ruborem iis incutit, vindictam meditari solent. Nec est, quod quidam putant hanc quæstionem exceptionem pati, eo casu, quo consiliarii demortui populo Principis admodum sunt inviси, qua etiam in opinione est Tholos. *lib. 24. cit. l.* idque exemplo D. Aurelii Imper. qui ad filium suum Commodum ita inquit. *Ego, ex quo intellexi, quid esset*

Rem.

Rempublicam gubernare, hoc semper habui infixum animo ut nunquam domi meæ haberem aliquem, simul atque illum odio esse civitati animadverti, Horol. princip. *lib. 3. c 58.* Item exemplo Achis Philistæorum Regis, qui Davidem ab exercitu suo abire jussit, propterea, quod esset Ducibus Philistinis admodum invisus & suspectus. Nam non tantùm est diversitas in exemplis, verùm etiam tenetur justus Princeps, non ex affectu populi, sed ex æquo & bono judicare. Proinde non recipimus simpliciter decisionem illam Caiphæ, *præstat unum perire, quam totum populum.* Sed illud potiùs valeat. *Fiat justitia & pereat mundus.* Quod si ergo Princeps aliud medium invenire potest, quo & odium populi mitigare, & Rempublicam salvare & sanare potest, non debet consiliarium suum fidelem removere. Potest igitur Princeps consiliarium suum alio ablegare, sive legati munere, sive aliis mandatis, vel etiam commendatione suâ apud alium Principem efficere, ut honestè & honorificè promoveatur. Quin & ipse consiliarius, qui in hoc infortunium incidit, tanquam vir prudens & reipublicæ amans, sponte officio decedat & furori cedat, & malit aliquid pati, quam magistratum in discrimen & periculum adducere. Sed si consiliarius vel officiarius Principis suis vitiis, culpâ, & propriâ turpitudine in odium populi incurrisset, aliud respondendum esse puto. Removevetur

vetur enim tunc, ut nocens, & ex illa noxa pernitiosus tam ipsi Principi, quàm etiam populo.

QVÆST. IV.

Vtrum consiliarius non requisitus teneatur monere & consulere Principem?

Setserus *in disp. Pol. de Consil.* putat, perinde consiliarium facturum, ac si Medicus non vocatus ad ægrotũ se intrudere velit, & proinde, talẽ arrogantiæ & adulationis notam vix posse effugere, autumat. Verùm assentiri Setsero alias JCto eximio, hac in parte non possumus. Nam cùm consiliarii debeant esse erga Principem, ut filii erga patrem, Principis sui negotia tractare, de commodo, utilitate & honore Principis & Reipub. fideliſſimè prospicere omninò teneantur, sequitur quod postulante necessitate, quamvis non consulti, attamen ob bonum publicum, Magistratui consulere debeant. Hippolitus *d. tractat. &* Hœnon. *hac disputat. th.* 37. Præsertim cùm Magistratus nihil quicquam de iis negotiis noverit, & ob intolerabilem negotiorum multitudinem, quibus gravatur, nihil quicquam cogitare de ea re potuerit. Uterque enim reus est, & qui postulante necessitate veritatem occultat, & qui mendacium dicit *D. Aug. l. de agone Christi.* Nihil ergo ab optimo consiliario magis alienum esse statuimus, quàm Principi in rebus commodum & utilitatem publicam spectantibus deesse. Ne verò in censum adulatorum refera-

referatur, vel arrogantiæ vitium incurrat, poterit consiliarius, rem priùs benè perpendere & deliberare, & simul ac circumstantias, an tempus, locus, & rerum status, id permittant, an verò res opportuniùs differatur, seriò animadvertere. Quòd si ergò habita deliberatione, è re & commodo Principis animadverterit, atque simul optimam occasionem id denunciandi nactus fuerit, perjurus potiùs erit consiliarius, si futurum malum non denunciarit, vel etiam veritatem contra conscientiam celaverit.

QVÆST. V.

Vtrum consiliarius à semel datâ sententiâ recedere debeat?

Invenies multos, qui potius ad palatum sui Domini, quam ad salutem & commodum Reipubl. sua dirigunt consilia, atque sic in eo imitantur malos Medicos, qui potiùs ad gustum ægroti, quàm ad sanitatem, medicinam præparant. Sunt qui levi vento ad diversos opinionum scopulos alliduntur, & ex aliena libidine huc & illuc fluctuantes agitantur, & sic aliud stando, decernunt, atque sic uti eorum, quæ apud illos, dominatur simultas & arrogantia, fert, ita etiam bonum malumvè publicum existimant. Sunt, qui ita pertinaciter sententiæ adhærent, ut quamvis rationibus fortioribus vincantur, non tamen decedunt, sed ut morosi & exosi homines, sibi tantùm placent, & sua tantùm pulchra judicant, & eos

eos qui contrà sentiunt odio prosequuntur. Cùm ergò utrumque sit maximum vitium & Reipublicæ detrimentum, quorum unum est levitatis & alterum pertinaciæ signũ, præstat mediam seligere viã. Et quamvis constantia vel maximè in consiliario requiratur, ita ut sicut unum habeat animum, ita etiam unam linguam & calamum, & sit immobilis, ut lapis angularis, & sicuti polus in cœlo, uti ait Duar. *ad l. 37. n. 3. d. R. I.* Tamen omni ratione videndum, ne ex constantia fiat pertinacia, oportet ergò illam constantiam semper esse conjunctam cum prudentia & rei veritate. Cùm v. prudentis non sit, in malè cœptis progredi, dementissimus erit, qui in detecto errore pertinaciter persistit, Senec. *Epist. 27.* Quamobrem non pudeat Consiliarium, si forsan prima consultatione sua verum centrum non tetigerit, meliùs consilium ac votum assumere, præsertim si aliquid supervenerit, quod causam ipsam mutat. Neque hic levitatis nota timenda, siquidem id sapientiæ est, revocare videl. illa, quæ malè prolata. Nemo doctus mutationem Consilii in melius, incõstantiam dixerit, Cic. 1. *Offic.* Oportet ergo consiliarios, qui in Reipub. navi sedent, tanquam in talorum jactu, ad id, quod acciderit res suas aptare, qualitercunque ratio duxerit.

QVÆST. VI.

Vtrum Consiliarius in Consistorium ire teneatur, si sciat, consilium aliquod tractatum iri, cui salva conscientia assentiri non possit?

Invenies non rarò, qui dum salva conscientia præcedentium sententiam probare non possunt, satis se facturos existimant, si tacendo, vel se absentando, vel capite abnuendo muneri suo satisfaciant. Verùm id faciunt non sine magno falsi vitio. Consiliarius n. officium suum cum religione juramenti ideò suscipit, ut sincerè, & fideliter, quod sentit, non taceat, sed clara voce denunciet & argumentis validis q; rationibus muniat. Præterea, quamvis tutiùs esse videatur, in Senatum non venire, quam cum offensione aliorum contrariam sententiam propugnare. Felin. *in c. quod super. de major. & obedient.* de officio tamen Cõsiliarii est, ut in senatum veniat, & pro veritate pugnet. Quamobrem secus facientes non tantùm officium & conscientiam violant, verùm etiam Deo ipsi, cui se juramento obstrinxerunt, criminis reos se constituunt. Nullo igitur modo, timoris & offensionis prætextu sese excusare queunt; siquidem timor juramentum illud, quod de officio fideliter obeundo judici æterno præstiterunt, abrogare nequit. Proinde pro veritate consiliariis pugnandum est, etiam si cæteros à justitia & veritate divortium facturos, adeoque se omnes offensuros, præsciant. *Plura vide apud* Keck. *discurs. de consil. q.* 14. *& de concil. q.* 7.

QVÆST. VII.

Vtrum Consiliarius pœnâ afficiendus, si consilium sinistrum sit fortitum eventum?

Nega,

Negativam quæstionis amplectimur his rationibus moti, 1. Quia, qui consilium dat Principi, fidem tantùm præstare tenetur, minimè verò ex eventu rei obligatur. 2. Quin sæpissimè optimè cogitata pessimè cadunt, & contra prava non rarò prosperè eveniunt. 3. Quòd res fortuna magis & providentia divina, quàm ex consiliis nostris dependeat. Non ergò ex consilii eventu de animo & fide consiliarii statuendum, neque quemquam pejoris fidei habendum, quòd alea rerum optimè propositarum eum fefellerit, uti contrà, alium neque melioris animi censendum, quod feliciores habuerit successus. Quamobrem cùm exitus rei non sit in manu & potestate consiliarii, nihil potest esse iniquius, quàm fidelem consiliarium, qui ex fide consilium suggessit, pœna aliqua afficere.

QVÆST. VIII.

Vtrum Princeps omnibus consultationibus interesse debeat?

Quamvis affirmativam quæstionis plurimi tueantur, non tn. è re Principis esse puto, si indifferenter omnibus consultationibus interfit. Sunt n. causæ nonnunquam tales, quæ in conspectu Principis minùs liberè ponderantur. Istis ergò ut se subducat, & consiliariis liberã potestatem cõsulendi relinquat, longè consultius esse arbitramur. Neque improbandam esse arbitramur consuetudinem Turcici Imperatoris, quòd in pro-

ximo senatus habendi loco occultè quando vult, consistat, atque per Cancellos sive velum oppositum omnium sententias audiat, sic enim adesse semper Principem, quamvis non adsit, suspicari debent, & nihilominus libertas in sententiis ferendis, libera ipsis relinquitur.

QVÆST. XI.

Vtrum Legatus fines sui mandati excedere possit?

Sæpiùs de hac quæstione inter Politicos disceptatio instituitur. Nam audies nonnullos, qui statuunt, quòd legati nonnunquam extra præscriptum agere possint, si videl. rerum tractatio id exigat & moræ nimis sint præcipitandæ. Verùm quæstionis negativam nos amplectimur, & ratio est, quòd ea, quæ mandati vi & verbis continentur non suo, sed magistratus nomine & voce proferre, nec quicquam detrahere, vel etiam addere teneantur, idque per textum, *in l. 5. in pr. ff. mand. & l. 11. §. 5. de inst. action.* 2. Quòd Princeps præscribendo certam legationis formam, omnem hujusmodi licentiam legato ademerit, Alber. Gent. *l. 3. de Leg. c. 16.* 3. Quia Legatus est interpres Principis, atqui, qui diversa refert ab eo, quod interpretatur, interpretis officium non tantùm excedit, verùm etiam Dominum suum videtur contemnere, vel se suamque prudentiam majoris facere, & licet non ex malitia vel superbia à Domini mãdato receſſerit; attamen in Domini

mini contumeliam magis, quàm honorem vergere videtur, & præterea si res ei ex animi sententia non succedat, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis subeunda est, & quòd si melius fortè res ceciderit, vix tamen æquiore animo à Principibus toleratur. Hâc ergo in re commendantur Romanorum Legati Tarentum missi, qui licet de injuriis sibi illatis conqueri potuissent, cùm inhumaniter fuissent tractati, imò unus eorum urinâ conspurcatus, tamen ad proponendum admissi iis verbis tantummodo legationem expedierunt, quibus eam sibi demandatam noverant. Contra Athenienses suos legatos, quòd aliâ, quam illi decreverant, viâ profecti essent, morte mulctârunt, Ælian. *l. 6.* Idcircò prudentiùs faciunt legati, ut si præter mandatum aliquid de novo emergens è re Principis esse videatur, illicò certiorem reddant Principem, & aliud exspectent mandatum & consensum Principis. Quòd si verò moram non ferat negotium, diligentissimè laborent in capiendo consilio, quod Principi utile futurum, ejusque causas statim ad Principem deferant. Quòd si verò alicui libera expediendi potestas fuerit permissa, aliud respondendum est, tunc enim in id legatus incumbere debet, ut consilium, ex re natâ & tempore capiat, & eò potissimum respiciat, ut ex optato magistratus voto & mente omnia succedant. Quòd si verò non omnino liberam legationem habuerit sed instructioni addita hæc clausula: Siquid ampliùs fieri oportet, pro locorum, temporum ac

personarum varietate curabit legatus, tunc similiter eò sua consilia dirigat, ut omnia secundùm votum & mentem Principis succedant. Scipio Gent. *de Leg.* Hippol. à Collib. Kirch. *l. 2. de leg. c. 6.* Keck. *disp. Philosoph. 33. q. 8.*

QVÆST. X.

Vtrum Legatum adversus Principem aut Rempublicam delinquentem, jure gentium liceat capere & punire?

Cùm nulla res sit, quâ societas humana arctiùs coalescere, aut vicinitatis conscederatio firmiùs conservari, aut amicitiæ, & pacis jura diutiùs sarta tectaque esse possint, quàm ultrò citroque missâ legatione, jure gentium introductum, ut nimirum Legati ubivis gentium sancti semper & inviolabiles sint habiti. Hinc non immeritò quæritur, utrum hoc privilegium sese etiam extendat ad illos, qui contra Principem vel Rempublicam peccant. Et sunt, qui & eo casu Legatos omni pœnâ eximunt, quos etiam sequitur Alberic. Gentil. *l. 2. c. 18.* ubi sic hac de re disserit. *Justissimè actum est, hisce diebus in Anglia, cum Legato Hispanico, credimus, qui in vitam Reginæ, Regnique salutem conjuravit, dimissus est. Dimittendum n. Legatum existimamus, cùm in eo interficiendo longè magis sæviatur, quàm necesse sit.* Et addit: *Peccatur in jus gentium graviter, si in vire, pellenda, supra, quàm oportet, enitimur.* Cui suffragatur etiam Kirchn. *d. t. l. 2. c. 2.* ubi disertè fatetur: *Legatum si adversus Principem peregrinum*

aliquid

aliquid commisorit, quem neque suum Principem neque dominum nullâ subjectione aut nexu obligatus agnoscit, majestatem ejus lædere non intelligi. neque illis legibus judicari, quæ non nisi subjectos, quibus scriptæ, tenent.

Verùm cum hæc impunitas, & licentiã delinquendi aperiat, & patrociniũ turpitudini pariat, in contrariã imus sententiã, & cũ Anonymo quodam, qui superiorib. annis hâc de quæst. integrũ edi curavit libellum, sub hâc limitatione legatum capiendũ & puniendũ esse statuimus; si videl. delictum à legato perpetratũ jure gentiũ improbetur & puniatur: verbi gratiâ, si injuriæ accusatur verbalis, & verũ convitium, vel verba maligna in Principem evomuerit, secus a. si liberiùs locutus sit, quia linguæ libertatem ipsa juris ratio in Legato urget, cùm tn. ob leviorem maledictionem secundùm jus civ. subditi puniantur. *t. t. C. si quis Imp. maledix.* Item si legatus accusatus ob injuriam realem, quæ in actum sit producta, nec in solo affectu consistat, quæ tn. etiam in subditis punitur, *l. 5. C. ad L. Jul. majest. 3.* Si legatus eum, ad quẽ est missus, lædat, volente eo, à quo missus, omninò gravem pœnã ab utroque meretur, quia, qui sceleri se obstringit, legatorum privilegiis absque dubio indignum se reddit. Nam reatus omnem honorem excludit, *l. 11. C. ubi senat.* Sin verò eum, ad quem missus, læserit, conscio eo, qui misit, certum quoque est, quod puniri debeat & possit, quia non legatus est missus,

sed sicarius emissus est. Et cum mittens fidem priùs fregerit, neque ei fides servanda, *l. 21. ubi Dd. de pactis, c. 28. de Simon. c. 27. de R. I. in 6.* Aliud longè est legatum violare & punire, hoc siquidem juris, & illud injuriæ est. Non ergo hoc, sed illo, juris gentium LL. & privilegia demoliuntur. Plura hac de quæstione *vide apud* Keckerm. *disp. Philosoph. 33. q. 11.* Ubi inter alia hoc suadet, quòd legato sic manifestè convicto & in ipso facinore deprehenso. Princeps ille, à quo missus est, debeat consuli, ne si quid gravius eo inscio statuatur, majorum turbarum justa nascatur occasio.

QVÆST. XI.

Vtrum Legatis liceat accipere munera?

Ansam dubitandi parit Athenienſium ἀνεξοβολίκαιον quo capitis mulctâ acceptio munerum legatis erat interdicta. Inde etiam legatus quidam, quamvis honorificam & probatissimam omnibus Athenienſibus pacem cum Rege Persarum confeciſſet, tamen quia in legatione munera accepisse visus fuerat, parùm abfuit, quin & ipse ex eâ lege capitali supplicio afficeretur, referente Xenoph. *l. 7. rerum Græcarum.* Ad eundem modum Veneti capitali pœnâ suis legatis munera accipere interdixerunt, Gentil. *l. 3. de Legat. c. 3.* Sic & Corinthii eandem legem contra Legatorum munerum acceptionem tulerunt. Et idem de Romanis scribit Saluſtius, Zonar. *ex* Valer. Max. *de Abſtinent. & continent. cap. 3.* Dux Moſcovi-

scovitarum auferre legatis ad se redeuntibus munera omnia solet, *Jovius in Icon.* Rationem hujus rei refert Gentil. *l. de leg. c. 13.* quòd, munera, qui semel acceperit, & largitionibus sit corruptus, non tam constans manere judex commodorum publicorum possit, unde adeo sæpè bos in lingua, ac Demosthenis exemplo plùs accipiunt, ut taceant, quam alij, ut loquantur. Verùm nos hoc per omnia & simpliciter probare non possumus. Nam si promiscua munerum acceptatio prohibita, utique eorundem etiam erogatio, atque adeò ipsum etiam præcipuum societatis humanæ vinculum liberalitas sublata esse videretur. Quamobrem distinguendum esse putamus inter muneratorem & inter ipsa munera, quorum quædam dicuntur publica & ordinaria; Quædam extraordinaria, & privatim data, quæ vel singularis alicujus benevolentiæ & hospitalitatis causâ, vel corruptelæ & animi nundinandi ergo offeruntur. In extraordinarijs ergo Legatus erit moderatus, & omnia regula prudentiæ metietur, *vide Alb. Gent. d. l.*

DISPVTATIO XII.

DE LEGIBUS, ET EXECUTIONE LEGUM.

Resp. *Ernesto Sprengero. Lichâ. Wetteravo.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

CVm de Instrumentis administrationis præcedenti disputatione tractatum; succedit jam in

ordine, ut de ipsâ norma ac formâ administratio-nis, quæ in ipsis legibus & earundem executione consistit, dicamus.

Thesis I.

Et ut de necessitate legum primùm dicamus, certum est, *Leges* esse & animam ac spiritum civitatis, & unà cùm ipsius civitatis primordiis cœpisse, §. *11. Instit. de rer. divis.* Ut enim corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine & membris uti non potest, Cicer. *pro Cluent.* Quintil. *l. 5. Inst. Orat. c. 11.* Hinc civilium controversiarum norma & regina omnium tàm divinarum, quàm humanarum rerum rectè appellantur, *l. 2. ff. de ll.* Hæ enim sunt, quæ judicis cohibent effectus, ut non ex arbitrio sibi fingat æquitatem, sed omnem controversiarum nodum hoc veluti ense recidat, A. Fab. *in Jurisp. Papin. ad tit. de just. & jur. pr. 2. illat. 6.* Actum proinde est cum illa civitate, ubi judex ex suo tantùm arbitrio statuendi potestatem nactus, & ubi mores perduxerunt leges in potestatem suam, & ad parietem miserè clavis ferreis sunt fixæ. Plaut. *in Trin.* Hinc miseri agrestes illi censendi, qui sine legibus vixerunt. Salust. *in Catil.*

2. Est ergo Lex regula eorum, quæ ad salutarem administrationem regni pertinent: regula inquam, & faciendorum & omittendorum. Ut enim Architectus sine libellâ & linea nihil proficit, & ut nautæ cursum navis tenere non possunt, sine ferro, quod affricuit Siderites: ita nec Imperantes sine hac norma. 3. De-

3. Definitur à *JC. Papin. in l. 1. ff. de ll.* Commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur coërcitio, communis reipublicæ sponsio. Demosthenis & Chrysippi definitiones & descriptiones refert *JC. Marcian. in l. 2. ff. de ll.* quas ibidem vide.

4. Dividitur Lex in genere, in divinam & humanam.

5. Divina, quæ ab ipso Deo lata, est in triplici differentia: Est vel moralis, vel ceremonialis, vel forensis.

6. Moralis est, quæ præcipit, qualis unusquisque esse debeat in moribus internis & externis, ut tota vita conformis sit cum voluntate Dei. Cujus legis summa comprehenditur in Decalogo, *Exod. 20.*

7. A qua lege morali, cùm jus naturæ tantummodò nomine differat, sequitur eandem & perpetuam esse & eidem omnes homines æquè etiamnum adstrictos, Althus. 16. c. *Pol.*

8. Ceremonialis dicitur illa, quæ ad certum tempus populo Israëlitico tantùm præscripta fuit, & adventu Messiæ est abrogata, *Gal. 3. v. 24. Col. 2. v. 17. Eph. 2. v. 15.*

9. Forensis seu judicialis est, quam de gubernatione Politicâ, videlicet de ordine, de officiis Magistratuum, judiciorum, pœnarum, contractuũ & dominiorum distinctione &c, populo Judaico Deus præscripsit, in hunc finẽ, ut justitia inter

inter cives, & tranquillitas publica vigeant, & leges Dei à contemptu vindicentur, *Lev. 24. v. 16. Deut. 13. v. 5.*

10. Lex humana dividitur in communem & propriam.

11. Communis est vel hominum & brutorum animalium simul, vel hominum tantum.

12. Illa, quæ communis est hominum & brutorũ, *jus naturæ* appellatur, ex eo, quòd ex principiis naturalibus erumpit, ut est maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio & educatio, *pr. Inst. de. I. N. G. & C.* ubi etiam definitur: Quod natura omnia animalia docuit.

13. Hæc ergo, quæ hominum tantum est, *Jus gentium* appellatur, ex eo, quod solis & omnibus gentibus conveniat, *l. 1. ff. de Iust. & Iur.*

14. Estque rursum duplex: Primævum & secundævum.

15. Primævum, quod à JC. antiquum appellatur, *l. 1. de A. R. D.* est, quod à principiis divinis vel à recta naturali ratione, veluti Deum colere, parentibus & patriæ obedire, quæ sanè à nullo, quàm mente & ratione proficiscuntur, originem traxit, unde definitur: quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. §. 1. *Inst. de I. N. G. & C.*

16. Secundævum est, quod ab externis & civilibus principiis, non statim cum genere humano ortum, sed postmodum usu exigente & humanis necessitatibus requirentibus introductum.

ctum. Unde etiam definitur: Quod usu exigente & humanis necessitatibus à Gentibus constitutum, §. *jus autem gentium, Inst. de I. N. G. & C.* Gentium autem jus appellatur, quia omnibus, ut plurimum gentibus est commune, ut est dominiorum distinctio, commerciorum, contractuum & bellorum ratio, constitutiones civitatum, &c.

17. Propria lex, quæ alias Politica appellatur, dicitur illa, quam quælibet civitas propriam sibi constituit, quæ trahit ut plurimùm originem suam ab externis principiis & se ad naturam loci, temporis, personarum, & ad communem Reipublicæ utilitatem & commodum refert. Hinc pro qualitate & naturâ loci varia est & mutabilis.

18. Estque imprimis vel de regno ineundo, & sic appellatur lex regni, seu fundamentalis: vel de Regno regendo, & sic communi nomine legis continetur.

19. Et dividitur hæc rursum in universalem & municipalem.

20. Porrò, quia cura legum Politicarum, consistit tàm in justâ earum sanctione & præscriptione, quàm in earundem executione; ideoque de hisce duobus nobis imprimis hac disp. erit despiciendum.

21. In sanctione legum, causa efficiens, materia forma, finis, effectus, adjuncta & contraria, perpendenda nobis veniunt.

22. Causa

22. Causa efficiens sunt LLatores, quales sunt in Repub. ij, penes quos in Repub. est summa potestas, utpote est in Monarchia ipse Princeps, in Aristocratia optimates, in Democratia totus populus.

23. Sed in Republicâ Romanâ, illa absoluta LL. universales condendi potestas, in Imp. hodiè certo modo circumscripta est. Constitutum enim est, ut illas condat Imp. cum assensu & consilio statuum Imperij, unde etiam leges in Comitiis imperialibus latæ & conditæ vocantur recessus imperij seu Comitiorum, Reichs Abschiede.

24. Ad eundem etiam modum, quia Principes & reliqui status Imperii in suis provinciis & territoriis Imperatorem repræsentant, vigore superioritatis, Krafft Landsfürstlicher Obrigkeit / specialem & localem legem condere possunt, & sic jura & constitutiones provinciales, Hoff und Landgerichtes Ordnung / promulgant, contrarias abrogant, & novas subinde constituunt, quibus subditi etiam omninò subjiciuntur, & secundum quas ipsa Camera Imperialis adstricta est, pronunciare. *Ord. Cam. p. 1.* Von des Käyserlichen Cammerrichters und Beysitzer Eyd *ibid.* nach redlichen / erbaren und Landischen Ordnungen / Statuten und Gewonheiten der Fürstenthümer und Herrschafften.

25. Duo

25. Duo imprimis in LLatoribus requirimus : Pietatem videlicet & auctoritatem sive vitæ integritatem.

26. Pietatem ideo, quia nihil boni proficiſci poteſt ab eo, qui religionem ſuſque deque habet. Vituperandus ergò ex hoc loco eſt Cabades Rex Perſarum , quòd legem tulerit, ut omnes fœminæ eſſent communes , Procop. *de bell. Perſ. libr.* 1. *p.* 121.

27. Vitæ integritatem requirimus in LLatoribus, ut auctoritatem legibus ſuis addant, &, ne ſuis legibus latis damnentur , caveant. Hinc antiqui legislatores, ut ſua legibus conſtaret auctoritas , profeſſi ſunt , leges à ſe latas, ſibi inſpiratas eſſe divinitus. Hinc Minos fingebat, ſe ab ipſo Jove leges ſuas didiciſſe, quòd per annos novem ad montem quendam commearet , ubi antrum Jovi ſacratum erat, à quo reverſus ſemper leges Cretenſibus attulit. Nicol. Damaſc. *de mor. Gent.* Sic Lycurgus conſilio Apollinis Lacedæmoniis leges compoſitas ſe ferre perſuaſit. Val. Max. *l.* 1. *c.* 3. Sic Numa nocturnos conventus cum Deâ Ægeriâ ſimulavit. Liv. *l.* 1. *p.* 22. *Schonb. l.* 3. *c.* 2.

28. Materia legum, partim divinis & humanis rebus, partim publicis & privatis, partim perſonis & rebus finitur.

29. *Divinas* dicimus leges, quæ ad religionis & divini cultus officium pertinent : *Humanas* , quæ ad commodum & utilitatem hominum:

minum: *Publicas*, quæ ad ſtatum totius Reip. *Privatas*, quæ ad ſingulorum utilitatem & rationem referuntur: *Perſonis*, cum de ſtatu & dignitate & conjunctione perſonarum quæritur: *Rebus* cum de dominiorum diſtinctione & commerciis agitur.

30. Illud tamen omnino neceſſe eſt, ut condantur de his, quæ frequenter fieri ſolent. *l. 3. & ſeqq. ff. de ll. & l. 3. ff. ſi pars hared. pet.* & negotiis etiam futuris, non verò præteritis formam dent, *l. 9. C. de ll. & l. 29. verſ. quæ in poſt. C. de teſt.*

31. Forma legum præcipuè conſiſtit in his. 1. Ut concipiantur generaliter, non in ſingulas perſonas, *l. 8 ff. de ll.* Sint breves, quo faciliùs ab imperitis teneantur. 3. Jubeant non diſputent. 4. In Scripturam redigantur, ut cives meliorem poſſint earundem habere notitiam. 5. Rationem etiam optimam habeant. Eſt enim ratio anima legis, *l. 17. ff. de ll. & arg. c. ſedulo. 38. diſt.* Nam ſicuti anima dominatur corpori, ita etiam ratio legis, dominatur verbis. Hinc lex ex ratione ſemper eſt æſtimanda. Ubi ergo ratio non eſt, ibi neque lex eſt, quia juſtitia eſt habitus animi & quidem bonus, qualis eſſe non poteſt, niſi quatenus ratione perficitur, *arg. c. conſuetudo, diſt. 1.* Nec tamen ſuperſtitiosè in legis rationem inquirendum eſt, *l. 20. cum ſeqq. de LL. & l. 51. §. fin. ff. ad L. Aquil.*

32. Finis generalis eſt ſalus Reipub. Specialis verò finis legum eſt, ut per eas homines reti-

nean-

neantur in officio. Nam improbitas hominum causam legum lationi dedit. Sicuti enim antè morbos necesse est cognitos esse, quàm remedia eorum; sic cupiditates priùs natæ sunt, quàm leges, quæ iis modum fecerunt, Schonb. 3. *Polit. 4.c.*

33. Effectus legis describitur, *in l. 2 ff. de ll. & in l. 7. ff. de jur. patr.* quod videlicet, vel ad obedientiam vel ad pœnam obliget. Vel ut imperet necessaria, vetet inutilia, permittat media, puniat id, quod secùs fit, quàm lex vult *l. 7 ff. de ll.* Sive id fiat contra expressam legis prohibitionem, sive in fraudem legis, *l. 29. cum seqq. ff. de ll.*

34. Ad adjuncta legum pertinet. 1. Ut leges quàm fieri potest, sint bonæ, paucæ, & generales. Nam fieri non potest, ut omnes articuli sigillatim legibus vel SCtis comprehendantur, *l. 2. ff. de ll.* Spectat huc interpretatio legum, ut ex his, quæ primo constituta sunt, si sententia Latoris manifesta sit, id juris producatur ad similia, idque vel optima interpretatione, vel supplicatione, vel supremi Principis constitutione, *l. 1. & 12. & seqq. ff. de ll.* Quod si vero vox legis ambigua, ea potius significatio accipiatur, quæ caret vitio, *l. 19. d. t. & l. 67. de R. I.* benignior semper præferatur sententia, *l. 12. & l. 25. ff. d. t. & l. 56. & l. 192. in fin. de R. I.*

35. Pugnantia legum sunt, 1. Interitus & occasus earum, qui cõtingit, vel *desuetudine*, cum

non utendo finiuntur & antiquantur. Exemplum habemus in libertis deditiiis & latinis, §. *fin. Inst. de libert.* Item in testamentis calatis comitiis, in procinctu, & per æs & libram, §. 1. *Inst. de testam.* vel id contingit *constitutione* alia læta, qua aut abrogantur aut derogantur, aut subrogantur aut obrogantur. *Abrogantur*, quæ penitus tolluntur, ut L. Fusia Caninia, §. *ult. Inst. de L. Fus. Can. toll. Derogantur*, quarum pars aufertur, ut L. Aquilia, cujus secundum caput in usu esse desiit, §. 12. *Inst. de L. Aquil. Subrogantur*, quibus aliquid adjicitur, ut in testamentis paulatim contigit, §. 3. *Inst. de testam. Obrogantur*, quæ in aliam speciem & formam mutantur, ut usucapio, *t. t. C. de usucap. transform.* 2. Mutatio Veterum, & subrogatio novarum, Schönb. 3. Pol. 9. Et tantum de legum sanctione.

36. Executio legis tam necessaria est, quàm earum sanctio. Nam Lex executione carens, quasi campana aut nola sine pistillo & velut i Magistratus mutus & mortuus, Bodin. 3. *de Republ.*

37. Ad executionem legum pertinet administratio justitiæ & censura.

38. Administratio justitiæ, idem est in Republica quod anima in corpore, Tholos. *l.* 10. *de Republ. c.* 7. qua remotâ, Regna sunt magna latrocinia, *teste* August. *Sapient.* 1.

39. Expeditur, exercitio jurisdictionis, quod voca-

vocamus actum publicum, quo Magistratus subditis juxta ll. & æquitatis normam jus dicit.

40. Id fit vel *extrajudicialiter*, vel *judicialiter*. *Extrajudicialiter*, cùm sine processu judiciario ex æquo & bono Magistratus vel per se ipsum, vel per commissarios jus dicit. *Judicialiter*, cùm per ordinarium judicem secundùm ordinem judiciorum, processum & stylum curiæ jus reddit.

41. Constitutio judicii consistit, partim in personarum idonearum ordinatione, per quas judicium est exercendum, partim in judicii differentiis.

42. In personarum idonearum ordinatione, respiciendum imprimis est, *ad qualitatem*, *ad officium*, *ad numerum*.

43. Qualitas consistit inprimis in peritiâ juris & legum, ut videl. periti, docti & pii constituantur judices. Itẽ in severitate convenienti, quæ nõ consistat in summo rigore, vel nimiâ clementiâ. Itẽ in integritate & puritate vitæ, sit judex à crimine, quod damnaturus est, immunis, si n. nõ patimur verrucas nostras ab iis qui ulceribus scatẽt reprehendi, multò minùs vitia à similibus condemnari. *Sint præterea* immunes ab omnibus pravis affectibus, quæ justitiæ quàm maximè obsistunt. Quamobrẽ judices sedere solent, *Nov. 71. c. 1.* ut tranquillitatis animi admoneantur, & affectus in tribunalis vestibulo exuere & cum conscientia procedere jubeantur. *Vnde Bald l. 2. C. de sent.*

de sent. ex per. recit. duos sales requirit in judice, videlicet salem *scientiæ & conscientiæ.*

44. Ad officium eorum pertinet, causas dubias & controversas in judiciis cognoscere & decidere. Quò maximè spectat, ut utramque audiant partem & utriq; æqui sint. Idque exemplo Alexand. Magn. quem in controversiis audiendis solitum aurem obturare alteram, ut eam reo integram servaret, referunt. Imprimis cavendum, ne præcipitantiæ argui possit. Sententiam ergo judex non præcipitet. Nam sententiam qui præcipitant, secundum Senecam in prov. ad pœnitendum properant. Hinc Hippol. de Marsil. rectè ait: *præcipitata voluntas est noverca justitiæ.*

45. Unde patet, quòd judex nequeat esse vel surdus, vel mutus, De cœco nonnihil est controversũ, quem tn. non facilè constituendũ, nec frivolè rejiciendum, ob juris civilitatem, ducimus *l. 6. ff. de Judic.*

46. Ad officium quoque judicum pertinet, ut accuratissimam curam librorum & actorum judicialium, cùm describendorum, tùm cautè asservandorum habeant.

47. Numerus judicum à summo Magistratu certus est constituendus; & quàm fieri potest pauciſſimi sunt habendi.

48. Adjunguntur judicibus quoque adsessores, qui suis votis judices adjuvant; item ministri

stri varii, ut sunt scribæ, apparitores, lictores, custodes carcerum & captivorum præfecti, &c.

49. Differentia judiciorum consistit in eo, quòd aliud sit intermedium & subordinatum: à quo datur appellatio: aliud summum, à quo ad aliud appellatio non datur.

50. In legitimo judiciorum exercitio rursum occurrunt res, de quibus, item personæ, inter quas, forum, in quo modus etiam, quo judicium exercendum, & denique ejusdem divisio.

51. Per res intelligimus causas controversas, quæ licet minimæ sint, attamen in judicium deferri possunt, Timpl. 4. *Pol.* 9. 5.

52. Personæ sunt & Actor & Reus, quibus certi limites in jure præscripti, uti apud JC. latiùs videri potest.

53. Personis iis inserviunt pragmatici, causidici, procuratores, advocati, de quibus probè notandum: Quòd omni studio cavendum sit, ut numerus eorum non excrescat, ne omnia litibus impleantur, & ne veluti hirudines privatorum bona exsugant, item ut quàm compendiosissimè omnia agant, sine inanibus verborum ampullis, Tholos. 4. *de Rep.* 9. Althus. *c.* 24.

54. Per forum, locus intelligitur, in quo exercetur judicium, qui erat apud Judæos ad portas, hodiè verò, ubi iste sit locus, nihil est dispositũ, duñodò sit certus, determinatus & publicus.

55. Per modum, processum judiciarium intelligimus, de quo pragmatici sunt consulendi.

Id tantùm hoc loco monemus, ut Magistratus constituat & urgeat planum, & quæ sunt de lanâ caprinâ altercationes removeat, & quantum fieri potest, ipsam causam promoveat.

56. Dividitur porrò judicium in *civile*, quod judicat de causis civilibus, id est, talibus, quæ nõ habent delictum seu crimen, ut sunt, hæreditates, contractus, &c. Vel *criminale*, quod judicat delicta. Ad utrumque pertinent jurisdictionalia, merum & mixtum imperium.

57. Ad criminale judicium pertinent. 1. *Deprehensio facinorosorum.* 2. *Inquisitio.* 3. *Executio.*

58. Ad deprehensionem quod attinet, requiritur, ut magistratus curet maturè per certos ac fideles lictores eos & capi & custodiri. Quo pertinet, ut magistratus probè munitos & distinctos habeat carceres, ut nempe alii aliis sint honestiores, & illorum jus inviolabile servet, & à fracturâ, gravissimâ pœnâ defendat, item ut spõsiones pro custodiâ, die Außbürgung non facilè admittat.

59. *Inquisitio* est gemina: *mitior*, quæ fit sine torturâ, per argutas & acutas quæstiones atque articulos ad examinandum reum excogitatos. Vel *gravior*, quæ fit in vinculis & per torturas.

60. Executio consistit in irrogatione pœnæ criminalium judiciorum.

61. Pœnæ autem sunt vel *capitales* vel *non capitales*.

62. Ca-

62. Capitales sunt, cum vel *vita naturalis adimitur*, quod fit variis suppliciorum generibus, utpote, *Cruce*, Lips. 3. *de Cruce, furca*, cujus vicem strangulatio ad patibulum hodiè supplet. *Crematione, l. 8. §. 2 ff. de pœn. lapidatione, Deut. 22. Levit. 24. Actor 7. Submersione, Dissectione*, cùm corpus discerpitur in 4. partes, vel instrumentis ferreis vel equis adhibitis, quod frequenter fit in Gallia, *Fractione* per rotam. *Excoriatione, 2. Macc. 7.* Herod. *lib. 5. Dejectione è rupe*, Gell. *lib. 20. c. 1. Dissectione* omnium venarum corporis, &c. Vel *vita civilis aufertur*, utpote *Privatione libertatis & civitatis, vel alterutrius*, quod contingit *damnatione* in metallum inquirendum vel eruendum, vel *ad bestias*, vel ut sint præda bestiarum, *l. 9. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* Vel *ut cum bestiis pugnent, l. 4. ff. de accus.* Vel ad *Carcerem perpetuum*, quæ tamen jure civili in libero homine fuit planè incognita, *l. 35, ff. de pœn. & l. 8. § 9 ff. & l. 6. C. eodem.* Nam carcer custodiæ, non pœnæ loco constitutus & inventus est, *l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt.* quamvis contrarium de Jure Canon. introductum, *c. 3. de pœn. in 6.* Idem contingit *deportatione* in exilium, *l. 2. de public. jud. Item in opus publicum perpetuum, l. 17. §. 1. ff. de pœn.*

63. Non capitales sunt amputatio alicujus membri, & primò quidem tantùm manus, *Novell. 134. cap. ult. auth. sed novo, C. de serv. fugit.* Item amputatio pedis, *l. 3. C. d. t.* Postea

ſtea etiam linguæ, aurium: Et relegatio, *l. 28. §. 1. de pœn.* Conjectio in carceres ad tempus: fuſtigatio, *l. 28. §. 2 de pœn.* ſtigmatis inuſtio, quæ hodiè ſublata eſt, *per l. 17. C. d. t. multtatio*, quæ tum criminalis eſt, cum fiſco applicatur mulcta, *arg. l. 5. C. de modo mulct.* Quo etiam referuntur confiſcatio & excommunicatio. Menoch. *d. A. I. Q. Caſ. 438. n. 35.*

64. Executio fit per certas & deputatas perſonas, quas hodiè carnifices vocant, quorum miniſterium tàm neceſſarium, quàm pœnarum executio, quamvis ipſi hodiè omnibus exitioſi, & infames & conſortio honeſtorum indigni videantur, Cic. *pro Rab.*

65. Iniquiſſima proinde conſuetudo fuit, quam etiam in nonnullis Germaniæ locis frequentari audies, ut ſi carnifex ipſo actu deficiat, neque unico ictu rem peragat, quod repentè promiſcua in illum multitudo irruat & lapidibus obruat. Cum igitur ex hac licentia enormia exiſtere ſoleant facta, ſapientiſſimè huic conſuetudini obviam ivit, *Car. V.* in der P. H. O. *art. 97.* in qua conſtitutum, ut cùm fracto poſt ſententiam definitivam baculo à judice, lictor reum ad locum ſupplicii trahit, prætor palàm ac publicè exclamari & denunciari, adeoque Magiſtratus atque poteſtatis nomine ſub capitali pœna juberi faciat, lictorem nulla ex parte impediri, & licet caſus in eventu fuerit, nullas illi manus violentas injici.

66. At-

66. Atque hæc, hac vice pro instituti nostri modulo de legum sanctione & executione sufficiant; De censurâ autẽ, ut & de ærario, quia nec tempus nec Chartæ exiguitas aliquid in præsentiâ addere permittit, ideoque ad commodiorem locum & tempus, ubi pleniùs de iis loqui possumus, differimus.

QVÆST. I.

Vtrum melius, si Respublica, ab optimo Rege; quàm ab optima lege administretur?

Hac de quæstione acerrimè inter se digladiantur Politici, quorum alii tutiùs à bono Principe, alii meliùs à bonis legibus Rempublicam administrari putant. Qui tutius esse putant à bono Principe Rempublicam gubernari, sententiam suam muniunt his fundamentis. 1. Quòd nulla comparatio inter mutum & loquentem Magistratum, hoc est, inter legem & Regem, institui possit, propterea, quòd lex sit mutus Magistratus, Rex verò loquens & anima civitatis, ut enim norma nihil potest sine artifice, ita etiam lex nihil potest sine Rege. 2. A defectu legis, quia lex universaliter solùm loquitur & sæpiùs in rebus singulis & contingentibus deficit. Rex verò illum defectum supplet & rigorem legis prudentia sua moderatur & mitigat. 3. A simili. Nam ut Medicus non est ita juratus in singula artis præcepta, quin aliquando pro sua agat prudentia; ita moderator civitatis non est ita adstrictus legi-

bus, quin sæpè pro suo arbitrio civitatem meliùs regat. Nam ut ars medica, ita etiam lex Politica solùm universalia præcepta tradit. Ut enim Medici multos perderent, si solùm sequerentur artem, ita Reges Rempublicam labefactarent, si solùm sequerentur legem. Experientia ergò Regis facit, ut defectiones legum suppleantur & errata corrigantur. 4. A naturâ & officio utriusque. Nam lex est solùm muta regula rationis, & Princeps est lux & vita civitatis. 5. Quia civitas administrari potest sine lege, at sine magistratu non. 6. Quia Respubl. magis Regi, quam Legi servit: sceptrum enim magis, quam scriptum timetur; Lex gladium non habet, quo putrida membra Reipublicæ & partes corruptas tollat, 7. Quia lex à Principe suam habet auctoritatem, non Princeps à lege, Casus *in Sphær. civit. lib. 3. c.* 11. Bart. *in l. præsenti*, C. *de his qui ad Eccles.*

Verùm optandum quidem esset, ut magistratum nullis planè affectibus pravis obnoxium, prudentissimum semper, atque adeò absoluto intellectu & voluntate, præditum, qui legibus nullis egeret, secundum quas judicaret, habere possemus. Cùm autem in hac vita talis vix detur, contrariam amplectimur sententiam, & statuimus, meliùs & tutiùs administrari Rempub. si Magistratus secundum optimam legem sententiam ferat, quam si ex arbitio. Siquidem per id tutius administratur Respub. quod affectibus caret,

caret, quam quod affectibus agitatur perpetuis. Est enim Lex regula justitiæ, quæ justior ipso Magistratu: addo, quod hac ratione variis modis jus conturbaretur, sic enim aliud alii justum videretur, nec haberemus certum & firmum jus nec veritatem unam. Præterea detrimentosum esse, nullus sanus negabit, si omnes subditi non eodem jure utantur. Quin & licet prudentissimi essent Magistratus, adhuc tamen legibus opus erit, ut videlicet voluntas Magistratus à subditis cognoscatur, alioquin extra culpam essent subditi, cùm justam ignorantiam prætendere possent. Meliùs ergo & tutius est, ut magistratus non ex arbitrio sibi fingat æquitatem, sed sit legum minister, & ex præscripto legum sententiam ferat.

QVÆST. II.

Vtrum Magistratus legem latam mutare & & aliam subrogare debeat?

Mutationem omnem periculosissimam esse, nemo est, qui ambigit, quin & legum mutationem periculosam esse, exindè facilè patet, quòd nempe subditi, per illam annihilationem, opinionem pravam concipiant de omnibus LL. in genere, quod videl. sint regulæ veræ, namq; regulæ proprium est, ut sit perpetua & cōstans, quo etiã pertinet, *l. 2. ff. de const. Princ. & l. 23. ff. de legibus, & l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus.* Præterea etiam ipsius latoris vilescit auctoritas, cogitant n. subditi, cum

eum non esse ea prudentia, ut possit rectè perspicere temporum, personarum & locorum futuras circumstantias, dùm nempe id, quod aliquando sapientibus & prudentibus placuit, & Reipubl. profuit, mutat vel abrogat. Cæterum confusionem introducit talis mutatio vel abrogatio. Nam homines leges vili pendere incipiunt, cum vident easdem subinde mutari. Hinc suadet, Cleon. *apud Thucid.* Melius cum civitate agi, quæ malis legibus constãter utitur, quàm cum ea, quæ bonis utitur, quia nempe non tantùm proderit, qui corrigere perget, quantum nocebit assuefactio superioribus non parendi. Et hinc apud *Locrenses* collum in funem mittere cogebatur, qui novam voluit introducere legem, ut si non acceptaretur à populo, cõtracto laqueo, transgularetur, Cas. *3. Polit. 6.* Dan. *3. Polit. 4.* Tholos. *10. Polit 5.* Bodin. *4. de Republ. 4.* Valq. *1. ill. controv. c. 8. n. 50. & c. 29. n. 23. & seq.* Schönb. *lib. 3. Polit. c. 9.*

Verùm cum variæ recurrant circumstantiæ, personarum, locorum & temporum, quæ ratione suæ diversitatis, diversitatem & mutationem legum omninò flagitant, ac interdum leges latæ iniquitatem secum ferant maximam, non omninò priori sententiæ subscribimus, præsertim cum leges inservire debeant hominum usibus & moribus, & sese ad Reipublicæ tempora accommodare, cur non mutatis moribus etiam leges, mutari deberent; Quæ autem in contrariam sententiam allata sunt argumenta, nos non percellunt,

siqui-

siquidem id magis est, ut respiciamus ad id, quod necessitas Reipublicæ flagitat, quàm ad pravam opinionem subditorum; interim tamen & leniter & lentè abrogari & mutari possunt. Id quod gravissimorum & saniorum Politicorum sententiis probatum esse invenimus, Cas. *l.* 2. *Sphær. civ.* 6. Keck. 1. *Syst.* 6. Lips. *l.* 4. *c.* 9. 24. Dan. 3. *Pol.* 4.

QVÆST. III.

Vtrum Leges judiciales Mosaicæ unà cum Ceremonialibus abolitæ, an verò adhuc in N. T. Christianos stringant?

Acerrima est quæstio de Legibus judicialibus Mosaicis, utrum sint abolitæ nec ne; Nam sunt, qui eas in totum abolitas esse ajunt, Dan. *l.* 5. *Pol. c.* 2. *circa fin.* Schönb. *l.* 3. *Pol. c.* 1. *& plurimi alii.* Quorum argumenta & rationes imprimis hæ sunt. 1. Quod hæ leges peculiariter populo duntaxat Judaico latæ, quo extincto, consequens est, alios hisce non teneri. 2. Quòd Deus O. M. primus ac summus Legislator, ad certum duntaxat tempus Politiam Mosaicam durare voluerit, acideò moralem quidem legem tabulis insculpsit lapideis, forenses & Ceremoniales non itē, non certè aliam ob causam, quàm quod illa durabilis, hæ v. mutabiles futuræ. 3. Quòd satis firmū de voluntate Dei in abrogandâ Republica Judaica præbeat argumentum idipsum, quod ille templum illorum celeberrimum ac pro miraculo mundi habitum siverit everti & funditùs dirui, ita ut nec lapis super lapidem relictus juxta prædi-

prædictionem Christi, *Matth 24. v. 2.* ac licet fæ-
pissimè conati sint illud, & Politiam de novo in-
staurare, conatus tamen isti semper fuerunt irri-
ti. Nam sub *Juliano Apostata*, in odium Christi-
anorum illis licentiam concedente templi instau-
randi, cum fundamenta jacerent, magno terræ
motu, dehiscente terrâ, inter fulmina ac tonitrua,
totum opus disjectum est, & multa millia Judæo-
rum ruinis oppressa sunt, Sozomen. *lib. 5. hist.*
Eccl. cap. 21. Ita etiam sub *Adriano* disjecti &
prostrati sunt, in vita *Adrian.* *Anno Christi*
138. Exinde ergo colligunt cum Republica Ju-
daica, etiam leges forenses esse in totum subla-
tas.

Contrà sunt, qui asserunt, leges forenses ad-
huc in solidum in omnibus suis partibus & cir-
cumstantiis Christianos obligare, & moventur
his imprimis fundamentis. 1. A minori. Quòd
utamur in Republica Romana legibus Ethni-
corum. Ergò multò magis divinis. 2. A causa
efficiente. Quòd tantò dignior lex sit, quantò
dignior est Legislator. Cum ergò Deus sit auctor
harum legum, non possunt non esse optimæ, cer-
tæ, perpetuæ ac immotæ. Ergo etiam in Repu-
blicâ Christianâ retinendæ.

Verùm sententiam horum optimè refutat,
Althus. *c. 17. p. 223. & seqq.* Pluribus argumentis,
quæ ibidem vide. Nos ergo ut mediam eliga-
mus viam, quæstionem distinctione quadam de-
terminandam esse putamus. Leges enim foren-

ses

ſes quædam præcipiunt de immutabilibus & omnium gentium communibus motibus, qualia ſunt delicta moralia, contra Decalogum admiſſa, ut homicidium, adulterium; ſeductio à vero Deo; blaſphemia; percuſſio parentum, &c. Quædam ſunt de rebus mutabilibus, & Judaicæ genti ejuſque politiæ propriis, ut fuerunt emancipatio ſervorum, conjugium cum vidua fratris cognative defuncti abſque prole maſcula & quæ fuere plurima alia. In quantum ergò Lex coincidit cum Decalogô, in tantũ conſtanter permanet. Quod verò abſolutè judiciale, id mutatur plurimis circumſtantiis, adeò ut pro tempore, loco, perſonis, factis, modo, cauſis & adjumentis plurimum in adminiſtratione Imperij variet. Quod verò ceremoniale, id in univerſum periit, *vide hac de quæſtione plura apud* Althuſ. *d.c.17. &* Hœn. *diſp. polit.1.c.18.*

QVÆST. IV.

Vtrum jus gentium rectè diſtinguatur in primævum & ſecundævum.

Diſtinctionẽ hanc impugnant Coraſ.6. *Miſcel.c.ult &* Baro *ad t.C. de ſumm. Trin. in præcon.* idq; imprimis ex hoc fundamento, quòd JCtus, *in l.1.§ 4.ff. de I. &* I. unius tantum juris gentium mentionem fecerit. Verum contrarium demonſtratur exinde. 1. Quòd unius rei diverſæ definitiones eſſe non poſſint; Atqui in propoſito diverſæ definitiones reperiuntur, *ut in §. 1. & §. 2. Inſtit. de I. N. G. & C.* 2. Ex diversâ appel-

pellatione. Quia primævum à JCto dicitur antiquum, *l. 1. ff. de A.R.D.* 3. Ex principiis duorum illorum jurium, quæ diversissima planè exempla, *in l. 1. 2. 3. 4. 5. 6. ff. de I. & I.* demonstrant. Primævum n. est à principiis divinis, vel à recta naturaliqueratione, veluti Deum colere, parentibus & patriæ obedire, nam ea à nullo alio proficiscuntur, quam mente & ratione divinâ: Secundævum v. ab externis & civilib. principiis oritur, & in arte potius, quam naturâ consistit. Gentium a. jus ideò à JC. appellatur, quia omnibus gentibus ut plurimùm commune est, ut sunt dominiorum distinctio, Commerciorum & bellorum ratio &c. *Corasio* ergò, ut & *Baroni* ex vulgato respondendum est, quod videl. jura juribus conjungenda, nec stultior sit in jure nostro argumentatio, quam talis: Lex illa mentionem ejus rei non injicit, Ergò non extat.

QVÆST. V.

Vtrum jus Naturale & jus Gentium essentialiter differant?

Non levis est cõtroversia hac de quæst. à Neotericis in utramq; partem disputata. Et quidem, qui negativam quæstionis tuentur, his præsertim rationibus sese muniunt. 1. *Ex l. 9. ff. de I. & I. & §. 1. Inst. de I.N.G. & C.* ex quib. textibus tale formant argumentum. Quo jure omnes gentes utuntur, illud est jus gentium, *d. l. 9. & § 1. Inst.* Atqui jure naturali omnes gentes utuntur. Ergò est

jus

jus gentium. 2. Quòd illa, quæ definitionibus conveniunt, sint idem: Atqui prius verum. Ergo, &c. 3. Quòd *in d. l. 9. & §. 1. Instit.* tantùm duorum fiat mentio. Ergò necessum est, ut idem sint. 4. Quod illa, quæ juris gentium sunt, expressè tribuantur juri naturali, ut dominiorum distinctio *in l. 1. ff. de A. R. D.* dicitur esse juris gentium, quæ tamen tribuitur juri naturali, *§. 11. Instit. de Rerum D.* Sic obligationes quæ sunt juris gentium, *l. 5. ff. de I. & I. & §. 2. Instit. de I. N. G. & C.* etiam juris naturalis esse dicuntur, *l. 1. ff. de novat. & l. 16. ff. de fide juss. & l. 10. ff. de O. & A.* 5. Quòd jus gentium in plurimis juris textibus appellatur naturale, *utpote. §. 11. Instit. de R. D. &c.*

Verùm quòd jus naturale & jus gentium differant, communis est Dd. sententia & etiam verissima 1. Certum enim est, quòd hæc jura invicem apertissimè distinguantur, non tantùm ab Ulpiano, *l. 1. ff. de I. & I.* Verùm etiam ab Imp. Justiniano, *Inst. pr. & §. 1. de I. N. G. &* C. 2. Quia differunt definitionibus. Illud enim constat, quòd *aliter definiatur jus naturale & aliter jus gentium*, uti idipsum patet ex tit. *in Instit. de I. N. G. & C. & l. 1. ff. de* I. & I. Atqui quæ definitionibus differunt, illa etiam essentialiter differunt. 3. Quia differunt causâ efficiente ac producente. Nam jus naturale, naturam tantùm pro causâ efficiente & producente sibi vindicat, *pr. Inst. d. t.* Atqui jus gentium interdum à natura & internis principiis omninò recedit & ad externa progreditur, uti præcedente quæstione & demon-

monstratum, atque sic magis ratiocinatione & arte, quàm natura producitur. 4. Quia differunt objecto: Nam jus gentium est hominum tantùm. Atqui naturale jus etiam brutorum est *l.1.§. 3.ff.d.1.& 1.5.* Quia differunt contrariis effectibus. Quia ex naturali jure est libertas. Ex jure gentium verò est servitus *§.1.Instit.de jur.pers.*

Quod ergo attinet ad argumenta in contrarium opposita Resp.ad 1. Quod videlicet jura juribus sint conjungenda, & quod vitiosa sit talis illatio: *d.l.9.§.1. Institut.* mentionem in specie non facit juris naturalis. Ergò realiter non differt à jure gentium. Contrarium enim patet, *ex l.1.ff. de I.& I. & ex pr.Instit.de I.N.G.& C.* Proinde negamus propositionem majorem, quando sic argumentantur: *Quo jure omnes gentes utuntur, id est jus gentium.* Quia non est universalis & per omnia vera. Nam gentes non tantùm eo jure, quod immediatè à ratione & discursu rationis, usu sic exigente, constitutum & introductum, verùm etiam, quæ immediatè ab ipsâ natura proveniunt, utuntur, Ad 2.resp. Neg. Quia omnino definitionibus discrepant, uti id ipsum *ex d.l.1.& §.9.Inst.patet.* Ad 3. Jam satis est responsum. Quia talis illatio in jure est vitiosa, & ut plurimum fallit. Ad 4. & 5. Resp. Quod sit fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam jus gentium in multis textibus juris propter quandam similitudinem, dicitur naturale: exinde tamen non sequitur, quod sit essentialiter idem.

Seque-

Sequeretur enim *omnia illa, quæ sunt juris gentium, etiam propriè esse juris naturalis,* & per conseq. etiam brutis competere. Certum enim id est, quod obligationes, quod contractus, quod emancipationes, quod servitutes brutis non conveniant. Et licet concedamus, quod jus gentium sub se comprehendat jus naturale. Inde tamen non sequitur. Omne jus gentium idem esse cum jure naturali essentialiter & propriè. Siquidem à genere ad speciem non licet universaliter, sed particulariter tantùm inferre.

QVÆST. VI.

Vtrum judex secundùm conscientiam suam, an vero secundùm acta & probata judicare teneatur?

Status controversiæ hic est: *Causa aliqua à litigantibus in judicium est deducta, in qua, ab actore, probationes sunt productæ & publicatæ, verùm judici certò constat, probationes esse falsas & rem se aliter habere, utrum tali casu, salva conscientia reum innocentem condemnare debeat, ac possit.* Et contrà. *Causa aliqua in judicium est deducta in quâ reus negat factum, & Actor probatione sufficiente destituitur, verum, Judex revera scit, Actorem bonam causam fovere & reum non esse innocentem: utrum Judex reum ut innocentem absolvere debeat.*

De hoc controversiæ statu non tantùm inter antiquos glossatores, utpote Martinum & Joh. acri-

acriter disputatum fuit, verùm etiamnum tàm inter practicos, quam theoricos disputatur.

Qui secundùm acta & probata judicandum esse opinantur, his sese muniunt. 1. Quòd tutior hæc sit ratio finiendarum litium, si judex secundùm acta & probata judicare jubeatur, quàm si ei permittatur, ut secundùm propriam conscientiam judicet. 2. Quòd jura nostra non patiantur: *ut unus idemque simul & testis & judicis officio fungatur*, prout est tex. *in c. 1. cum seqq. caus. 4. q. 43.* Quòd in causa in judicium deducta, ratio probationum habenda. Certi enim juris regula est, quòd deficiente probatione succumbat is, cui probandi onus incumbit, *l. 4. C. de edend. l. 2. C. de probat. l. 1. C. de except. l. 9 C. de obl. & Act. 4. l. 6. §. 1. ff. de offic. præsid.* ubi præses provinciæ fidem eorum, quæ probabuntur, sequi jubetur, 5. Ex jur. Can. producunt. *c. 28. §. quia verò, de offic. delegat. c. 5. & 9. de fid. instr. Item c. 2. §. sententiam, l. 5. Clement. t. 11.* ubi judex sententiam ferre jubetur, prout ex petitione, probatione & actitatis constiterit, *c. cum judicet, 3. q. 7. & in c. ultim. caus. 15. q. 5. 6.* ulterius opinionem suam confirmant auctoritatibus, *Dd. ut* Covar. *libr. 1. variar. resolut. c. 1.* Pinell. *ad l. 2. C. de rescind. vendit. p. 3. c. 3.* Mascard. *de probat. concl. 949. Cujac. 2. observ. 19.* Alciat. *in l. 4. C. de edend.* Iul. Clar. *l. 5. sentent. §. fin. q. 8. vers. ult. & q. 66. n. 2.*

Verùm

Verùm neglecta ſententia Joannis gloſſatoris & aliorum Dd. Martini gloſſatoris ſententiam æquiorem eſſe, unà cum Vaſq. *illuſt. controverſ.* 14. Olendorp. *in tr. de jur. & æquit.* Corraſ. *ad l.* 6. §. 1. *n.* 3. *ff. de offic. præſid. & 4. miſcell.* 20. Hottom. *illuſt. q.* 27. Arum. *diſp. 1. pandect. theſ.* 23. & aliis quam plurimis, defendemus his fundamentis moti. 1. Quia veritatis tanta eſt vis, ut rebus omnibus fortior ſit & meritò prævaleat, Syr. 4. 30. quam qui ſpernunt, Deum non tantum ſpernunt *c. abiit.* 38. 11. *q.* 3. *& c.* 8. *diſt.* 8. verum ipſam humanitatem lædunt, ita ut ſatius ſit, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare, *l.* 5. *ibi* ſatius, *ff. de pœn.* 2. Quod judex debeat eſſe vir bonus, *l.* 4. §. 1. *ff. famil. herciſc.* Atqui nihil magis alienum eſt à viro bono, quàm contra conſcientiam, hoc eſt, certiſſimam ejus rei ſcientiam, quæ in animo ejus verſatur, judicare. Veritati enim ſic è diametro contradiceret, & ſecundum mendacium, quod omninò verbo Dei repugnat, judicaret. 3. Inducta in unum effectum, non debent contrarium ejus operari, *l.* 25. *ff. de ll. & l.* 6. C. *eodem l.* 19. C. *de fide inſtrum. & c.* 61. *d. R. I. in* 6. Atqui actorum obſervatio & probatio, non ad opprimendam veritatem; ſed ut judici de veritate conſtare poſſit, tantum adinventa, *l.* 3. *ff. de teſt. & l.* 4. C. *eod. & l.* 9. C. *de jud.* Ergò ad opprimendam, & tegendam veritatem uſurpari non debent, id quod certò fieret, ſi falſa acta judex arriperet & ſecundum ea pronun-

nunciaret. 4. Quòd modus effectui destinatus, si contrarius effectus accedat, non curari debeat, dummodo habeamus effectum *l. 20. §. 2. ff. de manum.* E. nec acta curabuntur, quæ modus sunt ad veritatem indagandam. 5. Quòd cognito fine, qui est veritas, cessent destinata ad finem, *arg. §. 8. Instit. de suspect. tut. & l. 7. in fin. ff. de senat.* 6. Quòd judici probandum sit & non adversario, cui nunquam satis fieret, *l. 12. in fin. de probat.* Atqui si judici certissimè constet, rem aliter se habere, quàm per testes & instrumenta probatum, potius secundum veritatem, quàm falsitatem sententiam ferat, nam falsum sic probatum, falsum manebit & nunquam verum erit. 7. *per l. 2. C. si cont. jus vel util. publ.* ubi judici injungitur, *ut pro tenore veritatis, non attentâ supplicantis allegatione cognoscat,* & secundùm hoc de propositâ causâ sententiam ferat. Idem evincitur *ex l. 6. §. 1. ff. de offic. Præsid.* ubi similiter JC. Ulp. vult, *ut judex veritatem imprimis attendat, non attento eo, quod falsè vel per errorem & actum & probatum fuit.* Hinc etiam sequi debet judex ea, quæ ex fide probantur, non quæ falsò vel errore. 8. Huc accedit, quòd aliâs judices essent iniquitatis & injuriæ authores: nihil non esset neque excogitari posset pernitiosi9, quàm innocentis condemnatio & nocentis absolutio, *l. 5. ff. de pœnis.* 9. Quia probationes dicuntur *arbitrariæ & pendere ab arbitrio judicis,* ut videlicet judex arbitretur & in dubio æstimet, utrum sit sufficienter probatum

nec

nec ne, *l.3. §.1.ff.de testib.* Quod si ergò judicis arbitrio permittatur, ut is, quod sibi videtur verisimilius, pronúnciare possit. Ergo multò magis secundùm certissimam suam scientiam judicabit. 10. Unde etiam JCtus Ulp. *non semel totum negotium ad propriam judicis religionem & conscientiam retulit*, ut videlicet judicet, quod fuerit visum, *l.79.§.1.ff.de jud. l.3.§.1.l.13.de testib. l.1.§.4.ad Turpill. l.15. ad municip.* 11. Quod si in dubio, si vel testium alij aliter deposuerint, vel idem testis in suo testimonio variaverit, vel si aliud in instrumento contineatur, & aliud testes deposuerint, vel si contra id, quod quis confessus est, testes deposuerint & aliis similibus casibus dubiis, judex secundùm religionem & conscientiam suam judicare teneatur, uti paulo ante ex *l. 79.ff.de judic.l.3.l.13. de testib. & l.1. §.4. ad Turp. l.15.ad municip.* dictum. Multo ergo magis in vero, hoc est, si certissimè sciat judex rem aliter se habere. 12. Quia ocularis inspectio omnium optima est probatio & omnem probandi modum superat, *l.32.ff.de minorib. & l.8. §.1.fin.reg.13.* Quod in dubio ea opinio amplectenda, quæ animarum saluti est tutior, *arg.l.63 ff.de relig.* Atqui hæc sententia est tutior saluti animarum, qua innocenti succurritur, & ne delicta maneant impunita, nocens damnatur. 14. Quia judex, si quid à litigatoribus vel eorum advocatis in jure minus fuerit dictum, id supplere & proferre potest, quod sciat legibus & juri publico convenire,

l. unic. C. ut quæ desunt adv. par. jud. suppl. Atqui id legibus, juriq; publico convenit, ut magis sequatur veritatem, quàm mendacium Ergo. 15. Quia plus valet, quod agitur, quàm quod simulatur, *l.* 1. C. *plus valet quod ag. quàm quod simul.* si igitur in contractibus veritas potius, quam scriptura attendi debet, idem etiam de probatione, quæ fit per testes, judicandum, cùm instrumenta & testes ad paria judicentur. Ad contraria argumenta, quod attinet, Resp. Cujac. 12. *observ.* 19. Negando. Nam quod periculosius sit, si quis spreta veritate secundùm mendacium judicaverit & falsum nocentem absolverit & innocentem damnârit, plurib. est probatum. Non enim tantùm veritatem negligit, verùm etiam iniquitatis & injuriæ fautor exiistit, *arg. l. meminerint, C. unde vi.* Quinimo quod sic conscientiam lædant & graviter in Deum peccent, nullum est dubium. Ad 2. &. Quod judex id non faciat tanquam testis, sed ratione officii sui, uti antea satis superque probatum. Ad 3. Resp. Quòd eo casu, quo probationes sunt falsæ, nihil probatum sit. Nam probatio est veritatis tantùm non falsitatis assertio, *l.* 3. §. 2. *ff. de testib.* Proinde regulam illam, qua constituitur: *Deficiente probat. reum esse absolvendum:* veram dicimus, sed non absolutè & indeterminatè, sed cũ hac limitatione, nisi judex oculis suis viderit, aut aurib. suis per se ceperit, vel certo sciat, rẽ aliter habere. Idq; propter supra allegatas rationes, quibus exceptio illa soli-

solidissimè probatur. Ad 4. resp. Negando. Nam ex allegata *l. 6. §. 1.* veritas nostræ potiùs stabilitur sententiæ, qua præses provinciæ id sequetur, quod convenit eum sequi, ex fide eorum, quæ probantur, quasi diceret. Veritas cujus judex cõscius est, nullis testimoniis vitiatur, proinde convenit eundem sequi ea, quæ ex fide litigantium probantur; secus ergo, si dolo vel errore probationes produxerint. Ad 5. resp. *ad cap. 28. §. quia verò de off. delegat.* Quod non loquatur de judice cognitionem ordinariam habente, sed tantummodo de requisito ad id, ut alterius judicis sententiam exequatur: atqui executor non expendere tenetur sententiæ iniquitatem, sed tantum id fideliter exequi, quod in mandatis habet, *l. pen. ff. de l. & l. Ad c. 5. & 9. de fid instrum.* &c. hoc ideò fieri, quia instrumentum vires antea habere non potest, nisi in judicium sit deductum, neque ullam fidem facit nisi productum, *Ad c. sæpè, §. sententiam, l. 5. clement. tit. 11.* resp. illud verum est, nisi aliter constet Judici. *Ad c. ult. caus. 15. q. 5.* resp. Quod judex legitimis modis uti possit, quibus confessionem extorqueat, *Ad c. judicet*, resp. nihil aliud eo loco dici, quam ut judex affectus omnes seponat, & causam, prout decet, determinet, quod planè alienum à scopo est, & illud aliàs in hac quæstione præsupponitur. Quod a. interpretes *ex* 18. *c. Gen.* referunt, longè aliam accipit interpretationem. Neq; n. eo exemplo Deus O. M. monere homines voluit, ut actorum perfidiam &

am & mendacia potius, quàm rei veritatem sectarentur, sed ut nobis exemplum daret, ne præcipites, in discutiendis & judicandis negotiis, essemus, ne mala proximorum prius quisquam præsumat credere, quàm probare, & ita ne temerè intelligenterque probata, indiscussa quoquo modo judicemus, *c. Deus omnipotens, 2. q. 1.* ideoque à proposito nostro alienum est.

QVÆST. VII.

Vtrum in judicando magis æquitatem, quàm jus strictum sequi debeamus?

Acerrimus etiam est cùm Politicorum, tùm juris interpretum conflictus, utrum potius æquitatem, quam jus strictum in judicando sequi debeamus. Et qui pro jure stricto pugnant, his rationibus sese muniunt. 1. Quòd etiam legem, ut ut duram sequi debeamus, *l. 12. §. 1. ff. Qui & à quibus manum. & l. 16. ff. de appellat.* Hinc D. Aug. *c. 3. dist. 4.* Postquam leges constitutæ sunt, non de ipsis, sed secundùm ipsas judicari oportere. 2. Si secundùm æquitatem concessum sit judicari, tunc quilibet sibi fingeret ex suo cerebro æquitatem, & sic nihil certum & nihil perpetuum esset in jure. 3. Quia ipsis legum verbis insistendum est, nec distinguendum, ubi lex non distinguit, *l. 3. §. 6. ff. de Negot. gest. l. 8. de pub. in rem. action.* Item quod à forma non recedendum, nihilque exaudiendum vel supplendum, *l. 24. ff. ad municip. Nov. 18. c. 5. 4. per l. 1. C. de ll.*

Verum

Verum contraria sententia, tutior & tam legibus, quàm æquitati magis conveniens, quæ probatur his rationibus, 1. *per l. 8. C. de judic. l. 14. §. 13. ff. de relig. & sumpt. fun.* 2. Quia *quod ex legum sententia fit tam fit ex legibus, quàm quod ex verbis, l. 6. §. 1. de V. S.* Verba enim sunt inventa, ut mentem exprimant, & menti & sententiæ loquentis inserviant, *l. 13. §. 2. ff. de excus. tut. l. 3. l. 7. ff. de suppell. legat.* Nam leges scire non sunt verba earundem tenere, sed vim ac potestatem, *l. 17. ff. de ll.* 3. Quia æquitatis interpretatio non ex cerebro nostro vel ex arbitrio nostro, sed ex præsumpta legislatoris mente arripienda est, *l. 18. de ll.* Unde dicitur: *In omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas est spectanda, l. 90. ff. de R. I.*

Neque sententiam nostram expugnant oppositа argumenta, Nam quantum attinet ad primum Resp. illud procedere quatenus de expressa Legislatoris mente constat. Eo enim casu cùm per interpretationem & æquitatem nostram, contra expressam Legislatoris mentem agere non possumus legem ut ut duram omninò sequi debemus. Ad 2. Resp. Nos non permittere judici, ut pro libitu & suo arbitratu statuat de æquitate, sed id potius judici permittimus, ut casus dubios ex mente Llatoris interpretetur, & sic non cõtra leges statuat, sed potiùs eas easdẽ confirmet, quia lex est id, quod Llator voluit, *l. 5. C. de ll.* Voluntas a. hæc ex fine illius legis colligitur. E. g. In quâdam urbe sancitum est, ne quis

ne quis in Palatio sanguinem effundat : contrà v. si quis fecerit, morte mulctandum esse : Chirurgus a. sectâ venâ aliquem ægrotum in Palatio juvit, hinc quæritur, sitne mortis pœnâ afficiendus Chirurgus ? Hîc certè non ex verbis legis, sed potiùs ex præsumptâ voluntate, quæ ex fine desumitur, sententia est ferenda : aliâs esset summa injuria, cum medica manus potiùs præmio, quàm pœna sit afficienda. Ad 3. Resp. Hoc tum demum esse verum, si ratio & mens legis deficiant, *l. 47. ff. solut. matrim.* Ad 4. resp. Non ea lege facultatem interpretandi & supplendi jura tolli, sed tantum differentiam constitui, inter interpretationis judicis & Imperatoriæ efficaciam, cum hujus tanta sit vis, ut pro lege omninò habeatur, Illius verò, ut jus tantum inter pares facere possit, *l. pen ff. de I. & I.*

QVÆST. VIII.

Vtrum judex condonare maleficia & reis criminum capitalium ignoscere possit ?

Quòd istiusmodi judices, de quibus jam agimus, idipsum facere non possint, minus dubium est. De summis ergò judicibus hanc quæstionem intellectam volumus. Et quamvis jus indulgendi & abolendi pœnas capitales sit symbolum & character regiæ & supremæ præeminentiæ, *l. 4. in fin. l. 9. §. 11. l. 31. de pœn.* & hodiè ad omnes, qui merum imperium habent, pertineat : attamen id non

non simpliciter, sed cum distinctione affirmamus. Distinguendum E. est inter crimina, quæ ll. divinis expresse & legibus humanis ultimo supplicio vindicantur. Illa E. Principes & Status Imperii ob præceptum Dei gravissimum remittere non possunt, *Deut. 13. v. 8. & seqq. & 17. 12. & seq. Exod. 21. 12. Num. 35. 31. Heb. 10. 28. Rom. 13. 4. Sap. 6. 4. & seqq.* & aliis infinitis locis. Nisi quis velit cum Saulo regno privari, *1. Sam. 15. v. 22.* vel cum Achabo asperam Prophetæ sententiam audire velit: *quoniam virum morte dignum dimisisti, erit anima tua, pro anima ejus & populus tuus, pro populo ejus 1. Reg. 20. in fin.* Huc facit *c. est injusta, 23. q. 4. c. loci 35. q. 9. Nov. 17. c. 5.* Unde & Ludovicus Pius, cum alicui scelus quoddam condonasset, & mox incidisset in versum, *Ps. 106. Beati, qui faciunt justitiam:* hominem revocavit & gratiam factam rursum irritam fecit. E. g. Lege divina constitutum est, ut quicunque humanum sanguinem fuderit, ejus sanguis rursum fundatur, *Gen. 9. v. 6. Exod. 21. v. 12. Lev. 24. v. 17. Deut. 19. v. 11. 12. & 13.* ubi omnis veniæ indulgendæ facultas præciditur. Et quamvis sint, qui dicant, de jure civili Principem homicidæ gratiam delicti facere posse, si videl. insignis sit artifex, *arg. l. 31. ff. de pœn.* ubi potiùs reservandi sunt tales ad ludum venatorium, *per l. 8. §. 11. ff. de pœn.* Item videtur probari posse per *l. 3. §. 5. ff. ad L. Corn. de Sicar. Vide* Cujac. *13. obs. 10.* Asyla quod attinet: in V. T. non voluntariis, sed fortuitis patrocinabantur

bantur homicidiis, *Deut.* 19. *in pr.* imò dolosi homicidæ ab ipso altari extrahi & occidi poterant, *Exod. 21. v. 14.* Neque jure civili concessa Ecclesiis tributa prosunt sceleribus, *Novell. 17. c. 7. Nov. 137. & Nov. 117. c. ult.* Hinc Numã Pompilium improbamus, qui specie religionis populo imponens; si casu virgo Vestalis ei, qui ad supplicium raperetur, occurrisset, liberum eum dimitti jussit. Plutarchus in *Numa.* Qui mos malè etiamnum Romæ usurpatur, nisi quod Vestalium beneficium ad Cardinales jam translatum sit, Bod. *de Repub. lib. 1. n. 166.* Sic pernitiosum fuit beneficium illud, quod Ecclesiæ Rothomagensi sub tit. Divi Romani concessum, quo gravissima etiam quæcunque immania crimina, quæ nec divinis, nec humanis legibus, nec ullis ullorum Principum concessionibus veniam impetrare poterant, sub specie Divi Romani abolentur, id quod meritò à Regibus Galliæ sublatum est, Bodin. *d. l.* & Petrus Heig. *q. 24. p. 1.* Sic non valet consuetudo, ut pecuniaria pœna homicidis infligatur, propter authoritatem legis divinæ. Rectè etiam Chass. à Gothofr. *in not. ad l. 31. lit. e.* laudatur, quòd improbarit consuetudinem, quâ damnatus virgini jus nuptias petenti concedi-tur. De Asylis vide Polyd. Virg. *lib. 3. c. 12. de in-vent. rer.* In illis v. criminibus, quæ legibus humanis ultimo vindicantur supplicio, ut est crimẽ læsæ Majestatis & alia plurimæ, Princeps clementiam suam exercere, & ex Misericordiâ pœnam condo-

condonare potest, sed nonnisi urgente Reipub. necessitate & causâ, nempe ob merita personarum virtutes & operas, quibus Respub. carere non possit, 1. *Reg. 2. 26. & passim. Vide* Dan. *lib. 6. Pol. Christ. tit. de jud. crim.* Bod. *de Repub. 1. c. ult. n. 165.* Zepp. *de ll. Mosaicis lib. 5.* Arnis. 1. *Pol. 16.* Heig. *2. q. 24. n. 33.*

QVÆST. IX.

Vtrum certa à legibus præfinita pœna capitalis, in aliam pœnam converti à Statibus Imperii possit?

Ad quæstionem de Jure Justinianeo Negativè omninò respondendum esset, *l. 8. §. 1. ff. de pœn.* ubi dicitur. Si aliquis damnetur, ut gladio in eum animadvertatur, omninò in eum gladio animadvertendum esse, non a securi vel telo, vel fustibus vel laqueo. Sic Magistratus mitiorem, quàm par erat pœnam irrogans, ignominia notabatur, *l. 8. §. fin.* C. *ad L. Jul. de vi publ.* Quinimò Magistratui crimen ad se delatum minori coërcitioni mandare non licet, nisi ipse idem pati velit, quod aliis dissimulando concesserat, *l. fin. C. ne sacr. baptis. iteret.* De jure Saxon. idem obtinuit, speculũ Saxon. *l. 1. art. 69. in gl. germ. verb.* Ich sage dir/ ꝛc. Verum quia eandem potestatem Status Imperii, ob merum & mixtum imper. quod ipsis ab Imp. tributum, in suis territoriis habent, quam Imp. obtinet in Imperio, animadversionem capitalem graviorem in mitiorem capitalem mutare possunt, Ruland à Valle, *cons. 4. n. 2. lib. 3.*

QVÆST.

QVÆST. X.

Vtrum judex munera accipere possit?

Cùm munera excæcent oculos justorum, *Deut.* 15. præsumptionem de corruptione introducant, & prævaricatio sint veritatis. Negativè simpliciter quidam respondent. Verùm nos hic repetimus illas distinctiones nuper in quæstione de Legatis, utrum Legati munera accipere possint, positas, quâ accuratè distinguendum inter datorem & munera.

QVÆST. XI.

Vtrum si reus injustè ad mortem condemnatus, Dei tribunal appellet, & iniquum judicem ad vallem Josaphat citet, sit superstitiosum existimandum?

Fit nonnunquam, ut judex vel ex errore, vel ex falso testimonio persuasus, vel pecunia corruptus; vel denique odio, seu amore alterius incitatus, ad mortem innocentem condemnet, ubi, cum misero homini nemo inter mortales supereſt, quem suæ innocentiæ testem aut injuriæ vindicem appellet, justissimum & omnium rerum gnarum judicem Deum ipsum rectè appellat. Et quod id sæpius factum exempla in historiis occurrunt plurima. De Ferdinando Castiliæ Rege refert Fulgosius *l.* 1. & Ritius *l.* 3. *de Reg. Hispan.* qui citatus à duobus equitibus, quos ex falsâ delatione & invidia damnaverat, ad constitutum diem inopinato expiravit. Exempla plura vide

apud

apud Zvving. *4. fol.9.vol.5.l.135.* Causam hujus citationis ad vallem Josaphat, variam referunt Historici. Nos putamus originem desumpsisse à liberatione Josaphati, à persecutione *Syrorum 2. Chron.18.31.* Ubi in hac valle post reditum Deo gratias egit pro miraculoso auxilio, inde hæc vallis appellata est, Das Lobenthal. Deinde Christus hostes suos armatos ex hac valle, montem olearum adscendentes, virtute oris postravit, ac discipulos suos ex manibus militum eripuit. Vocare ergò injustum judicem ad vallem Josaphat, nihil est aliud, quàm ut similem Syris & Judæis destructionem & vindictam Deus, ut justus Judex, injusto judici, reportet, & ad salutem & securitatem innocentis adsit. Et hoc intuitu si fiat citatio, nullo modo superstitiosa dici potest.

QVÆST. XII.

Vtrum executores justitiæ, quos vulgò carnifices appellamus, sint infames?

Cic. *in orat. pro Rabirio* inquit: *funestari concionem, lictoris vel carnificis interventu. Et* Tholos. *referent.* Keck. *discurs Philos.32.q.6. inquit. Sunt exosi vel natura ipsa humana hujusmodi homines, qui exequuntur mortis etiam meritæ supplicium, Et* Bod. *lib.3. de Repub. c.8. confirmat. Carnificis munus ubivis ferè gentium sordidissimum judicari.* Verùm utrum id fiat ex eorum officio & ministerio, quod justitiæ deferunt, olim fuit dubitatum, & etiamnum quæritur. Nos contrarium à *Tholos. Bodin.* & aliis, ex jure statui-

mus, idque propter hanc rationem: quòd honestum sit, judicem sententiam in scelleratos ferre, item quod honestum sit scelleratos puniri, & cõtrà inhonestum virum morte dignum dimittere, adeo, ut sæpè Deus ideò integram Rempub. puniverit, & Reges & Principes regnis suis privarit. Quin imò sententia nostra ulteriùs demonstrari potest exemplis populi Dei, ubi nobilissimos quosque si testes capitalium scelerum fuissent, eosdem carnifices habere, non fuit inhonestum, sed necessarium, *Bodin. d. l.* Accedit mos Angliæ, in qua idem *Bod. d. l.* extremum pietatis officium esse scribit, si proximiores populi; imo ipsi parentes carnifices agant, & facinorosis de trabe humili pendentibus, gulam frangant. Quod vero malè audiant isti executores alias causas reddit Zepp. *lib. d. ll. Mosaic. c. 7.* 1. Est Papistica irregularitas, quæ secundum ipsos ex quovis cõtrahitur homicidio, adeo, ut tam justè nemo alterum occidere queat, quin aliquid labis & noxæ inde contrahat, quo minùs ad sacrum ministerium possit promoveri. 2. Quod isti carnifices & lictores ab initio facinorosi & scelerati fuerint quemadmodum adhuc hodiè plerique illorum turpiter & scelerate vivũt. 3. Quod ad sordidissima quæque officia hodiè à magistratibus adhibeantur, quibus etiam eo audaciæ & proterviæ progrediuntur, ut omnem simul modestiam & honestatem cum pietate exuant. Verùm cum hæ rationes non ipsum ministerium & officium, quod

quod justitiæ attribuunt, tangant, sed potiùs ex accidente & aliunde adveniant, sequitur, officium & ministerium, quod justitiæ deferunt & attribuunt, non ipsos, sed ipsos potiùs officium commaculare, *Vide* Keck. *in discurs. Philos.* 37. *quæst.* 6.

QVÆST. XIII.

Vtrum salvus conductus alicui concessus ad locum judicii, etiam ad loca intermedia extendi debeat?

Cum ad sententiam definitivam, nisi accusatus auditus sit, perveniri nequeat, & audiri in criminibus aliter non possit, nisi præsens sit, *l. pen. §. 1. de pub. jud.* Comparere verò in loco non tuto haud cogatur, aut ergo necessum salvum conductum concedere ipsi accusato necessũ erit, aut judiciorũ tela impedietur. Cum ergo Magistratus salvum conductum accusato concedere debeat, non immeritò quæritur, utrum salvus conductus alicui concessus etiam ad loca intermedia extendi debeat. In qua quæstione pro negantium sententia hæc militant argumenta. 1. Quòd salvus conductus fiat per modum dispensationis, nam interim, dum conceditur, videtur delicto aliquo modo patrocinari. Atqui dispensationes, ut imprimis odiosæ, sunt restringendæ & nullo modo ampliandæ, *cap. 1. de fil. presbyt. in c. 15. de R. J. in 6.* E. ad loca specialiter non expressa, nõ videtur esse concessus. 2. Quòd

loca intermedia interdum vel sint superioris vel etiam æqualis. Si superioris, ut si nobilis securitatem ad pagum certum, ubi solet judicium exercere, concedat, reus verò necesse habeat per Principis alicujus ditionem ire, certè, quia inferior in superiorem nullam habet potestatem, *c. de major. & obed:* Salvum conductum in alieno territorio concedere non potest, *l. 20. ff. de jurisd.* Sic si locus intermedius ad æqualem spectet, salvus conductus ad illum extendi non potest, quia æqualis in æqualem nullum habet imperium, *l. 4. & 5. ff. de recept. arbitr.* atque sic limitata causâ limitatum semper producit effectum.

Contra, quod salvus conductus etiam ad loca intermedia extendi debeat, evincunt hæ rationes. 1. Quòd promissio securitatis sit bonæ fidei, & verba salvi conductus, sint verba fidei datæ, sapiantque naturam pacti. Nihil autem magis convenit magistratui, quàm ut id quod promissum est præstetur, *l. 1. ff. de pact.* Atqui securitas generaliter sine ullius loci expressione aut exemptione, ut plurimum dari solet. Ergo etiam generaliter est exaudienda. 2. Notum etiam est, quod responsio petitioni debeat esse conformis, *l. 9. §. 5. ff. de interr. in jur. faciend.* Atqui reus generaliter petivit, salvum conductum per omnia loca. Ergò, &c. 3. Quod concesso consequenti etiam necessariò antecedens concessum esse, reputandum sit, *arg. l. 2. ff. de jurisd.* Atqui si concessa sit securitas ad locum judicii, utique etiam ad loca inter-

intermedia, per quæ necessariò eundum est, data dici omninò debet. 4. Quod in securitatibus & pactis bonæ fidei, non tàm ad formam verborum, quàm ad bonam fidem & mentem non fucatam tàm promittentis, quàm recipientis, sit respiciendum, qui videntur idem sentire, quod homines prudentes & sapientes & viri boni sentiunt, quis a vir prudens unquam cõmitteret se tali securitati? nullus certè, nisi vitæ & salutis suæ prodigus. 5. Quod Judex ut vir bonus neminem sub fide & authoritate suâ decipere debeat *l. 1. C. de his, qui veniam ætat. impet. l. 3. ff. de offic. præt.*

Pro quæstionis determinatione distinguendum puto: Vel judex citans & securitatem præstans, intermediorum locorum Dominus est, & sic haud dubiè ad ea securitas extendenda: vel non est Dominus, & sic tutius est, ne in fraudem præstitæ securitatis, quod tamen à viri boni officio & fide est alieniſſimum, propter defectum jurisdictionis, reum detineri procurare possit, si conductum ejus quoque per cujus territorium, ad locũ tribunalis ipsi veniendũ est, petierit. Argumenta in contrarium allata facilè hac distinctione corruent. Et quidem argumentum primum ex prima ratione partis affirmativæ perit. Secundum verò ex data distinctione interpretationem suam accipit.

QVÆST. XIV.

Vtrum salvus conductus ad eundum, redeundi quoque facultatem contineat?

In partem negativam plurima faciunt exempla. Sic enim Leo Pontifex X. Joannem Paulum Bajonum, Ducem strenuum ad se vocavit & caput ei amputari jussit. Frid. Guicciard. *lib.* 13. *Hist. Italic.* eique fidem salvi conductus violatam conquerenti respondit: securum iter veniendi, non vero revertendi se concessisse. Sic Stephanus Rex Poloniæ fide data ad se Potkovam, militum Ducē inusitatæ fortitudinis evocavit & caput ei amputari jussit; cui de salvo conductu conquerēti sic respondit. Si nimirum bonam causam foveret.

Verùm, quòd salvus conductus ad eundum, redeundi quoque facultatem contineat, evincitur his fundamentis. 1. Quod securitatis promissio sit pactum bonæ fidei. Atqui pactum non est unius, sed duorum, concedentis & accipientis in idem placitum *l.* 1. *ff. de pactis.* Ergò non tàm concedentis, verùm, quia in favorem rei concessa sit securitas, potiùs recipientis mens est introspiciencienda, uti monet Bald. *cons.* 414. *vol.* 5. Menoch. *Cas* 336. *n.* 15. *de arbitr. jud. quæst.* Atqui recipientem securitatem de reditu cogitasse indubitatum est. Ergo, cum à pacto altera parte invita recedere fas non sit, *l.* 5. C. *de O. & A.* concedens facultatem liberam reo relinquere tenetur. 2. Quia data securitas sive salvus conductus nullum haberet effectum, nam ad judicium absque securitate reus pervenire potuisset. Quod turpe sit omninò fidem fallere & pacta violare, ne abjectissimo homini decorum. Hinc miles quidam Sigismun-

mundo Imp. cum Imperator diceret: *At immoderata petitio tua fuit*, respondit miles, *poteras negare cùm poterem, nunc sanè sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris.* Tum Sigismundus: *si ex duobus alterum me facere oportet, facilius rerum, quam famæ jacturam subibo*, *Vide* Bod. *lib. 5. de Repub. c. 6.* Menoch. *cas. 336. n. 11. de A. I. Q.* Ruland. *lib. 7. c. 8. n. 25. de commis.*

QVÆST. XV.

Vtrum inferior aliquis status Imperii, salvum conductum concedere possit?

Ad solum Imperatorem id spectare credunt plurimi, & moventur his rationibus. 1. *Per l. 4. in fin. ff. de pœn.* 2. Quòd is, qui salvum conductum habentem offendit, crimen læsæ Majestatis incurrere dicatur, *l. 1. ib. vel adversus ejus securitatem, ff. ad L. Jul. Majest.*

Verùm horum opinio experientia, satis superque refellitur, videmus enim non tantùm Imp. verùm et. Principes & Status inferiores, merum imperium habentes, salvum conductum concedere. Neq; hoc ratione caret. Nam cùm sententiam in criminalibus, ferre possint, & ad eam, nisi accusatus auditus, perveniri nequeat, audiri verò nisi præsens sit, non possit, comparere verò in loco non tutò haud cogatur, salvum conductum ipsi concedere tenentur. Neque est quod *l. relegati* in contrarium allegatur, quia de remissione & indulgentia criminis loquitur, quam solus Imp. *ex ll.* & jure nostro conferre

potest, quamvis hac etiam in re mores suam in potestatem redegerint leges. Quod verò attinet, *adl. 1. ff. ad L. Jul. Majest.* locum habet, eo casu, si securitas à Cæsarea Majestate concessa. Quod si verò, à minore Statu Imp. concessa securitas violata fuerit, mitiori pœna delinquens pro arbitrio judicis plecti debet.

DISPVTATIO XIII.

DE ADMINISTRATIONE RELIGIOSA, JURE EPISCOPALI ET PATRONATUS.

Resp. *Henrico Witvogelio, Oldenburgensi.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

INstrumentis gubernationis seu administrationis Reipub. hactenus consideratis; operæ pretium erit in subsequentibus, administrationis Reipub. partes in placidam mittere collationem: Et quia ex duplici magistratus gubernationis tempore, duæ constituuntur administrationis Reip. partes; quarum prima est togata & alteram militaris seu bellica gubernatio, ideoq; hac & sequenti disputatione de utraq; agemus. Cùm v. cura togata, quæ pacis tempore à magistratu exercetur, sit duplex, interna vel externa, seu religiosa & publica, idcircò breviter & succinctè hâc disp. de utraq; videbimus.

THESIS I.

Internam curam quod attinet, dividitur ea in veræ religionis & rei literatæ seu Scholasticæ gubernationem. 2. Veræ

2. Veræ religionis cura, de qua in Republ. instituenda, conservanda & propaganda Magistratus, quàm maximè solicitus esse debet *l.1. C. de vet. jur. enucl. l. unic. C. ut nem. lic. sign salvat. l.4. C. de hæret.* Consistit in duobus 1. In liberi & publici exercitii religiosi permissione. 2. In rerum Ecclesiasticarum administratione.

3. Quantum ad liberum & publicum religionis exercitium attinet, ad tria summè necessaria Magistratus respicere debet. 1. Ad doctrinam purâ & incorruptam. 2. ad disciplinam Ecclesiasticam, & 3. ad legitimam Doctorum idoneorum vocationem.

4. Ad introductionem & institutionem religionis, septem cum primis necessariò observanda sunt. 1. Est veritas, quæ ex solius verbi divini fonte haurienda, minimè verò ex hominum corruptorum judiciis, definienda.

5. Et quia veritas non multiplex, sed dunta-xat una est unius rei veritas, sequitur secundò quòd non diversæ ac plures, sed una tantùm in Magistratu institui debeat religio. Unus enim & verus & sacræ paginæ conformis est Deum colendi modus, ac proinde una tantùm vera & orthodoxa religio.

6. Cùm ergò Papistarum religio, ut plurimùm ex hominum corruptorum traditionibus & judiciis constituta & ad ditandam Ecclesiam, minimè verò ad æternam salutem constituta sit san-

ctè fecerunt Principes ac Status Imperii protestantes, quod veram & orthodoxam religionem, qua etiamnum per Dei gratiam fruimur & in perpetuum fruemur, pragmatica sanctione de pace religionis solemni stylo concordi statuum suffragio Passavii, *Anno* 1553. promulgari, & deinde *An.* 1555. in Comitiis Augustanis sub gravissima pœna cõfirmari suma diligentia curarint.

7. Porrò instituendæ ac introducendæ veræ religionis Forma pro tertio est introspicienda, quæ requirit. 1. Magistratum doctum, & in sacris bene informatum. 2. Piorum virorum auxilium. 3. Libertatem publicam. 4. Conventus & Synodos.

8. Nam cùm Magistratus non tantùm corporum curator, sed & mentium Pastor sit, & non solùm secundæ, verùm etiam primæ tabulæ custos sit, & à Deo ipso jussus, religionem legitimè constitutam tueri, collapsam mutare & instaurare, in idololatras, blasphemos, falsos doctores & seductores populi animadvertere, uti expressè docent exempla piorum Principum in V. Test. 1. *Paral.* 23. 24. 25. 26. & 2. *Paral.* 17. 4. 8. 9. Item idipsum præcipiunt & mandant expressa sacræ scripturæ dicta; *Deut.* 17. 19. *Jos.* 1. 8. *Psal.* 2. v. 10. *Psal.* 24. 7. requiritur in Magistratu, ut benè in sacris sit informatus & veram religionem ex verbo Dei intelligat.

9. Cùm autem impossibile sit, ut Princeps vel Magistratus omnia, quæ ad statum Ecclesiasticum

sticum pertinent, considerare & perpendere sufficienter possit, imprimis cum & aliis gravibus curis sit distractus, ideoque summè necessarium est, ut Magistratus habeat viros excellenter religiosos, pios & doctos, quibus tanquam adjutoribus & consiliariis cùm in informatione, tùm in gubernatione Ecclesiasticâ utatur.

10. Requiritur insuper verę religionis libertas, seu ejus colendæ facultas libera & spontanea, absque omni metu, minis, &c. fides enim suaderi vult, non cogi, nulliusque Magistratus est sibi in conscientias imperium vindicare.

11. Quæ libertas religionis expresè in pacificatione nostra, Statibus est indulta, *in §.* Vnd damit solcher/ &c. Ubi cavetur, quòd nemo contra suam conscientiam, scientiam, & voluntatem religionis causa cogi vel offendi debeat, sed ab omni inquietudine prorsus sit immunis, sive violentia sit illa, vi, minis, mandatis, aut quovis modo facta, sive injuriosis verbis aut factis injuriosis intentata, *d. §. vers.* So sollen/ *&* §. Dargegen sollen/ *&* §. Nachdem aber in vielen/ *&* §. Es soll auch kein Stand/ &c. *&* §. Vnd damit solcher Friede: *ibi*: von dieser Augspurgischen Confession. Quinimò non tantùm in suis propriis territoriis, ditionibus & regionibus hanc libertatem habent Status Imperii, verùm etiam in alienis territoriis, sive ibi permanendi, sive ad tempus tantùm commorandi animo degant, iis concessa est, §. Dargegen sollen

die

die Stände / verl. sampt und mit ihren Capitalen / &c.

12. Et est ea libertas religionis concessa Statibus Imperii, ut sunt Principes, Prælati, Comites, Barones, Civitates Imperiales, quibus adde Equites sive Nobiles immediatè Imperio subjectos. De provincialibus verò vide edictum *Ferdinand.* paulò ante pacificationem editum, *de quo apud* Spring. *tr. de pac. relig. c. 10.* Idem etiam statuitur de civibus in civitatibus Imperialibus, *quâ de re fusiùs egimus in disp. 5 Pol. q. 10.*

13. Et quia nonnunquam fit, ut vel fidei, veritati vel moribus populi Christiani aliqua obrepat corruptela, jam olim visum est huic rei saluberrimum remedium, ut concilia & Synodi convocentur ac celebrentur, ubi in commune collatis consiliis vulnerum illorum sanandorum ratio investigetur & tàm hæreses pravaque dogmata à fide Christianâ, quàm vitia à moribus profligentur, & arceantur. Quamobrem dictum est antea ad formam religionis etiam pertinere Synodos & conventus.

14. Synodorum & Conciliorum ordinationem & convocationem penes solum Imperatorem extitisse, extra controversiæ aleam positum est. Non enim semel Justinian. Imp. & nominat 4. Concilia & in iis confirmat, ac per omnia sequitur & alios Christianos sequi jubet, ut *Nov. 115. c. 3. §. 14. & Nov. 131. c. 1 l. 7. §. 4. & l. 8. § 3. C. de SS. Trin.* Et 1. Concilium Nicenum. 2. Constantino,

tinopolitanum. 3. Ephesinum. 4. Chalcedonense. Postmodum v. & alia Oecumenica Concilia sunt secuta, utpote, Constantinopolitanũ secundum & Constantinopolitanum tertium: & Nicenum secundum: ita ut in universum 7. sint in Ecclesiâ Græcorum habita Concilia Oecumenica.

15. Et primum quidem Concilium Niceæ habitum est, Constantini Magni Imp. tempore, in quo Concilio erant patres 318. qui convenerunt adversus Arium, qui blasphemias effundebat contra filium Dei, eumq; creaturam nominabat & non ejusdem cum Deo & Patre substantiæ. Hunc igitur tanquam hostem veritatis, una cum complicibus ejusdem sententiæ sancta illa Synodus anathemate percussum ejecit, & orthodoxam fidem corroboravit: Dominum nostrum JESUM CHRISTUM ejusdem esse cum Patre substantiæ, & creatorem omnium rerum, nõ creaturam, &c. Ut verba istius Symboli sonant.

16. Secundum habitum est Constantinopoli Theodosio Magno Imp. Cui 150 Patres interfuerunt, qui convenerunt contra Impium Macedonium, qui blasphemabat Sp. S. dicebat enim Spiritum S. esse creaturam & non Deum, sed alterius ac diversæ à Patre & Filio substantiæ, atq; à divinitate remotum & alienum. Hunc igitur, ut inimicum pietatis cum Sabellio Afro & Apollinario Laodicensi, una cum ipsorum complicibus anathemate defixere & condemnavere & Spiritum

Spiritum S. declararunt, ipsum consubstantialem patri & filio, ejusdemque Deitatis & potestatis. Quemadmodum etiam sancto fidei symbolo continetur.

17. Tertium Ephesi habitum est collectum Imperante Theodosio Minore, & habitum à 200. patribus, qui convenerunt adversus Nestorium, qui Christū dirimebat ac dissecabat. Nudū n. hominem ipsum esse dicebat & non Deum incarnatum: duos filios de uno Christo Dei prædicans & duas substantias: & alium quidē esse gnatum ex patre sermonem, alium v. ex Maria natum hominem, secundùm schesin, unitum verbo & æquivocè cum ipso dici filium, ob eam ergo rem hæc sancta Synodus in hujusmodi blasphemiâ perseverantem deposuit Nestorium, tanquam Judaica pravitate infectum, & Dei cultorem & propriè & verè Deiparam sanctam virginē pronunciavit, & sine semine ex ipsâ incarnatum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei & Deum verum prædicavit.

18. Quarta Synodus similiter habita est in urbe Ephesinâ eodem Theodosio Minore cogente, quæ Synodus, cum deprehensa fuit confirmare perversi Dioscori & vani Eutychis dogmata, tanquam prædatoria à Sanctâ Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ rejecta est.

19. Quartum ergò Concilium Oecumenicum Chalcedone habitum est, Imperatore Marciano, quo tempore convenerunt Patres adversus

sus ejusdem Dioscori & Eutychis perversa dogmata, quæ in eodem etiam Concilio sunt damnata.

20. Quintum est Constantinopoli habitum, Imperante Justiniano. In quo Concilio Synodus Chalcedonensis est probata & omnia ejus orthodoxa & salutaria dogmata sunt corroborata: Damnavit & rejecit similiter Originem delirum, omniaque ejus impia scripta: Itemq; Evagriũ & Didymũ, qui Origenis fermento infecti fuerunt.

21. Sextum itidem Constantinopoli est habitum, Imperante Constantino. Coactum a. fuit ab Imp. adversus eos, qui renovârunt hæresin, in S. Catholicâ Ecclesiâ, utpote adversus Theodorum, Honorium, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Macarium, Stephanum qui ausi fuerunt dicere, Dnum nostrum Jesum Christum etiã post incarnationem unam duntaxat habere voluntatem atque actionem. Quamobrem hæc sancta Oecumenica Synodus, supra dictos hæreticos tanquam Deo bellum inferentes, anathemate percussit.

22. Septimum Niceæ habitum fuit, Constantino Imperat. & matre ejus Irene, in quâ Synodo constitutum & decretum est, ut imaginum præfigurationes pariter cum crucis signo Ecclesia haberet, & suo modo veneretur. *Plura hac de re vide apud* Rittershusium *in Nov part. 1. c. 2.*

23. Atque sic nullum est dubium, quin Impp. fuerint caput Conciliorum, eaque coëgerint & par-

& patres convocarint. Hodiè verò eò deventum, ut in tantâ animorum & religionis discordantiâ, Concilium & Synodus Oecumenica, in posterum vix sperari possit. *Et tantum de doctrinâ.*

24. Ad disciplinam Ecclesiasticam referri possunt. 1. *De religionis veritate cognitio* à quâ cognitione Pontificii expressè prohibiti sunt, §. Damit auch obberührte/ ibi, so soll die Geistliche Jurisdiction. 2. *De causis spiritualibus, utpote juramentis & similibus cognitio,* à qua non tam expresso textu, quàm inveteratâ consuetudine & aliquot supremi consistorii præjudiciis, pontificii sunt prohibiti. 3. *Est excommunicatio,* quæ est exclusio à communione tàm sacrorum, quàm profanorum, cum infamiâ tali, qualis in terrâ nulla major, quam etiamnum ineptè sibi attribuunt Pontificii. 4. *Censura Episcopi,* sine quâ patronus suæ religionis ministrum præsentare nequit. 5. *Observationes latarum,* de ritibus, Ceremoniis, tempore quo sacra habenda. 6. *Inquisitio in doctrinam,* vitam, mores docentium & discentium. Quamobrem hodiè speciales conventus & Synodos Principes in suis Ducatibus & Principatibus, ut & Comites in suis territoriis per singulariter ad id deputatos Superintendentes seu Inspectores, instituere solent. 7. *Hæreticorum coërcitio.*

25. Cùm hodiè Papistæ vigore constitutionis pacis publicæ disciplinam Ecclesiasticam, utpote cognitionem de religionis veritate censuram & inqui-

& inquisitionem in doctrinam, in subditos Augustanæ Confessioni addictos nullo modo habeant, concludendum est, si confessionis Augustanæ Assecliis jus patronatus competat, potestatem illis esse præsentandi sui religionis ministrum, quem collator, licet Pontificius sit, omninò instituere cogitur. Nam extra suum territorium, religionem suam introducere non potest.

26. Sequitur Doctorum idoneorum vocatio, quæ quoque cuivis Statui concessa, adeò, ut totadscisscere possit, quot ad fidem suam propagandam visi fuerint. Ita tamen, ut citra adversæ religionis offensionem suo fungantur officio. Nam si adversæ religioni adhærentes verborum lenociniis ad defectionem inescaro & clanculatiis insusurrationibus ad se pellicere velint, supplicari contrà eos omninò potest, *arg.* §. Es soll auch kein Standt / ibi in verbo abpracticiren. *Vide* Gylm. *tit. de pac. relig. p. 199.*

27. Huc pertinet ut parum etiam de jure Episcopali & patronotus dicamus. Est n. de officio & qualitate Episcopi 1. *Tim. 3. à pr. usq; ad v. 8. & Tit. 1. v. 5. 6. 7. 8.* Cujus præcepta satis copiosè persequuntur & enucleant Canones nostri *à distinct. 25. usque ad dist. 48. & c. 7. de elect. & t. t. de vit. & honest. Cleric. & c. 5. dist. 51.* Cumulatim etiam hâc de re egit *Margaritha Decreti sive tabula Martiniana lit. E. verb. Episcopus rubr. de offic. Episc.* De ætate Episcopali, *auth. presbyt. in fin. C. de Episcop. & Cleric. & d. c. 7. de elect.* in

Episcopum videlicet neminem eligi debere, nisi qui 36. vel saltem 30. æt. an. excesserit. Postulari autem potest modò attigerit. 27. æt. an. *c. 3. & c. ult. extr. de postulat. prælat. & c. unic. de post. extrav. comm.* De Electione extant *tit. extr. & in 6. item in extrav. Joan. XXII. & com.* De quibus vide D. Leopold. Hackelman. *disp. jur. can. 3. &* Matth. Steph. *de jurisdictione l. 3. p. 1. c. 9.* 10. 11. 12. 13. Item de origine juris Episcopalis, & differentiâ Episcoporum, & quomodo legitimè & Canonicè eligatur, *Vide* Ohm. *tr. de jure Episcop.*

28. Jus ergò Episcopale consistit potissimùm in his 4. 1. *In ordine. 2. In lege Diœcesanâ.* 3. *In Jurisdictione.* 4. *In statu seu dignitate.*

29. Ratione ordinis Episcopo competit. 1. potestas publicè docendi & prædicandi verbum Dei, *c. 15. & ibi gloss. in verb. prædicationis*, 11. *de off. ordin.* August. Confess. *& Apolog. art. abus. ult. de potest, Eccl. 2.* Administrandi sacramenta, *c. 11. dist. 1.* Administrandi, inquâ, non mutilandi vel mutandi, uti factum est, in Concil. Constantiens. Anno 1415. & Basil. 1437. quibus usus calicis in S. Cœnâ, Laicis contra expressam institutionem Domini est ereptus. 3. Peccatores in Ecclesia ligandi & absolvendi, quæ potestas clavium dicitur, *c. pervenit. 16. quæst. 1. c. verbum Dei, 51. de pœnit. dist. 1. c. 5. §. clavis, Extravag.* Joh. *de V. S.* 4. competit ipsis potestas, ad sanctæ prædicationis officium, & connexa ministeria, sive liberâ suâ voluntate, sive ad patronorum legiti-

gitimam præsentationem assumendi, *c.15. x. de ord.*5.Et quia personæ omninò idoneæ & dignæ ad ministerium Ecclesiasticum promoveri debent,adcrescit exinde Episcopo jus Scrutinij vel examinis, sive in vitam & doctrinã, *c.5.cum seq. dist.24.& t.t.extr. de tempor.ordin. & qualitat. ordin.c.un.extr.de scrutin. in ordin fac.junctis tit.* 17.*& seq.usque ad tit.*21.*inclusivè cod.l.decret.* Est enim hoc generale,ut ad eum pertineat examinatio, ad quem spectat manus impositio Lancell. *l.*1.*jur.Can.t.*9 §.*is autem* 6.Et si probati fuerint, eosdem in clerum & ad sacrum Ecclesiæ ministrum ordinandi,*c.*1.*§.ad Episcopum,dist.25. c.4. dist.*68.*&c.*1.*dist.23.*7. Item ministris & clericis ad sustentationem officiorum necessariam, beneficia,titulos,præbendas, canonias, &c. conferendi,*c.5.*8.*&* 10.*x.de jure patron.* Eosdem in talia officia & beneficia introducẽdi & investiendi.

30. Ad L. Diœcesani pertinent. 1. Administratio,dispositio & gubernatio rerum & bonorum Ecclesiæ, tùm mobilium tùm se moventium tùm imobilium,*c.2.3.5.6.7.C.*10. *q.*1. *c.*23.*&* 24.*C.*12.*q.*1.Et quæ contra præscripta canonum alienata sunt,vindicatio *c.2.&* 42.*C.12.q.2.l.*21.*C. de S. S. Eccles.3.* Oeconomorum & provisorum constitutio,*l.*14.*in pr. C. de S.S. Eccles.l.*33.§. 4. *C.de Episc.& Cler.*4. Rationum ab iisdem repetitio,*d.l.*14.*& l.*33.*&c.* Nam patroni aliive, quia jura Episcopalia non habent, sicuti de gubernatione & dispositione bonorum Ecclesiæ,

ita quoq; de ratiociniis eorum nihil sibi arroga. re possunt, sind nicht befugt Kirchen-Rechnung zu fordern oder sich dabey einzudringen. Similiter religiosarum domuum & quoad administrationem & quoad disciplinam inspectio & provisio. Idem etiam judicium de reliquis religiosis domibus esto, *t.t. ext. & in Clem. de religiosis domibus, ut Episcopis sint subjecta*, 6. Visitatio *c.1. de cens. in 6. c. qui Episcopatum, 8. q.1.* Synodorum convocatio *c.2.§.porro, dist.3. cap.25. extr. de accusat. c.16. dist.18. &c.*

31. Porrò potest Episcopus vi jurisdictionis suæ, quam in totâ diœcesi & in quâlibet ejus parte fundatam habet, clericorum omnium tam civiles, & criminales, quàm spirituales potissimùm causas audire, per sententiam definire, pœnas decernere, clericos ob crimen, excessum vel defectum cognitum ab officio & dignitate suspendere, imò prorsus removere & deponere, eosdem restituere, insuper etiam censuram Ecclesiasticam in omnes Diœcesanos, Clericos & Laicos per excommunicationem majorem & majorem, itemque per interdictum generale & speciale, ex justissimâ ratione exercere, iterumq; ab excommunicatione reconciliatos absolvere, & denique etiam in causis scholarium sive studiosorum ex debito civili & delicto judicare, *uti hæc omnia latè probantur in tract. de jure Episc. à Laurent. Ohm. IC.*

32. Quæ omnia hodiè à statibus Aug. Conf. expe-

expediuntur per *Consistoriales & Officiales*, qui ad id specialiter deputati. Hinc vulgò die Consistorial oder Official-Gerichte. Item Geistliche oder Kirchen Gerichte.

31. Ad statum & dignitatem Episcopalem quod attinet: Habent Episcopi privilegia Illustritatis, quæ dignitas omnibus aliis, ut spectabilitati, Clarissimatui, &c. de jure civ. veteri antecellit, comperit ipsis prærogativa gradus. Nam semper status Clericalis proponitur Laicali.

34. Verùm cum administrationem juris Episcopalis status seculares Romani Imperii, qui Augustanæ Confessioni addicti sunt, ex constitutione pacis religionis vel Transactione cadamica, Anno 1534. cœpta, Passavii Anno 1552. repetita, Augustæ Vindelicorum Anno 1555. confirmata, & Ratisbonæ An. 1557. continuata, & denuò Augustæ 1559. & 1566. sanctè innovata & stabilita (prout initia & progressum istius Pacificationis non inscitè recapitulat, Knichen *in Encyclopæd. c. 13. pr.*) optimâ ratione, sibi vindicent & optimo jure defendant; exercitium hujusmodi jurium non ipsi immediatè, sed partim ea, quæ præcipuè sunt ordinis per Superintendentes & alios Theol. Doctores, partim cætera quæ sunt Legum Diœcesanæ & jurisdictionis per consistoriales & officiales expediunt. Ut omnia ea, cum mica salis & κατ' ἀναλογίαν accipienda & judicanda sint.

35. Et quia plurimi pio adfectu ducti rem su-

am Deo consecrârunt seque proprietate penitùs abdicârunt, legibus & canonibus æquum est visum, talem aliquid juris retinere, quòd pietatis & singularis munificentiæ post funera monumentum esset perpetuum, & *Nov. 67.* 123. Unde jus patronatus introductum est, de quo *t. ext. de jure patronatus.*

36. Est autem jus patronatus *definitore* Lancell. *in Inst. h. t.* Potestas præsentandi ad beneficium Ecclesiasticum vacans.

37. Hinc ergò jus patronatus diversum est à jure Episcopali: Nam uti dictum patronus nihil amplius retinet, quàm facultatem justo tempore Clericum præsentandi ad ministerium vacans: Episcopi munus est, cætera, quæ ad ordinem Ecclesiasticum referuntur, peragere.

38. Justo tempore, uti dictum, Patronus præsentare Clericum tenetur, id quod pro diversitate patronorum diversum etiam est. Si enim jus patronatus fuerit penes Ecclesiam, tunc intra 6. menses præsentare Ecclesia tenetur. Si verò apud Laicum quendam, tunc intra 4. menses. Quòd si verò & penes Ecclesiam & penes Laicum esset, tunc propter causæ continentiam similiter intra 6. menses per ea, quæ Panormit. *in c. fin. de jure patron.* Mind. *de Contin. caus. t. 19. l. 3.*

39. Atqui sic, jus Patronatus non tantùm penes unum, sed penes plures esse potest, dummodò hi in præsentando omnes, vel major pars conveniat, *c. 3. x. de jur. patron.* Possunt etiam patroni

patroni inter se paciſci, ut alternis vicibus ſinguli præſentent, *c. 7. de jur. Patron. in 6.*

40. Verùm cum jus præſentandi Clerici, multis modis differat à jure reformandæ & introducendæ religionis, ita ut introductio & reformatio religionis ex conſtit. pacis pub. nemini, niſi Statibus Rom. Imp. conceſſa; ſequitur patronum non ſemper poſſe ſuæ fidei Clericum parochianis obtrudere, ſed debet hac in parte Patronus reſpicere ad religionem Parochianorum, quæ ſi convenit cum religione ſuorum ſuperiorum, penes quos eſt jus Epiſcopale, tunc patronus cujuſcunque etiam ſit religionis, poſſeſſionem ſuæ religionis amittit, & accommodare ſeſe debet ad fidem Parochianorum, alias parochiani recuſandi jus habent. Præjudicia Cameræ habemus in cauſa der Truchſeſſen contra Epiſc. Herbipol. ubi pago Vnſleben in territorio Epiſcopi ſito, pro jure patronatus præfecerunt die Truchſeſſen/ Auguſtanæ Confeſſionis miniſtrum. Epiſcopus huic mandat, ut abeat, & in alia cauſa contra eundem Epiſcopum expreſsè votatum: Si Aug. religionis patronus ſit in poſſeſſione præſentandi in ditione Catholica, quod tunc niſi Catholicum præſentet poſſeſſionem religionis amittat: quia die Landsfürſtl. Obrigk. per totũ territoriũ, ut majo trahit ad minꝰ, ita et. poſſeſſionẽ religionis. Conclusũ igitur fuit in hunc modum: Vnd daß Procurator erinnert werde/ daß er narrire/ weme daß Dorff mit

hohen Obrigkeiten zustehe. Eundem in modum votatũ est in causa Enstand contra Brandeburg/Gylm. *symph. supplic. p. 258.*

41. Idque adeò verum est vigore pacis religiosæ, ut Patronus, nisi simul etiam sit status Imp. & jus Episcop. habeat, suis subditis Parochianis, diversæ religionis Clericum obtrudere non possit. *Vide* Inst. Sprin. *in tract. de pac. relig.*

42. Atque sic hucusque expeditum fecimus, nulli Imperio Romano mediatè subjecto, exercendæ religionis libertatem competere: verùm, cum hoc non simpliciter & indeterminatè intelligi possit, de aliis modis acquirendi exercitii à constitutione religionis separatis videbimus, quibus & mediate Imp. subjecti gaudent.

43. Sunt enim præter constit. Religionis alii duo modi acquirendi exercitii religionis generales, utpote: Renunciatio, & legitimi temporis præscriptio.

44. Renunciatione dico, non quidem simplici & nuda, sed secundum modum in *l. 29. C. de pactis*, expressum. Regulâ enim juris antiqui est, licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *d. l. 29.*

45. Præscriptione dico, quadrienniali, *auth. quæ actiones, C. de SS. Ecclesiis*, idque non tantùm procedit contra seculares, verùm etiam contra Ecclesiasticos status, quibus via immutandi religionem tam subditorum quàm sui respectu omninò præcluſa. Præjudicia *vide apud Gylm.* evidentis-

dentissimè verò in decisione causæ M. contra Würtzburg/ *lib.2. p.724. n.4.* hoc modo: daß Supplicant die freye Vbung der Augspurgischen Confessions-Religion / über die 40. Jahr in ruhigem Posseß gehabt.

46. Et hactenus de exercitio religioso; sequitur jam, ut de literaria seu Scholastica paucis dicamus. Est n. hæc & religionis & virtutis nutrix, linguarum & artium officina, item est arteria, in Ecclesiam, orthodoxam religionem, in Rempub. pacem & concordiam, diffundens.

47. Consistit autem cura Scholastica. 1. In fundatione. 2. In conservatione.

48. Ad fundationem requiruntur. 1. Reditus 2. Locus idoneus, certus, salubris, & à tumultu remotus, Tholos. *18. de Repub. 6.* 3. Concessio privilegiorum & immunitatum, tàm à parte discentium, quàm docentium. 4. Legum certarum rogatio. 5. Ordinatio Typographiæ & Bibliothecæ, de quibus omnibus latè disserit, Hœn. *disp. 5. Polit. quem vide.*

49. Conservatio consistit in constitutione Scholarcharum, & in procuratione legitimæ Scholarcharum administrationis, Hœn. *d. l. ubi plura invenies.*

50. Fundari a. possunt & debent tàm in pagis, quàm oppidis & civitatibus, de quibus latè Keck. 1. *Syst. 8.* Zepp. 1. *Pol. 9.*

51. Distinguuntur a. frequenter in particulares seu triviales; Et universales.

52. Scholas particulares seu triviales quilibet Magistratus in sua provincia ordinare & potest & debet.

53. Scholæ verò universales seu Academiæ solius Imperatoris auctoritate & potestate eriguntur, confirmantur, & privilegiis & immunitatibus exornantur. Solius inquam Imp. auctoritate eriguntur. Rejicimus enim illorum opinionem, qui putant, pro Academiis non habendas eas, quæ Pontificis auctoritate munitæ non sunt. Qua in re non tantùm florentissimis quibusdam Academiis, verùm etiam ipsi Imperatori maxima infertur injuria.

54. Competit insuper Academiis jus insigniendi aliquem titulo Doctoris, Licentiati, Magistri, Baccalaurei, in singulis facultatibus.

55. Quando & ubi certi illi gradus promotionum introducti, testatur, Duar. *lib. 5. benef. Eccles. c. 13. n. 2.* & Middendorp. *de Academ. l. 1. c. 7.* in Lothario per Jerium Cancellarium, promovendi illius studii ergò constitutum, & sub Clemente XV. in Consilio Viennensi Anno 1311. approbatum, & postea idem privilegium promovendi ad Parisienses translatum, ubi Petrus Lombardus primus Theologiæ Doctor creatus est, & Pisis eandem dignitatem Medicis concessam fuisse testatur Dresserus *millen. 6. p. 208.* & *seqq.* Hodiè ferè omnes Academiæ eo jure privilegiari solent, paucis exceptis.

56. Il-

56. Illud imprimis celebre & notatu dignū in Germania nostra, quod plurimas florentissimas & celeberrimas Academias optimè fundatas & privilegiatas habeamus, quarum etiam hodiè 28. numerantur. Et sunt. *Heidelbergensis*, quæ fundata à Ruperto Ruffo, *Elect. Palat.* 1346. *& confirm.* 1387. *Viennensis* à Rudolph. & Albert. III. Austriæ Archiducibus FF. germanis, *Anno* 1361. *Colonienſis* ad Rhenum opera Senatus *An.* 1388. *Erphordiana* à Dagoberto Francorum Rege jam olim condita, & à Bonifacio IX. Pontif. privilegiis ornata *Anno* 1391. *Herbipolensis* à Joanne Episcopo *Anno* 1403. *Lipsiensis* à Friderico I. Elect. Saxon. *An.* 1409. *Rostochiensis* à Joanne & Alberto primis Ducibus Megapolensibus & pariter à Senatu istius urbis *Anno* 1415. *Gryphiswaldana* ab Uratislao IX. Duce Pom. *An.* 1456. *Basileensis* à Senatu istius loci fundata *An.* 1459. *Fridbergensis* in Brisgoa ab Alberto IV. Arch. Austr. *An.* 1460. *Ingolstadiana* à Ludovico & Georgio patre & filio Duc. Bavar. *An.* 1472. *Tübingensis* ab Eberhardo Wirtembergico *An.* 1477. *Moguntina* à Diethero Isenburgico. Arch. Episc. Mog. *An.* 1482. *Wittenbergensis* à Friderico III. Elect. Sax. *An.* 1503. *Francofordiana ad Oderam* à Joachimo I. Elect. Brandeb. *An.* 1506. *Marpurgensis* à Philippo Landgr. 1526. *Jenensis* à Joh. Friderico I. Elect. Sax. 1548. *Regiomontana* Borussorum ab Albert. I. March. Brand. primo Duce Borussiæ, *An.* 1544. *Argentinensis* à Senatu

Senatu Argent. *Anno* 1567. *Julia Helmstadiana*, à Julio Duce Lunæb. *Anno* 1576. *Altorffiana* in Norico, ab inclyto senatu Reipub. Norimb. *Anno* 1575. *Leidana* Batavorum *An.* 1575. *Giessena* ab Illustriss.& Celsiss. Principe ac Domino, Dn. Ludovico Hassiæ Landgr. Domino nostro Clementiss. cujus Celsitud. firmam valetudinem, regimen florentissimum, & felicitatem perennem à Deo Ter. Opt. Max. ardentibus votis animitùs precamur, *Anno* 1607. fundata. *Dillingiana* in Suevia, fundata ab Othone Truchsessio, Utalpurgio Episcop Aug. & Cardinali. *Duacensis* in Belgio fundata à Philippo II. Rege Hisp. *Paderbornensis* à Theod. Episcop. *Anno* 1616. fundata. Quo anno & Gymnasium Jesuiticum Pragense in Academiam proclamatūm, Item Molzana à Leopoldo Episc. Argentin. fundata.

57. Et tantùm de cura Hominis interna hac vice dixisse sufficiat, sequitur jam cura hominis externa, quæ expeditur. 1. Censu, quo explorantur civium ortus, generatio, educatio, conditio ac differentia. 2. Coërcitione tam Ecclesiastica, quàm Politica. Item sequitur, ut de pace publica dicamus: Verùm, quia temporis exiguitas non patitur de illis omnibus hac vice speciatim tractare, ideoque ad commodiora hæc nobis reservabimus. Et jam præcepta hujus disput. finimus.

QUÆST.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0646
DFG

QVÆST. I.

Vtrum Magistratus à religione vera alienus, nihilominus legitimus sit & maneat Magistratus?

Pontificii pro firmo ponunt Canone: Omnes hæreticos esse tyrannos, Bellarm. 5. *de sum. Pontif. c. 6.* Unde Dinardus Jesuita impudentissimè scribere non erubuit hæc verba: *Num Neronem Franciæ, Vulpem Bearniæ, Leonem Portugaliæ, Lupam Angliæ, Gryphum Suecia, Porcum Saxoniæ, Reges appellabimus vel Principes*, in tr. *An 1595. edito sub hoc tit. Quæstio parricidii intentat. Henrico IV. p. 16.* Quo falso principio scelestissimum illud decretum, de Principibus hæreticis solio deturbandis, clamvè ac palam ferro vel veneno à quolibet privato è medio tollendis, est factum. Hinc Franciscus de Verrona Jesuita in sua apologia, affirmat, *omnes Evangelicos Principes à quovis etiam occidi posse & debere, accommodans*, dictum: *O Deus, destrue domos eorum in ore ipsorum, &c.* Sic Marian. Jesuita Toletan. *lib. 1. de Rege, c. 6.* inquit: *præclare ageretur de rebus humanis, si multi homines forti pectore inveniren-tur, pro libertate patriæ, vitæ contemptores & salutis.* Et eodem c. inquit: *Quid interest ferro ac veneno perimere: Sed veneno minori fit periculo & majori spe impunitatis.* Toti mundo notum est, quid non ita pridem Olwaldus Thesmond, Johan. Gerhardus Garnetus provincialis cum suis compli-

complicibus, contra Sereniſſimum Magnæ Britanniæ Regem Jacobum, ejus nomine Quartum, ejusque ſtatum in Anglia tentarint, ut patet ex ratione Regiæ Majeſtatis habita 15. Januar. An. 1606. in actis publicis Garneti. Ad eundem modum Campianus Jeſuita in concertatione Eccleſiæ Cathol. Treviris excuſſa, *fol.* 12. apertum bellum Evangelicis Principibus indicit, quâdo ſic inquit: *Velim ſciatis, quod ad noſtram ſocietatem attinet, omnes, qui per totum orbem longè lateq; diffuſi ſumus, quorum continua ſucceſſio & magnus numerus, ſanctum fœdus iniiſſe, nec quamdiu vel unus noſtrum ſupererit ſtudium, & conſilia noſtra de ſalute veſtra, hoc eſt, religionis & regni veſtri everſione, intermiſſuros:* Hinc Comeletus pro concione, ad cœlum uſque evexit parricidam Henrici III.

Verùm, quòd Magiſtratus à vera religione alienus, nihilominus, legitimus ſit & maneat Magiſtratus, inde probatur, quod Evangelium & religio Chriſtiana non conſtituant Magiſtratum, & quod Chriſtus Politias non aboleverit, quamvis ad pietatem directæ non fuerint. Item quod Princeps hæreticus nihilominus retineat fundamenta Principatus, uti argumentum firmiſſimum dat ipſe Salvator, *Matth. 22. 21. dum Cæſari, quæ Cæſaris ſunt dari*, hoc eſt, eum agnoſci pro Principe, licet religioni addictus non ſit, mandat. Cui adde ſimilia dicta ad *Roman.* 13. 1. 1. *Petr.* 2. 13. Sequeretur etiam ex impio Jeſuitarum

tarum dogmate, in Monarchia Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, nullos fuisse Magistratus. Quamobrem ridet Deus conatum Jesuitarum, & malum quod Principibus Evangelicis cogitant, & in caput eorum detorquet, neque permittet, ut sanctum suum ordinem Politicum, ejusque unctos evertant. Agite igitur ô cordati Principes Christiani, & cavete rebellium assassinorum insidias, ac sceleratæ conjurationi Jesuitarum obviam ite. Rebelles enim sunt Jesuitæ ac divinæ humanæque majestatis criminis Rei, qui contra Rempubl. ejusque præcipua membra & securitatem conjurarunt, *l.1.§.1.ad L. Jul. Majest. & l.5.C.eod.* Radicitus ergò extirpetur, more Templariorum, Viperina illa progenies, ut Orbi Christiano, Deo & Principibus suus conservetur honor.

QVÆST. II.

Vtrum hæretici pœna mortis afficiendi?

Affirmativam quæst. tenent, qui ubera Antichristi sugunt Pontificis sanguisugæ, & quidem his fundamentis. 1. Quia in Veteri Testamento Pseudoprophetæ sine misericordia jubentur occidi. *Deut.13.1. Exod.22.v.20.* 2. Ab exemplis virorum illustrium à Spiritu S. laudatorum, utpote Moysis, *Exod.32.v.27.* Asæ, *2.Paral.15. v.13.* Jehu. *2.Reg.10.vers.25.* Josiæ. *2.Reg.23.v.20.* Eliæ, *1.Reg.18.v.40.* Jojadæ, *2.Reg.11.vers.18.* Mathathiæ, *1.Maccab.2.v.25. Matth.18.v.27.*

Si Ec-

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus, hoc est, poterit seculari Magistratui ad mortem tradi. 4. à Comparatis, quia Christus & Apostoli hæreticos iis reb. comparant, quæ sine cõtroversia igni & ferro repellũtur. Sic *Matt. 7. v. 15.* comparantur. Lupis, furibus & latronibus *Ioh. 8. 12. adde, 2. Tim. 2. v. 17. 5.* Ab exẽplis N. T. ceu Christi ejicientis numularios è templo *Joh. 2. v. 15.* Item Petri occidentis Ananiam & Sapphiram, *Actor. 5.* Pauli excæcantis Elymam Magum, *Actor. 13. 6.* Quia hæretici excommunicari possunt. E. etiam occidi. Et ratio conseq. est, quod excomunicatio major sit pœna, quam mors temporalis, *7. per l. 11. C. de hær. & Manich.*

Contra hæreticos ut hæreticos ultimo mortis naturalis supplicio non esse afficiendos, defendemus his fundamentis. 1. Quia de Ecclesia N. T. prædictum est à Prophetis, quòd sine cæde & sanguine propagatura sit doctrinam Evangelii, *Esa. 11. v. 6. 9.* 2. Quia nullum habemus in N. T. de hæreticis occidendis mandatum, quod adeò verum est, *ut ipse* Th. Aq. *2. secund. q. 11.* manifestam divisionis vel accentus potius fallaciam commiserit *ex Tit. 3. v. 10.* hæreticum hominem devita sc. tolle, cum Græcum παραιτοῦ non intellexerit. 3. Propter expressa Christi testimonia *Matth. 13. v. 29. & 30.* Ex quo loco sic argumentamur contra Papistas. *Ubi hæretici cum orthodoxis relinqui jubentur, ibi hæreticorum prohibetur occisio: Atqui hic relinqui jubentur. Ergo,*

go, &c. Certum enim est Christum hic loqui de servis Patrisfamilias in genere, *v.27.28.* in quorum numero non tantùm sunt Apostoli, verùm etiam Magistratus. Quòd verò per Zizania intelligantur hæretici, probatur ex natura oppositorum. Nam, *quæ est ratio seminis, ea etiam in oppositione Zizaniorum: Atqui per semen tantum intelligitur verbum Dei. Ergo per Zizania in oppositione hæreses* cum suis auctoribus intelligi oportet. Præterea ex dict. *Matth.13.* sic argumentamur: *Quod hominibus interdictum & Angelis præceptum, id à nullo hominum est attentandum. Atqui extirpationis Zizaniorum officium tale est,* ut constat ex collat. §. 29. 30. 41. &c. Præterea constat *ex Luc.9.v.54.* quod Christus Samaritanos infideles igne de Cœlo descendente, ad votum discipulorum, exuri renuerit, argumento ex discrimine utriusque testamenti ducto, gravique addita correctione: *Nescitis, inquit, cujus Spiritus filii sitis.* Unde sic argumentamur: *Si Christus ideò noluit Samaritanos igne cœlitus revocato per di à suis discipulis, quia discipuli essent sui filii, quia non venisset ad perdendum, sed ad servandum, sequitur nec à reliquo populo Christi in N.T. hæreticos esse interficiendos.* Huc etiam pertinent & aliæ prohibitiones Christi de hæreticis non occidendis, *2.Cor.10. v.4.8. Tit.3. v.10. & Epist. Joh.2. v.7.* Unde sic argumentamur: *Quos jubemur cavere, vitare non salutare, eos oportet vivere,* non enim propriè dixe-

ris, sed absurdè, cavere, vitare, non salutare eum, qui in vivis non est, & vel Hispanicâ inquisitione sublatus, *Atqui hæreticos jubemur cavere*, &c. Ergo, &c. 4. Quia hæc sanguisugarum doctrina pugnat cum ipsa praxi Apostolicâ & veteris Ecclesiæ. De praxi Apostolicâ constat ex supra allegatis dictis: De praxi Ecclesiæ, extant exempla utpote Arii in exilium damnati; Item Novatianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, Paulinorum, quos Imp. Constant. Magnus proscripsit, Euseb. *l. 3. de vit. Const.* Item est exemplum Apollinaris & Nestorii, quos Imp. in exilium pepulit, ut est apud Niceph. *l. 8. hist. Eccl. c. 43.* De Theodosio Imp. hoc est notatu dignum, quòd neminem ob religionem persecutus sit, nisi unum Eunomium. Pertinent huc de hæreticis non occidendis statuta Constantini Magni *de quibus* Euseb. *hist. Eccl. l. 10. c. 5.* Item testantur D. Patres, utpote Tertull. *ad Scapulam Tyrannum*, Cyprian. *l. 3. Epist. 3. ad Max.* Chrys. *hom.* 47. Theophylactus *in c. 13. Matth.* Hier. *in 2. c. Oseæ.* Hilar. *ad Const. Imp.* Ambr. *in 2. Cor. 1.* Bernh. *serm. 6.* Quinimò idipsum testantur acta Conciliorum. Nam nullum legitur synodale decretum, hæreticum Synodo convictum & damnatum tradidisse Magistratui ad occidendum. Primùm hoc attentavit Synodus Constantiensis *Anno* 1415. verùm quàm dolosè tunc temporis Papini egerint, toti mundo notissimum est. 5. Propter expressos text. juris Can. *c. tres personas. 23. quæst. 4.* 6. Quia

Quia jure civili, summa hæreticorum pœna est exilium seu deportatio cum publicat. bon. *l. 4. & 8. Cod. de hæretic. & Manich. & l. 2. C. de summa Trin. c. 10. ib.* quantò magis, qui aberrantes in fide *x. de hæretic.*

Contraria igitur *argumenta* quod attinet, *Resp. ad* 1. Legem illam Vet. T. de pseudoprophetis sine misericordiâ occidendis non fuisse ἠθικὴν sed πολιτικὴν, non moralem sed forensem, quæ cum cæteris forensibus, & totâ Politia Mosaica hodiè cessant, uti ptæcedenti disp. pluribus est demonstratum. Sed regerunt, nullam rationem adferri posse, cur Dei majestas & Ecclesiæ auctoritas minoris apud nos ponderis esse debeat, quam olim apud Judæos fuerit, imò multo magis ad eam strictè defendendam tenebimur. Verùm quod in Vet. T. licitum fuerit occidere hæreticos, ratio triplex dari potest. 1. desumitur à tempore, quia nuper admodum hunc populum sibi in peculium elegerat Dominus, & variis, immo immensis & planè miraculosis & extraordinariis beneficiis affecerat. 2. à loco, quia fuit exiguo spacio, intra unius populi terminum circumscriptus, & sic facilius executio locum habere potuit, quamvis nec inter illos semper executionem obtinuisse sciamus. Cum enim tribus tota sæpe defecisset, nunquam legimus sanguinem religionis causâ profusum fuisse. 3. Personæ, ipsius Messiæ scilicet, ne populo in factiones distracto & gentilibus mixto, dubia redderetur Messiæ præsentia,

quem ex illo populo & ex illa regione juxta promissionem Dei expectabant. In N. T. secus esse dicimus, quia nullum mandatum exstat, quin imò ut dictum, prohibitiones de non tollendis hæreticis in N. T. extant plurimæ. *Ad argumentum secundo loco* adductum ex vulgari Regulâ: resp. Qualis enim est Regula, talia quoque exempla ad regulam illam congruentia. Atqui regula, ad cujus præscriptum hæc à piis Regibus V. T. gesta sunt, erat Mosaica & temporaria, E. & talia sunt exempla. Et per conseq. ad imitationem trahi non debent, sequeretur enim non tantùm ipsos hæresiarchas; verùm etiam omnes seductos exscindendos esse, quin imò non tantùm illis, qui Magistratu, verùm etiam, qui ministerio Ecclesiastico funguntur, jus & potestas gladii erit in hæreticos, & quæ sunt alia absurda plurima. *Ad 3. Resp.* Committi in eo fallaciam plurium quæstionum; agitur enim in *d. c. 18. v. 17.* apud Matth. non de hæret. sed de fratre in te peccante. Et proinde publicanos, Christus & Johannes non tradiderunt carnifici, sed eos recipiebant, *Luc. 15. v. 1.* *Ad 4. Resp.* Quòd hæretici non ideo comparentur Lupis, quòd debeant similiter tractari & occidi, sed quia habeant similem indolem. Est ergò maxima disparitas in supra dictis similitudinibus. *Ad 5. Resp.* Quòd exempla illa tam ratione personarum & factorum, quàm instrumentorum & causarum sint diversa. *Personis differunt.* Nam adversarii, hîc de Magistratu

gistratu quærunt, exempla verò allata loquũtur de Christo & Apost. *Factis differunt*: aliud enim occisio & aliud ejectio, & facta illa partim erant extraordinaria, partim miraculosa. *Instrumentis*: Apostoli n. verbis egerunt contra Ananiam & Elymam: Sic Christus flagello & verbo simul contra numularios egit; Adversarii verò igne & ferro. *Causis.* Non enim propter hæresin hæc contigerunt, sed ob Ananiæ fraudem & Hypocrisin. Elymas verò erat magus; & Numularii exercebant in templo mercimonia; flagellati ergò sunt, ut resipiscerent, non verò ut morte interirent. *Ad 6. Resp.* Negando. Neque sunt pœnæ spirituales convertendæ in civiles, *Ad 7. Resp.* Quòd pœna mortis non ad omnes hæreticos, sed tantùm ad Manichæos, propter extremam ipsorum malitiam & nequitiam, sit extensa, *l. 11. C. de hæret. & Manich.*

QVÆST. II.

Vtrum ad Magistratum Politicum pertineat inspectio Ecclesiæ & potestas Concilia convocandi & illis præsidendi?

Canonistæ Laicis Principibus omnem potestatem legis Ecclesiasticæ condendæ, etiam in commodum cedentis ademerunt, *c. 10. de const. c. 1. dist. 96. c. si quis principum 15. q. 7. de rebus Eccl. non alien. c. 3. de const. c. 51. c. 56. de elect. c. 7. de præscript.* Hinc Pontifex Romanus, Episcopatum universalem seu Principatum super omnes totius mundi tum Ecclesias tùm Episcopos arro-

ganter sibi attribuit, *c. unam sanctam, Extravag. comm. de major. & obed.* & super hoc falso fundamento, se caput Ecclesiæ, & supra Concilium, imò scripturæ auctoritatem à se ipso dependere, statuit.

Verùm, quàm falsum, impium & blasphemum hoc sit, inde facilè patet: quod Principes Laici sint utriusque tabulæ custodes & præsides, *Deut. 17. 19. Jos. 8. 34.* Sic Moyses omnem sacrorum rationem à Deo accepit & populo tradidit, *Exod. 27.* Aaronem severè verbis castigavit ob vitulum aureum. *Exod. 32. 21.* Sic David cultum Dei restituit, *1. Chron. 14.* Sic Ezechias æneum serpentem perfregit, *2. Reg. 18. 4.* Neque hoc immutatum per Christi adventum, patet, *ex l. 3. C. de Trin. & Nov. 3.* ubi Imp. inquit: *se non minorem Ecclesiæ curam habere, quàm propriæ vitæ.* Constat enim Impp. Concilia Oecumenica coëgisse & non tantùm Romanum Episcopum, sed plures patres Conciliis præfeciſe, qui non suo, sed Imperatoris nomine omnia statuerunt & decreverunt. Quam potestatem Impp. Rom. postmodum etiam retinuerunt, & ll. tulerunt Ecclesiæ, *Nov. 7. 46. 67.* utpote de locis sacris & eorum privilegiis, *t. t. C. de SS. Eccl. & t. t. C. de his, qui ad Eccl. confug. Nov. 9.* item de personis Ecclesiasticis earumq; creatione, numero, officio, immunitate, *t. t. C. de Episc. & Cler. & t. seqq. Nov. 3. 5. 7. 16. 57. 79. 83. 123. 131. 133. 149.* De ceremoniis *t. t. C. ne sacr. bapt. iter. & t. t. C. de stat. & imag. & t. C. nem.*

nem.lic.fig.salv. Nov.58.131.c.8. & 137.c.6. item de diebus festis, *l.ult.* C. *de fer.* imò de doctrina ipsa, tàm fidei, *t.t.* C. *de sum. Trin. & t.C. de hæret. & Manich. & tit. C. de Apost. & t.C. de judæis, & t.C. de pag.* Nov. *146.c.2.* quàm morum, Nov. *133.* 21. est n. religio in Repub. Christianâ communis causa, cujus præcipua cura ad Impp. & reliquos Principes Christianos pertinet. Neque hoc in casu Papa potest esse judex, si maximè jurisdictionem haberet, cùm sit pars altera litigantium, *arg.l.10.de jurisd.* Nec par in parem habet imperium, *l.14.eodem & l.4. de recept.arbitr.* Sic Constantinus non tantum coëgit Concilium, verùm etiam eidem præfuit, *c. futurum, v. idem verò,* 12. *q.2.* Sic Theodosius, Arcadius, Martianus, Carolus & Otto Magn. Henricus III. & plurimi alii, *de quibus vide* Euseb. *de vita Const. lib.3.c.6.* Niceph. *lib.8.c.4.*

QVÆST. IV.

Annon aliquando in Republ. plures unâ verâ religione, tolerandæ?

Talis est quæstio pro cujus Negativa, non tàm ex Logicorum regulis, quàm ex carnificum officina argumentis petitis proximè præcedentis seculi decursu pugnatum est. Talis est, inquam, quæstio quæ florentissimam Galliam, fertilissimam Angliam, bellicosam Hispaniam, & cultissimam Belgii provinciam acriter hactenus concussit, absumpsit n. hæc quæstio in Gallia intra duorum & viginti annorum spatium, initio

ſcil ſumpto, ab Anno 1562. uſque ad Ann. 84. quadraginta centũ millia, varijs pœnis & bellorum turbinibus, atque adeò hujus quæſtionis deciſio in ſangine hominum quæſita, ut pulchra illa roſa Franciæ tunc temporis in ſanguinem verſa videretur. Abſumſit innumeram hominum multitudinem in Hiſpania, in Belgio, in Anglia. Et quamvis Germania noſtra pacatior eſt viſa, non tamen defuit quibuſdam turbatoribus voluntas, licet huc uſque Dei beneficio defuerit facultas Sleid. *lib. 3. & 17.* Nec deſunt hoc noſtro tempore, qui diverſæ religionis hominibus optant unam cervicem Coſter. *in præfat. Enchirid. controv. de moribus hæret. fol. 17.* Diverſas igitur religiones in una eademq; Repub. tolerandas non eſſe, ſic probant. 1. Quia munus Politici primarium eſt omnes diſtractionum ac diſcordiarum civilium vias præcludere & omnem anſam præcidere. Atqui nihil magis ſubditorum mentes diſtrahit, & diſcordias introducit, ac facit religionum diverſitas. Nam experientia teſtatur, quod ibi ſint perpetuæ rixæ & contentiones aſſiduæ, ſeditioneſque creberrimæ. Notiora hæc ſunt, quàm ut documentis ex Hiſtoricis comprobare neceſſe habeamus. Nota enim ſunt exempla Pſeudoprophetæ *Ægypti*, *de quo* Joſeph. *l. 2. bell. Jud. cap. 12.* Moſis Cretenſis, *de quo Strabo & alii.* Johannis Leidenſis & Münceri, *de quibus* Sleid. *lib. 4. & 5. Videatur* Camer. *p. 1. hiſtor. c. 83.* Ob eandem rem Romani *legib. 12. tab.* cavérunt, ne

ne aliquis seperatim haberet Deos novos, neque alienos sive advenas. 2. Quòd unus tantùm sit Deus, ac una formula rectè colendi Deum, quam Deus nobis proposuit, & extra quam impossibile est Deo placere. Violatores enim unius & certæ religionis Deus atrociter punire voluit, *Deut. 13. v. 12. & seqq.* ejusq; rei causâ vindicem Magistratum constituit & protectorem ac defensorē. *Vide* Franciscum Burghard. *de autonomiâ*, in quâ expellendos arbitratur eos, qui diversæ sunt religionis idq; ex locis scripturæ, *Deuter. 18. 20. Eph. c. 4. 11. seqq. Jud. 6. 1. Sam. 15. 1. Reg. c. 13. 11. & c. 18. 40. c. 22. 6. 2. Reg. 10. 19. Matth. 7.* Pugnat enim hæc religionis libertas cum verâ & unicâ fide, quam dubiam ac incertam reddit, & sic plures introducit fides & conseq. plures ac diverses Ecclesias. 3. Quia hâc libertate religionis ad extremum Numinis contemptum, blasphemias, &c. fenestra aperitur. 4. Quòd pari passu ambulent, omnis religio: & nulla religio: rudis enim plebecula, acres illas de summis religionis capitibus contentiones & diversum sacrorum cultum animadvertens, sola hominum opinione veritatem constare censet, ac proinde ad Epicuri castra pleno contendit cursu. Quod fieri non possit, ut quis Deum totâ anima & toto corde diligat, qui diversas religiones simul patitur ac fovet, quod certissimum sit in neutram credere, qui diversas leges admittit, Tholos. *lib. 8. de Republ. c. 2. sect. 15.* Ut igitur religionum diversitas tollatur,

Orientis & Africæ populi, ut & ipsi Hispaniarum Reges, de religionibus differere sanctè prohibuerunt, Bodin. *lib. 4. de Redub. c. 7.* 5. Quia transgressores humanarum legum puniuntur. Ergò multò magis violatores divinarum legum. Quantum enim religio, quæ ex ipso Cœlo devenit, præstat promulgatis humanis placitis, tantum quoque illarum transgressores puniendi atrocius, nihil enim in humanis rebus religione est præstantius, eam igitur summâ vi defendi oportet. Et quia crimen læsæ Majestatis humanæ, gladio punitur; Cur nõ & crimen læsæ Majestatis divinæ? Et cùm Magistratus eos tollat, qui furtis & homicidiis Rempub. commaculant, cur non & illos, qui novis dogmatibus Reipub. admodum nocent. Utriusque enim tabulæ custos est Magistratus, Costerus *in Enchirid. contr. c. 2. f. 101.* Hinc statuunt. Hæreticum à quolibet etiam privato impunè occidi posse, Wilh. Ross. *de vind. Reipub. Christ. adversus Reges Imper. & hæret. p. 156.* Greg. de Valent. *t. 3. disp. 5. q. 8. p. 3.* Jac. Gretser. *in apol. pro Ign. Lojol. c. 6.* Bell. *de summ. Pontif. l. 5. c. 7.* Item in crimine hæreseos accusatorem numero testium asscribi, *c. 4. extr. de testib.* Item, ut inquisitores hæreticæ pravitatis ex præsumptione etiam possint procedere, & teneantur punire eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse hæreticus, quamvis reverà non sit. *Ut ex* Dominico Bannis *in 2. secunda Thom. q. 11. art. 2. refert* Gonarus *in Anticol.* Hinc visum est Papinis, hæreticis fidem salvi cõ-

dactus

ductus non esse servandam, quamvis juramento esset confirmata. 6. Huc faciunt rationes de hæreticis tollendis, quæstione 2. allatis. 7. aliis quibusdam scripturæ dictis utpote *ad Tit. 3. v. 10. Hæreticum post unam & alteram rationem, devita.* Item *exultationes Dei in gutture sanctorum & gladii ancipites in manibus eorum.* Psal. 149. v. 6. Item, *si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent,* Joh. 15. 6.

Verùm, nos cum istiusmodi sanguisugis, qui tantum hastas vibrandas, gladios acuendos, tela intentanda esse crepant, facere non possumus, sed truculentiæ & crudelitatis meritò accusamus, qui statim ad rotam, ad ignem & gladium, diversæ religionis homines trahendos opinantur, ex quorum cerebro tyrannica ista emblemata fluxerunt: Regem hæreticum à quovis privato posse impunè occidi: Item hæreticis non esse servandam fidem: & quæ sunt alia impia & crudelia dogmata. Quamobrẽ contrariũ statuimus & defendemus his fundamentis: 1. Quia religio non imperari, sed suaderi debet. Nam cùm fides sit in anima, quæ spiritus est non tantùm difficilè est Magistratui populũ ad fidẽ cogere, verùm impossibile, quia sola divinitas interiora cordis cognoscit, scrutatur & judicat. Magistratus quippe Pol. corporib. morib. & linguis quidẽ imperare potest; verùm mentium Rex solus est. Hinc Augustinus *in Johann. liberum quidem est credere, imò quoddam divinum in spiritu, externâ igitur vi nec*

cogi

cogi potest nec debet. Unde etiam rectè à Max. II. dictum. *Nullam esse intolerabiliorem tyrannidem, quam conscientiis velle dominari.* Rectissimè etiam Stephanus Batori Rex Poloniæ dixit. *Tria sibi servasse Deum: Ex nihilo aliquid facere: scire futura: dominari conscientiis.* Quamobrem non ferro sed verbo hic pugnandum est, cujus vires describit Apostolus *ad Hebr. 4. vers. 12.* in hunc modum: *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens usq; ad divisionem animæ ac spiritus* : & arma hujus militiæ minimè debent esse carnalia, 2. *Cor. 10. v. 4. Armatura Dei hîc requiritur, lorica justitiæ, scutum fidei, galea salutis, gladius, spiritus, Paul. ad Eph. 6. v. 11. 15. 16. 17.* Hinc Tertull. *ad Scapulam.* Non est religionis cogere religionem, quæ spõtè suscipi debet non vi, fides non est res necessitatis, sed voluntatis. *Item* Ambros. *in 2. Cor. 1. Hilar. ad Constant. Imp.* Unde etiam liberum religionis exercitium concesserunt. Constant. Imper. quamvis Arianus. Theodoret. *hist. Eccl. l. 2. c. 12.* Item Antonius Aurelius Imp. licet Ethnicus, Euseb. *l. 4. c. 13.* Item Gratian. Socrat. *l. 5. c. 4.* Hinc etiam Imp. Car. V. sacratissimæ memoriæ, nunquam satis celebrari & laudari potest, quòd per Regem Ferdinandum fratrẽ suum pragmaticam sanctionem de pace religionis solemni stylo & concordi statuum suffragio promulgari & confirmari curârit. Et cùm voluntarium populũ expetat Deus, *Ps. 110. v. 3.* experientia testatur,

coa-

coactionem in religionis negotio semper malè cessisse; nam cùm religio cogi nõ possit uti antea dictum, nihil aliud faciunt coactores, quàm ut coactos faciant hypocritas, ut aliud dicant, & aliud teneant alia mente repostũ. Idipsum de Vandalis in Africâ, de Gothis in Italia, de Arianis in Græcia, Mahometanis in Turciâ, annales uberrimè testantur. 2. Quia ipse Deus, qui Rex Regum & Dominus Dominantium est, in sua Repubi mundana omnib. seculis diversas religiones publicè exerceri passus est, unde Apostolus in hæc verba scribit: *oportet esse hæreses*, fortè, ut veritas & falsitas mutua inter se collatione meliùs hominibus innotescat. 3. Addimus proinde & hoc; quòd nullus sit populus, qui religionem suam non judicet veram; Item, quod controversia illa, quæ vera & pura religio, adhuc indecisa, & quia solius Dei opus est, quamdiu hæc mundi machina durat indecisa manebit. 4. Quod diversæ religiones non per se afferant mutationes & perturbationes in Rep. sed tùm demũ, quando Magistratus suam religionem absque judicio & discrimine rejectis per vim reliquis pertinaciùs tuetur. Id quod experientia tota die confirmat. Nam quamprimum liberum religionis exercitium in Gallia permissum, nec ulterius propria in viscera vires vertere voluit, maximâ ex parte pacata & tranquilla fuerunt omnia. Quod ipsum in Germania nostra uberrimè reperimus. Nam quamprimum Protestantes Imperii status liberum

rum religionis exercitium obtinuerunt, halcyonia sua obtinuit Germania, quæ ut porrò obtineat, Deum supplices rogamus. Hujus enim salutaris sanctionis beneficio videmus, conjuges in religione quidem dissentire, parentes & liberos diversa sacra sequi: fratres & sorores in una eademque domo in plurimis cœlestis doctrinæ capitibus discrepantes fovere sententias, in Politicis tamen & domesticis rebus concordes vivere. Latissimum est & firmissimum Turcarum Imperium, quod tamen varias sectas tolerat: Hierosolymis enim videre licet, Romanos, Græcos, Armenios, Surianos, Nestorianos, Jacobitas, Gregorianos, Marcionitas & alios *Camer. part. 1. cap. 58. p. 261.* Sic Judæis Rom. Imp. & Pontifices cœtus ac synagogas, quas olim Tiberius, Claudius ac Domitianus vetuerant, habere ad suos cultus, permiserunt. Est proinde nostra sententia, posse Magistratum, salva conscientia religionis minus puræ exercitium, tàm publicum, quàm privatum, subditis permittere & imitari hac in parte exemplum periti navarchi, qui cùm videt ob vim tempestatis adversæ præsentis, se cursum directum in mari tenere non posse, obliquo & indirecto utitur, vel planè tempestati cedit, ne navis in extremum periculum deducatur. Ad contraria ergò argumenta quod attinet hac vice generaliter respondemus, quòd nullum sit dubium, quin non solùm precibus animorum in Cœlesti doctrina concordia sit efflagitan-

gitanda, sed cuilibet etiã pro officii ratione summis viribus eo annitendum, ut una, eaque vera religio ubiq; locorum & civitatũ obtineat dominium; felix n. illa civitas dicitur & beata Respub. nec ullum unquam firmius sperandum est concordiæ & unitatis vinculum? verùm cùm istud quidem sperare fortassis vix ac ne vix quidem liceat, melius est & salutarius, si diversitas illa tolli nequit, nisi gravissimo & insanabili Reip. vulnere ut Magistratus diversitatem religionis, tanquã medium servandi totum, toleret. Proinde nõ approbamus varias religionis corruptelas vel sectas, tantum n. abest, ut in pacatam Remp. easdẽ recipiendas esse, statuamus, nisi civitas ita perturbata, ut si totali internecione, aut sine sanguinis effusione res componi nequeat, tunc n. quiescendum dicimus & tempori aliquid condonandam, ferendum igitur illam religionem esse dicimus, quam sine Reipub. interitu auferre non possis, Bod. *l. 9. de Reipub. c. 7.*

QVÆST. V.

Vtrum Pacificationis religiosæ articuli Imperatori à Protestantibus vi extorti?

Quanta superiori seculo inter eos, qui Romani Pontificis castra sequuntur, & inter eos, qui Augusti. Confessioni addicti sunt, in gravissimis fidei articulis, exorta sit dissensio, toti mundo est notissimum, adeò, ut conjunctissimum mutuæ charitatis & benevolentiæ in Imperio Romano vinculum non solum distraxerit, funestissimasque belli & turbarum faces, teste Sleid. *de stat. rel.* accen-

accenderit, verum etiam longè miserabiliorem invectura fuisset calamitatem si maturo, & sapienti consilio huic malo per religionis Palladium obviam non fuisset itum. Miserabatur n. Deus Ter Opt. Max. suorum fidelium, idcircò sacratissimæ memoriæ Carolum V. commovit, ut singulari & paterna affectione erga communem patriam justis ordinum precibus, ad se delatis, religionis pacem, in quâ Germaniæ salutem consistere optimè animadvertit, constituerit, sanxerit, decreverit. Cùm verò à quibusdam hoc Imperatoris decretum & factum calumniosè satis in dubium vocetur, utrum legitimè factum nec ne? paucis hìc de ipso decreto agemus, Franc. Burch. *in suâ autonomiâ* von der Freystellung mehrerley Religion und Glauben/ *& c.13. p.3. & cum illo* Windecc. *in deliberat. de hæret. extirp. ad 4. object.* hanc constitutionem, vi ferroque Cæsari extortam esse dicunt, Tarquinii illud ad Lucretiam *apud* Livium *lib.1. dec.1.* falsissimè accommodantes immane dicterium: *ferrum in manu est.* Inde sic argumentantur: Juris explorati est, quòd sine consensu, eoque libero nullus contractus iniri possit, *l.1. §. pen. de pactis.* Unde Arist. *in Rhetor. ad Alex. lib.1. quibus necessitas adhibetur, ii non minus falsa, quàm vera dicere solent, nam vel dolorem tolerantes verum occultant, vel facilè mentiuntur, ut citiùs à cruciatu liberentur.* Neque sufficit, ut consensus ex voluntario quopiam actu descendens accedat, sed talis debet esse,

esse, qui ab omni coactione doli & metus (nam & qui dolo agit, vim vel metum infert, *l.14. §.13. Quod metus caus.*) sit liberrimo, propterea, quod consensui nihil tam contrarium, quàm vis ac metus *l.116. de R. I.* Atqui Imperatoris decretum, non ex voluntario & liberrimo consensu, sed ex coacta voluntate est ortum. Ergo. Cùm Prætor tanquam æquitatis custos, *l.4.ff. de eo quod certo loco*, sequitur, hoc decretum non esse ratum habendum sed rescindendum, *l.1. & 2. de restit. in integr.*

Contra, quòd decretum illud super pace religiosâ, ex paterno & singulari affectu erga communem Patriam, sit sancitum & promulgatum, probamus ex ipsa constitutione pacis religiosæ sub *Anno* 1532. §. Haben wir als Römischer Christlicher Keyser/von sonderlicher Lieb und Begierd wegen/ so wir zu Teutscher Nation/ und derselben Stand Fried und guter Einigkeit tragen/uns mit denselben und sie hinwieder mit uns vergliechen. *Item sub An.* 1541. §. Und dieweil. *ib.* und demnach dann unser Begierde/ꝛc. *cum seq. Et An.* 1544. §. Als wir aber in der handlung/ꝛc. *Et Anno* 1548. *in declarat. interim. in pr. Et Anno* 1555. §. In solcher vorgezogener/§. Setzen demnach/und damit solcher/ Friede/ *ib.* und soll solche streitige Religion nicht anders/ꝛc. *Item* §. Damit/ *ib.* Sondern derselben/ *Et* §. Und demnach/ *ib.* So haben wir diesen Friedenstand von geliebtes Frieden

wegen / das hochschädliche Mißtrauen im Reich auffzuheben/ꝛc. *Item §.* Solches wollen wir bey unsern Käyserlichen und Königlichen Würden/ꝛc. Idem probatur ex aliis confirmationibus, *Anno* 1557. 1559. & 1566. Et in omnibus verè comitiis. Præterea idipsum ex definitione pacis religionis patescit: *Definitur* enim pax religiosa, *quod sit edictum, de certa religionis in Romano Imperio liberè colendæ facultate concordi Statuum suffragio, sub gravissimâ pœnâ promulgatum.* Est ergò pax religiosa, edictum, sive constitutio Principis, qua Princeps motu animi libero, citra personæ privatæ vel specialis causæ determinationem publicè quid edicit, *secundum Theoph. in §. 6. Inst. de I. N. G. & C. juncto §. ex const. pacis*, setzen demnach/ ordnen wollen und gebieten/ *& §. seq.* so wollen die Keyserliche Majestät/ꝛc. quæ verba legis & Llatoris sunt gemina, *l. 7. d. ll.*

Argumentum proinde in contrarium quod attinet, limitamus primo majorem proposit. Prætor enim hic non intelligit quamlibet vim, teste *Vlpian. l. 3. Quod metus causa.* Sed majoris rei impetum, qui omninò repelli non possit, *l. 2. 3. d. t.* & metum non vani hominis, sed qui in hominem constantissimum cadere possit. *l. 6.* Unde in Minore propos. demiror Burghardum, quòd istiusmodi metum in invictissimum Car. V. cadere, ausus fuerit affirmare, qui sanè rerum à Carol. V. gestarum non fuit inscius, sed optimè insuper

ſuper ſcivit, Electorem Saxoniæ tunc temporis fuiſſe captivum, & Magnanimum illum heroem, Philippum Haſſiæ Landgravium cuſtodiæ mancipatum & præter Bremenſes & Magdeburgenſes potentiſſimas Imperii civitates ad unum omnes defeciſſe. Hi ergò erunt, qui vi ferroque extorſerunt religionis libertatem? Prætereà toti mundo notum eſt, Carol. V. ſacratiſſimæ memoriæ non ſolùm ſuis incolis, ſed etiam exteris Regibus & Principibus potentiſſimis: imò ipſi Solimanno maximum terrorem incutiiſſe, & tamen, qui infinitas & incredibiles confecerat expeditiones, novem in Germaniam, ſex in Hiſpaniam, ſeptem in Italiam, decem in Belgium, quatuor pace & bello in Galliam, bina in Africam itinera peregerat, contra propriam conſcientiam, à tam exiguâ hominum copiâ, omni ſubſidii ſpe prorſus orbatâ, coactum fuiſſe Imper. affirmare non erubeſcis? At ſi daremus Burghardo, Carol. V. atroci vi compulsũ fuiſſe, ut Principib. Imp. morẽ gereret, quod tn. citra veritatis præjudicium non concedemus. Et quid reportaret? Si n. vim indiſtinctè ad obligationem enervandam efficacem eſſe arbitratur, valdè errat. Nam Ulp. *in l. 3. ff. Quod metus cauſa.* hoc modo reſpondet: Vim accipimus eã, quæ contra bonos mores fit, non eam quam Magiſtratus rectè intulit ſc. jure licito. Quæ Ulp. reſponſio ex eo dependet principio, quod in omni facinore ſpectanda ſit delinquentis voluntas, *l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. l. 1. §. 1.*

& l. 14. ff. eodem. Wes. cons. 19. numer. 2. Cujusmodi sunt exempla, l. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. 28. §. 8. ff. eodem & l. 5. C. de injur. Cum ergò in Principibus Romani Imp. defecerit voluntas delinquendi, ex eo, quòd qui suo jure agit, nemini injuriam faciat. Et etiam istiusmodi metum contra bonos mores Imp. non intulerunt. Assumptum inde probatur. Quòd lex divina præceperit unicuique scrutari scripturas ad reddendam suæ villicationis rationem: Atqui Principes ductu S. S. scripturam scrutati sunt, ideoque liberum religionis exercitium, toties iteraris suis protestationibus & supplicibus libellis repetiverunt. Ergò id tantummodo fecerunt, quod lex divina, eos facere jussit. Cum ergò observantia divini cultus major esse debeat, quàm humanæ Majestatis auctoritas, non iniquè fecerunt, quòd liberum religionis exercitium vi ac ferro ursserint.

QVÆST. VI.

Vtrum ea obligatio, quæ ex edicto pacis religiosæ oritur, ipsum Imp. stringat.

Non desunt qui hoc negant; & ulterius moventur hâc præsertim ratione. Quòd hic contractus ab ipso Imperatore non sit celebratus, sed à Rege Ferdinando, & regula juris sit, *quod alteri us conventio alteri non prosit*, adeò ut ne Procurator quidem actionem possit acquirere Domino, l. 1. C. per quas person. & l. 7. C. si quis al. vel sibi, multò minus alium obligare, l. 38. de V. O. Contra, quòd hoc edictum non tantùm omnes Imperij

perii ordines, verùm ipsum etiam Imp. stringat, pluribus probatur ex ipsâ ordinatione & confirm. pacis publicæ, utpote *d.* §. Vnd damit solcher Friede/ *ib.* So sollen die Keyserliche Majestät/ wie auch Churfürsten und Stände/ &c. Et quia conventione, quis legem sibi præscribere potest, à quâ postmodum recedere non licet, cùm æquitati nihil magis consentaneum, quam fidem datam servare, *l.1.de pact.& l.2.* §. *4.depos.* Et vox Principis instar oraculi esse debeat: unum habens calamum & unam linguam & immobilis esse, sicut lapis angularis & polus in cœlo, præsertim cùm nihil sit, quod clariori lumine in Principe præfulgeat, quam recta fides, *l.8. C.de summ.Trin.* Et quia id gentium moribus introductum, ut Reges & Principes cum suis subditis pacta ultrò citroque faciant. Sic Rex Hispaniarum suis Hispanis juramento sese obstringit: Sic Rex Galliarum præstito juramento inauguratur, *Bod.l.1. de Repub.8.p.*88. Sic Reges Hungariæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, &c. subditis suis se devinciunt: præterea id jure divino approbatum, utpote quia Deus ipse isthoc jure egit, *Gen.*15.*v.* 18.*Heb.*8.*v.*8. Sic habemus exemplum Davidis cum suis subditis, *2.Sam.2.v.*21.*& c.*5.*v.*3. Item inter Regem Joas & subditos, 2. *Reg.*11.*v.*4. 2. *Par.*23.*v.*3.*1.Sam.*11.*v.*1. Nullum potest esse dubium, quin Principes ex tali conventione cum subditis factâ efficacissimè teneantur. Et quod attinet nostram quæstionem, de eâ minus dubi-

tari poterat, cum Constitutio, illa, bey Keyser und Königlichen Ehren und Würden / necnon gravissima pœna sit confirmata & circumvallata, R. A. zu Augsp. *de Anno* 1555. §. Solches wollen wir bey unsern Keyserlichen und Königlichen Würden / für uns und unsere Nachkommen / stät / unverbrüchlich und aufrichtig halten und vollziehen / und darüber jetzt oder künfftiglich / weder aus Vollkommenheit / oder unter einigem andern Schein nichts vornehmen / oder handeln lassen noch jemand anders von ihrer Liebde und Keyserlichen Majestät / und unserent wegen zuthun gestatten.

Quod verò argumentum in contrarium objectum attinet, nullius est ponderis, nam quamvis ab ipso Imperatore hic contractus non sit celebratus, interim tamen per fratrem suum Ferdinandum Regem Romani Imp. hanc pacem fieri curavit, quam postmodum ipse ratificavit & multoties confirmavit. Neque est, quòd quis putet, illam regulam, quâ dicitur *quod alterius conventio alteri non prosit* : aliquid ponderis ad hunc casum afferre. Non enim simpliciter & indeterminatè est intelligenda: fallit proinde, si stipulatio & promissio sub pœna fuerit facta, vel si stipulantis simul interfit, §. *18. Inst. de inutilib. stip.* Atqui hic contractus non tantum sub promissione pœnæ fuit initus, §. Damit solcher Friede / *in fin.* und Pön des Land-Friedens / *cum §. seq. in fin.* Verùm etiam Regis Ferdinandi non

non minus interfuit, quàm ipsius Carol. V. cùm regiæ majestatis, tum Archiducatus Austriaci respectu, §. Solches alles/ *ib.* So sollen und wollen ihre Liebde und Keyserliche Maj. Ergo meritò Imp. per fratrem quæsita est obligatio.

QVÆST. VII.

Vtrum constitutio de pace religiosâ per concilium Tridentinum sublata?

Constitutionem de pace religiosâ, usque ad placidam reconciliationem in Oecumenico Cõcilio, decretam esse, & ea reconciliatione non subsecuta, semper in vigore suo firmiter constitutionem remanere, evidentissimè constat ex §. Vnd nach dem eine Vergleichung/ *ib.* solchen Frieden in allen obgeschriebenen Articuln/ biß zur Christlicher / freundlicher und endlicher Vergleichung/ *& ib.* Wo dann solche Vergleichung/ durch die wege des generalis Concilii, National-Versamlung / Colloquien oder Reichshandlungen nit erfolgen würde / soll alsdann nichts desto weniger dieser Friedenstandt/ ꝛc. bestehen bleiben. Et quamvis huic Conciliationi ab Anno 1555. destinata essent Comitia. §. So haben sich der Churf. Räthe/ ꝛc. *& §. seq.* Vnd wiewol etliche unser ꝛc. ob gravissimam tamen negotiorum molem ejus tractatio non est subsecuta, sed in Colloquium Wormatiense prorogata R. A. zu Wormbs/ de *Anno* 1557. §. Vnd Churf. verordnete Räthe / qui quidem labor ibidem cœptus

sed absque ullo effectu. Quæ igitur causa fuit, cur pax religionis denuò solemniter confirmaretur, R. A. zu Augspurg *de Anno 1559.* §. Dieweil aber dasselbige: *ib.* Vnd daß nichts desto weniger der Passauische Vertrag / ꝛc. für und für kräfftig und beständig bleiben / ꝛc.

Verùm cum Pontificii nobis objiciant Cõcilium Trident. demonstrabimus, pacificationẽ religionis per illud minimè sublatum Et 1. Constat ex ipsa constitutione pacis religiosæ, ad Pontificem minimè pertinere, ut ipse de constitutâ Imperii pace judicaret, vel etiam tolleret, sed ad Cæsarem & ordines Imperii istiusmodi auctoritatem, pertinere, quamobrem formula pacis religiosæ à Cæsare duntaxat, & ordinibus Imperii constituta & confirmata. 2. Quod Papa, cum reus sit factus idololatriæ & tyrannidis adversus Ecclesiam Christi, nihilominus propria causâ se judicem fecerit minimè competentem. 3. Quòd contra omne fas & æquum supra Concilium esse voluerit, neque Concilii censuræ sese subjicere. Id quod contra consuetudinem & morem superiorum temporum. Sistebãtur enim & subjiciebantur Concilio, & itidem damnati sunt in Conciliis non minùs summi Pontifices, quam & alii Episcopi, utpote Constantinopolitani, Nestorius & Sergius, quorum ille vivus in Concilio Niceno, hic post mortem suam in Constantinopolitano universali sexto, convictus & condemnatus hæreseos. Et de Romanis

Pon-

Pontificibus similiter idipsum constat, Nam Honorius Papa est damnatus hæreseos Eutychianæ. Sic in Concilio Constantiensi damnatus est hæreseos & summæ impietatis, Johan. XXIII. In Concilio Basileensi, damnatus est hæreseos, Eugenius. Justus Spring. *d. tract. p. 132.* 4. Quòd nullum legitimum in eo administraverint processum. Erat enim decretum, ut Concilium in Germania celebraretur. Item ut quilibet tuto eidem interesse posset. Et quamvis Theologi Würtenbergici inter quos etiam Brentius fuit, se stiterint, nunquam tamen, ut audiri potuissent, admissi sunt, ex quibus omnibus evidentissimè patet, Concilium Tridentinum minimè legitimum fuisse & idcircò pacificationem religionis sartam tectamque semper habendam.

QVÆST. VIII.

Vtrum illi reformatæ religionis assertores, quos vulgò Calvinistas appellamus in publicæ religionis pace sint comprehensi?

Quæst. hujus negativam defendimus his fundamentis. 1. Toti mundo notum est, quod contemplatione duarum illarum religionum, utpote Augustanæ & Pontificiæ, religionis pacificatio sit decreta, constituta & confirmata. Atqui Calvinistæ. (Mentzerus *in defensione Collat. Aug. Conf.* omnes Articulos August. Confess. oppugnant, uti ipsum etiam testatur Protestantium responsum in Comitiis Augustanis, Anno 1556. Cæsareæ Majestati oblatum, cujus verba vide

apud Justum Springerum JC. Sax. *in tr. de pace relig. c. 6. ib.* Habe man ihr M. begehren dahin verstanden / daß sich der Augsp. Confessions verwandte Stände erklären sollen / ob sie den Churf. Pfaltzgraffen / für einen Stand der Augsp. Confession-Verwanden hielten und erkenneten: als thun sich obgemelte Stände lauter und außdrücklich erklären / daß in dem Articul deß H. Nachtmals sie nicht erkennen könten / daß es ihr Churf. G. mit der Augspurschen Confession hielten / ꝛc. Quòd in illa ipsa constitutione, aliæ religiones extra illas duas, expresè reprobentur & rejiciantur, uti patet ex §. Doch sollen alle andere / so obgemelten beyden Religionen / ꝛc. item in §. *præcedent.* 2. Quòd tempore constitutionis religionis latæ, nulli Calvinistæ in Repub. Rom. fuerint. 3. In confesso etiam est, quod contra Calvinianam reformationem, mandata inhibitoria sint decreta à D. Maxil. II. & Rudolph. II. in causa der Stände einer Ehrsamen Landschafft der P. A. contra Principem tutorio nomine conventum. Interim tamen concedimus, quod & singulari & paterna affectione erga communem patriam & status Imperii, à Cæsarea Majestate tolerentur, & quòd à Statibus August. Confessionis, non quod August. Confessionem confiteantur, confirment aut approbent; verùm ut socii pacis Politicæ recipiantur, ut nolint illos propter religionem in aliquod periculum induci, quemadmodum idi-

plum

psum ex supra allegato Protestantium responso patescit, *ib.* und wiewol die Stände der Augsp. Confession verwand/ sich Gewissens und Gehorsams halber/ auch der Warheit zum Beystand/ gegen der K. M. dermassen erkläret/ so wäre doch ihr Gemüth/ Will und Meinung nicht/ den Churf. Pfaltzgraffen/ oder andere in einige Gefahr/ viel weniger aus dem Religion Frieden zustellen.

QVÆST. IX.

Vtrum tempus quadrimestre patronis ad præsentandum datum illis currat ignorantibus à tempore vacationis, an verò à tempore notitiæ?

Habet ab utraque parte & hæc quæstio suas assecias. Et quod tempus Patronis currat à tempore vacationis, probat Diez. de Mena *in suis pract. quæst. lib. 1. q. 3. idq; per c. 22. de jure Patronat. ubi plures etiam Dd. hanc in sententiam allegat.*

Verùm, contraria sententia verior est, & utriquejuri confirmior. Nam de jure Civili, quod attinet, dubium est nullum, quin præscriptio tantùm ob moram & negligentiam, non verò ob ignorantiam currat, *l. 15. §. 4. §. §. seqq. Quod vi aut clam. & l. 6. in fin. de calum. l. 8. de his, qui not. infam.* Schurf. *cent. 1. cons. 61. n. 6.* Quo pertinet vulgata illa regula, quod ignorantia propria regulariter nemini in damno esse debeat, Hyp. *in l. 3. ff. ad L. Corn. de falsis, n. 9.* Hinc annua præscriptio in actio-

actione injuriarum verbalium, à tempore scientiæ currit, Gail. *lib. 2. obs. 105. n. 1.* Sic in jure retractus, Boc. *part. 1. disp. 22. thes. 59.* *Sic in jure (an.* clarum & perspicuum habemus textum *in c. quia diversitatem, x. de conces. præb. in fin. ubi gl. & Dd. & c. 3. de suppl. neglig.* Nec probanda est ignorantia, sed præsumitur donec probetur scientia, Rol. à Vall. *cons. 68. num. 10. l. 3.* Menoch. *cons. 91. num. 51. l. 1.*

Quod ergò *c. eam te extr. de jur. Patronatus* attinet Resp. id esse intelligendum secundùm declarationem *c. diversitatis.* Nam cùm in *c. eam te,* nulla fiat mentio ignorantiæ, sed tantùm de vacatione conceptum sit, interpretatio ejus desumenda ex alio, ubi expresè distinguitur.

DISPVTATIO XIV.

DE JURE BELLI.

Resp. *Christophoro Sangero, Viennensi Austriaco.*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

PRimâ Magistratus gubernatione, nempe togatâ, peractâ, sequitur nunc altera; militaris, de quâ, cum hac tempestate omnes propemodùm universæ Europæ anguli bellum crepere & minitari videntur, instituto nostro haud alienum duximus, si præsentem calamitatem nobis ad animum revocaremus, & breviter quid de jure bellico statuendum, hisce nostris exercitationibus Politicis inseremus, & placidæ disquisitioni subjiceremus. Id

dum

dum facimus, nulli unquam vel aliquid præscribere, vel modum & formam dare, est animus.

Thesis I.

Bellum variè deducitur: Quidam existimant *Bellum* nominari à *Belo*, qui gladium ferreum primus invenisse dicitur: Quidam bellum dictum volunt per antiphrasin, *quasi minimè bellum*, quod videl. bellum nihil aliud, quàm lerna, sentina vel cumulus omnium malorum: Quidam ex eo appellatum putât, quod *bellū, id est, bonum* siquidem ad pacem habendam comparatum est: Quidam contrà, *à bellua* derivant, quod belluarum sit, se mutuo laniatu conficere, Rectiùs tamen videntur illi facere, qui bellum derivant, è græco nomine βέλος, quod telum significat, bellum enim telis geritur, Bocer. *tract. de bell. cap. 3.* Conan. *lib. 9. Comment. jur civil. c. 5. n. 1.*

2. Definitur bellum: *Contrariorum duorum publicorum exercituum, justa ac prudenter à Magistratu, pacis retinendæ vel consequendæ causâ, indicta contentio, vide* Obrecht. *in disp. de bell.* Althus. *c. 29.* Boc. *lib. 1. de jur. bell. c. 1. qui aliter definiunt.*

3. Per exercitum hoc loco excludimus duellum. Est enim *duellum* pugna duarum partium, citra belli formam dimicantium. Idque si duo tantùm manus conserant, dicitur in specie *Monomachia seu singulare certamen.* Non ergò tantùm duellum est, si duo duntaxat pugnent; verùm etiam si plures sint ab utraque parte, qui pugnam commit-

committunt, Cagnol. *in l.* 125. *n.* 16. *ff. de R. Jur.* Vasq. *l.* 1. *controv. illustr. c.* 11. *n.* 34. Dictum ergo duellum est, non quasi duorum hominum & solius cum solo, sed duarum partium bellum, *Plura vide apud* Bocer. *lib.* 11. *de duell. c.* 2.

4. In hoc ergò differunt bellum & duellum, quod bellum sit pugna duorum publicorum exercituum; justâ de causâ legitimè indictâ: Duellum verò duorum vel plurium tantum hominum etiam privatorum & non legitimè indicta concertatio.

5. Exercitus in jure nostro infinitum militum numerum complectitur. Idque non tantùm colligitur ex ipsa militis notatione, quâ miles dicitur, quasi millesimus quisque, *l.* 1. §. *ult. ff. de test. milit.* verùm etiam id satis luculenter apparet, *ex l.* 2. §. 1. *de his, qui not. infam. Vbi Dd. & gl.* addit: *in exercitu esse legiones sex, legionem autem habere septem millia, & centum pedites, & septingentos triginta equites.* Verùm si hodiernam consuetudinem intueamur, non tantam multitudinem ad exercitum constituendum requirimus.

6. Porrò publica exercituum contentio bellũ sit oportet: Nam bellum non est rixa sive pugna vel inimicitia hominum privatorum Alciat. *ad l.* 234. *de V.S.* utpote nec latronum & piratarum, *l.* 118. *de R. I. & l.* 24. *de captiv. & postl.* uti neque seditio sive rebellio, quæ est subditorum in Magistratum, belli nomen meretur, vel quæ est Magistratus in subditos propter contemptum juriſdictio-

risdictionis executio bellum dicitur, *l.68.de R.V.* Cov. *in c.peccatum.p.2.relict.* §.9.*n.4.* & §.1.*n.3.* Gail. *2.de* P.P. *c.17.n.29.* Aliud enim civilis dissensio: & aliud bellum, *l.21.* §. *ult.de capt.* & *postlim.reversi.* Sic bellum vocari non potest, quod superiori seculo à Müncero motum, sed rebellio fuit. Hinc ad dissensiones civiles compescendas utitur Imperator mandatis avocatoriis, quibus qui non paret, in pœnam banni aliasque juris commmunis pœnas, ut seditiosus declaratur Gail. *passim.de* P.P. & Sixtin. *lib.2.c.1.n.21.* & ut seditiosum deprimat, adhibet Imp. vicinos Principes & vicinorum circulorum seu provinciarum præsides in auxilium. *Const. Carol. de* P.P. & *Sixtin.tit.* von Mandaten des Cammer-Gerichts wider die Friedbrecher / & Ord. Cam. *p.2.tit.* und ob sich / &c. *cum* §. *seq.*

7. Præterea duo contrarii exercitus bellum constituunt. Nam unius partis exercitus bellum non est. Et quidem malitia sed non bellum. Utriusque igitur hostis exercitus, præsertim cùm invicem telis confligunt bellum constituunt.

8. Causæ belli considerari possunt quatuor: *Efficiens, materia, forma, finis.*

9. *Efficiens* belli causa dupliciter consideratur, ut *Principalis & impulsiva.*

10. *Efficiens belli principalis* est regulariter summus Magistratus, utpote est in Imp. nostro.

Impe-

Imperator. Olim quidem ante L. Regiam, Pop. Rom. jus indicendi belli habuit, *l. 24. ff. de capt. & postlim. reversf. & l. 118. de V. S.* Sed quia post. modum lege Regia Pop. Rom. omne suum Imperium & potestatem Imperatori concessit, *§. 6. Inst. de I. N. G. & C. & l. 1. ff. de constit. Prin.* Cœpit jus belli indicendi soli Imperatori competere, quod adeò cohærere dicitur Majestati, ut nullo modo ab ea divelli queat, *cap. 10. dist. 1. l. un. C. ut arm. us. inse. princip.* Bocer. *l. 1. de Bell. c. 4.* Paurm. *de jurisd. c. 3. n. 21.* Matthias Steph. *c. 1.* Arnis. *de jur. Majest. lib. 2. c. 5. n. 10.* Hinc lex Julia Majestatis eum tenet, qui injussu Principis bellum gerit, *l. 3. ad L. Jul. Majest.* Gail. 1. *de P. P. c. 4. n. 9.* Obrecht. *disp. de Bell. thes. 173.* quamvis cum utilitate fuerit susceptum, *arg. l. 3. §. 15. de re milit.* Matth. Steph. *de jurisd. l. 2. p. 1. m. 2. n. 53.* Quamvis hodiè idipsum aliquo modo limitatum reperimus, Nam hodiè Imp. per ll. Imperii, non solus, sed ordines etiam de bello inferendo statuunt, Heig *lib. 1. q. 12. n. 29.*

11. Privati ergo Principes inferiores, cùm jus suum apud superiorem persequi possunt, ad judicium Martis regulariter decurrere non debent, *l. 13. quod metus causa, & l. 14. de Juda.* Bocer. *l. 2. c. 7.* Heig. *p. 1. q. 12. n. 3.* Anton. Quet. *cons. 6. n. 6.* Dan. *Polit. lib. 7. c. 3.* Ad arma & rixam Prætor procedere non patitur, quos sua potest componere jurisdictione. *Vide* Born. *de fund. Reipub. stat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0682
DFG

stat. c. 25. Unde etiam ll. Romanæ pro latrocinio & non bello reputant, quod non ab ipso Populo Rom. indictum, *l. 118. de V. S. & l. 24. de captiv. & postlim. revers.* Hinc salutaris illa constitutio pacis publicæ orta, quæ sic habet: Daß niemand hinführo/ was Würden Standes oder Wesens der sey/ umb keinerley Ursach willen/ wie die Namen haben möchten/ den andern befehden/ bekriegen/ berauben/ fahen/ überziehen/ belägern/ ꝛc. *Ord. pr. 2. tit. 15. Vide passim recessus Imperii & imprimis confirmationem de An. 1555. latam.* Nisi observarint formam in Constitutionibus Imperii hinc inde expressam.

12. Dictum est regulariter Status Imperii Rom. ad judicium Martis decurrere propria auctoritate non posse. Sunt enim aliqui casus, in quibus, inconsulto Imperatore bellum suscipere Principes & Status Imperii, adversus hostes possunt, utpote. 1. Si periculum est subitum & dilationem nullam admittit. *l. 7. §. 3. ff. Quod vi aut clam.* 2. Si Imperatoris copia haberi non potest, & res ulteriorem moram absque incommodo non patitur. Ubi n. judicum copia haberi non potest, licitum est nobis jus dicere, *l. 10. §. 16. Quæ in fraudem credit.* Si Imperator sui muneris immemor, moratoria & delusoria procrastinatione aliquem lactaret. Nam & tunc non expectato Imperatoris jussu arma sunt sumenda. 4. Si Magistratus superior manifestam exercet tyranni-

dem, tunc quia sua suorumque defensio est licita, etiam ipsimet magistratui resistere licitum est, *l. 5. C. d jur. fisci.*

13. Et quod diximus de Statibus Imp. idem etiam affirmandum de nobilitate libera, die freye Ritterschafft in Schwaben / Francken und Rheinlanden. Item de Collegiis, quæ in Imperio conventione publica, secundùm *Aur. Bull.* præscriptum, *tit.* von Zusammen-Verbündniß / vel temporis immemorialis præscriptione coaluerunt, qualis est societas fœderis Suevici, Smalcaldici, &c. *de quibus* Warem. ab Ernb. *de feud. c. 1. n. 39. & seqq.*

14. Causa impulsiva, ex qua licitè bellum geritur, distingui potest in generalem, quæ est inevitabilis necessitas: & specialem, quales sunt. 1. Sui suorumque defensio, *c. 1. & 2. C. 23. q. 2. l. 3. §. 9. ff. de vi vi armat. l. 3. de just. & jur.* Gail. 1. §. *de* P. P. *c. 4. n. 40.* Bocer. *l. 1. c. 6.* Nam qui injuriæ non resistit, cùm possit, æquè est in vitio, quàm qui facit, *c. 7. C. 23. q. 3. & c. 11. caus. 23. q. 8.* Defensionis ergò causa rectè suscipitur bellum non modo justum & omni jure licitum, verùm etiam omnino necessarium. Huc pertinet defensio nostrorum bonorum, item patriæ, libertatis, pacis & tranquillitatis, item veræ religionis, &c. Schönborn. *lib. 6.* Pol. *c. 3.* Bocer. *l. 1. ff. de bell. c. 5.* 2. Est sociorum ab aliis expressorum liberatio. Socios enim ut juvemus, ipsa fides & religio pactorum jubet, quin imò jus naturæ idipsum suadet,

det, quæ cognationem quandam inter homines constituit, *l.3.ff.de I.& I.adde l.50.l.109.de R.Jur. l.2.§.5. vers.quanquam de aq.pluv.arcend. l.6.in in fin.ff.de re milit.c.non inferenda,27.q.3.& c.dilecto,6.de sentent.excom.in 6.* 3. Est vi rerum ablatarum, nec juris via recuperatarum repetitio, Lipſ.*l.5.Pol.c.4.* Dixi, nec juris via recuperatarum. Nam si aliunde, quàm bello medicina supereſt, bello renunciandum, Heig.*q.12.p.1.n.41.* Invasio enim nulla licita, nisi spes in solis armis relicta, Liv.*l.9.* 4. Est fœderum & pactorum ab altera parte violatio, Bocer.*d,tr.l.1.c.5.* Althus. *d.l.& Dan.l.6.Pol.*

15. Quòd si verò nocendi cupiditas & rebellandi feritas, & si quæ alia sunt, bellum extorserint, tantùm abeſt, ut dicatur legitimũ, quin imò, omni jure potiùs deteſtandũ *c.4.(.23.q.1.* Nõ et, iñeritò notã reprehenſionis incurrunt illi, quos avaritiæ & ambitionis fervor ad bellum vocat, quo nomine Alexandrum taxarunt Scythæ, dicentes: *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu orientem, & altera occidentem attingeres,* Patric. *de Instit.reipubl.lib.9. t.1.* Sic solam infidelitatem justam inferendi belli causam non esse defendemus, aliud v.est, si ab illis lacessiti fuerimus, vel non quietè & pacatè vixerint, *c.dispar. 23.q.8.& l.6.ib. Judæis & Paganis. C. de paganis.* Sic justa belli gerendi causa non est violatio legis

naturæ, ut quòd infideles comedant carnes humanas & promiscuo utantur concubitu. Uti contra aliorum sententiam ostendit & probat, Covar. *in c. peccatum, de R. I. in 6.* Vasq. *illustr. lib. 1. quæst. 24.* Obrecht. *p. 1. de Bell. thes. 237. & seqq.*

16. Cum ideoque cura belli sit ardua, molesta, copiosa, ut ipsa ratio dictitat & res clamitat, justissimè facit Imper. noster, quòd non per se, sed adhibito procerum consilio & sapientium auctoritate, bellum definiat, & indicet. Idem fecit Ezechias, cum intelligeret Imperium Regis Assyriorum in populum Israel verti, cum proceribus suis, virisque fortissimis priùs consilium inivit & feliciter ei bellum cessit. 2. *Reg.* 19. 1. At Josias, etsi pius alioquin Princeps; verùm, quia temerè, & non necessarium suscepisset bellum, à Deo mulctatus fuit, 2. *Par. c. 35.* 20. Malè quoque cessit Roboam, qui relicto senum consilio, coætaneorum temeritati acquievit, *1. Reg. 2. 13.*

17. Materia belli consistit in instrumentis mediis necessariis, quorum præcipuum est pecunia, per quam omnia, quæ ad bellum gerendum sunt necessaria, comparari possunt. Frustra bellum cogitat, quem nervus rerum gerendarum deficit. Sapientis proinde est Principis, in tempore de præparatoriis esse solicitum exemplo Philippi Macædonis, qui debellaturus Persas, totum biennium in apparatu fuit occupatissimus, *Dn.* de La Nove *disc. 22. p. 530.*

18. Huic

18. Huic est proxima provisio commeatus seu annonæ & rei frumentariæ. *Vnde* Veget. *lib.* 3. *de re milit.* 3. ait. *Hoc unum & maximum sit consilium, ut tibi sufficiat victus, hostes frangat inedia: reliquis enim casibus omnibus in tempore potest subveniri, at pabulatio & annona in necessitate remedium non habet, nisi ante conditum.*

19. Tertio succedunt arma. Nam quia nemo sine armis vel repellit hostem, vel resistit invadenti, adeò sunt necessaria, ut quemadmodum apis amisso aculeo, aper dente, taurus cornu torpet; ita miles sine armis. Unde providentissimè agunt Principes, si tempore pacis armamentarium instructissimum sibi comparent.

20. Quartò pertinet huc cura Ducis & militum. Nam si bellum gerendum, videndum omninò est, quem exercitui tuo præficere velis. In quo ante omnia requiritur, ut pietati studeat, nihilque nisi Dei Opt. Max. numine priùs exorato attentet & firmissimè credat, quod à Deo sit victoria, sapientia & claritas. Certum enim est, inquit Florus *lib.* 2. *c.* 6. de Scipione loquens, ad profligandam provinciam maximè profeciſſe singularem Ducis sanctitatem. Quam ob causam summis laudibus sunt evehendi Christiani Principes, quod sacerdotes & viros doctos & pios secum in bellum abducant. *Deinde* Dux belli, rei militaris scientia sit instructissimus, quam habebit, si aliquot vicibus se in

bellis exercuerit, & adversam & dubiam fortunam subierit, item si varias gentium naturas peregrinando cognoverit, veluti Hispanos, ad subitas irruptiones & hostem fugientem pronos, Italos ad occupandos muros paratos, Gallos & Belgas ad insidias & stratagemata aptos, Germanos ad sustinendos aperto Marte hostium impetus. *Tertiò*, sit historiarum & veterum & recentiorum peritissimus. Crebram enim historicorum evolutionem multum ad bella feliciter gerenda conferre notiùs est, quàm ut demonstrari debeat. Alphonsus enim Rex gloriari solebat, se arma & armorum jura ex Historicorum libris didicisse, quo nomine etiam extollitur Galliæ Rex Franciscus, quòd omnes majorum historias ad unguem sciverit. *Quartò*, sit probatæ fidei & talis, cui quis se suumque exercitum tutò committere possit.

21. Milites, quod attinet, refert, accuratissimam habeamus scientiam, qui conscribendi, quomodo perlustrandi, item quomodo recipiendi, in certos ordines distribuendi, collocandi & gubernandi.

22. Conscribi autem non omnes indifferenter possunt. Prohibentur enim quidam, utpote Clerici. Nemo enim inquit Apostolus militans Deo potest se implicare negotiis secularibus; *2. Tim. 2. 4. & Tit. 1.* & taliter militans amittit gradum & fit irregularis, *c. 5. C. 2. 3. q. 8.* Item ad numerum prohibitorum referuntur infames & ser-

& servilis abjectiqúe ingenii homines; *l.4.§.7.de re milit.l.2.§.3. De his, qui not.infam.l.11.ff.de re milit.* Item qui ad bestias damnati vel in insulam deportati sunt, *l.4.§.1.de re milit.* Item Colonos ad arma ab aratro transferri non debere, expeditum est, *l.19.C.de agric. & censit.l.fin. C.de manc.ip*, nisi qui absque jactura agriculturæ militare possunt. Bocer. *d.l.*

23. Porrò muliebria quia tractant, à Castris lõgè dispellimus. Adsuetus n. voluptatem degenerat à robore ac virtute militum. Potius fabros, serarios, carpentarios & aprorum venatores commendamus. It. cõmendantur populi potissimùm septentrionales & imprimis nostri Germani. Sint ætate vegeta & alacri, Frider. Imp. §. *constitutionum, de qualit. & ætat. pugn. in usib. feud.* de duello agens constituit, ne sexaginta annis major & viginti quinque minor teneatur per se ipsum pugnare. Et Moyses tenebatur omnes Israelitas vigesimum ætatis annum excedentes militiæ adadscribere, *Num.*1.

24. Hoc probè annotandum, ne externis potiùs, quàm propriis militemus copiis. Auxiliares enim ex diversis locis, nec disciplina inter se nec affectione consentiunt, Franc. Patric. *l.9.de Rep.tit.3.* Si tn. iis necessitate suadẽte utendũ, prospiciendum omninò priùs est, utrũ sint probatæ fidei & tales, quibus se suosq; tutò cõmittere Magistratus possit. Quâ in re cautè agendum, si cum quibusdam fœdus pangat, ut habeat fidos & tutos, ne sentiat id, quod olim Imperator Valens.

Is enim cum Gothos in Thraciam secedere permisisset atque omnes ferè stipendiarios milites sibi feciſſet, ut rebelles & finitimos vinceret, tandem illi Imperium occidentale invaserunt & orientale deprædarunt.

25. Lustrantur & probantur milites ab his, qui probandi jus habent, *l. 1. C. qui mil. poss.* Hodiè actum quem vocant militum probatorium, die Musterung/ expediunt Commissarii militares, quos omnia pro sapientia & dignitate oportet præcognoscere atque idoneos in militiam adsciscere, ineptos rejicere, Schonb. *d. l. c. 13.* Boc. *l. c. 9.*

26. Milites, probatoria facta, Jusjurandum præstare tenentur, *l. 13. §. ib. sacramento, ff. de re milit. & l. 11. in pr. ib. si non sacramenti fide, ff. de test. milit.* Jurant itaque, se omnia strenuè, quæ præceperit Imperator, facturos, & nunquam deserturos militiam pro Rom. Repub. *Polyb. lib. 6. (inc. lib. 5. de re milit.* Liv. *l. 22.*

27. Olim probati & jurati milites cingebantur. *l. 25. & l. 38. §. 1. & l. pen. ff. de test. milit.* Et non tantùm Equites, ut quidam volunt, verùm & pedites idque propter generalitatem textus *in d. ll. quibus adde, l. 2. §. 2. ff. de his, qui not. infam.* Nam antequam cingerentur, militare testamentum facere non potuerunt, *d. l. 25. & l. 38.* Erat autem Cingluum militare zona, quâ ensis, qui dabatur, accingi solebat *gl. in l. 45. ff. ex quibus caus. maj.* Atque cingulum illud

illud cum enſe ſive gladio erat inſigne militaris ordinis, adeò ut detracto illo, milites exauctorati dicebantur, *d.l.2. §. 2. verſ. ſed etſi, ff. de his, qui not. infam.*

28. Hodiè pro cinctis & inſignitis habentur, quando certò armorum genere inſtructi ſunt, licet cingulum ipſis nullum imponatur. Ex veteri cingendorum militum more, originem ſuam traxiſſe teſtatur, *Bocer. d.l.* quòd hodie Principes & Nobiles ſuis miniſtris & aliis, perfectæ ætatis hominibus jus geſtandi gladii concedant. Daß ſie dieſelbe wehrhafftig machen. Nam quòd iſtiuſmodi hominibus maxilla percutiatur, ex veteri more cingendi originem ſumpſit, militis enim maxilla percutiebatur, in ſignum ſuſtinendi futuri mali *ut tradit.* Bald. *in l. 1. §. 1. ff. de teſt. milit.*

29. Quam primùm miles cinctus vel hodiè certo ſuo armorum genere eſt inſtructus, in certum ordinem refertur. Unde rurſum varia militum officia reſultant. Quorundam enim militum officium vel totum concernit exercitum, vel ad partem tantum exercitus ſpectat.

30. Officiarii reſpectu totius exercitus ſunt: 1. Dux belli, der Feldherr oder Feldoberſte. 2. Illius Vicarius ſeu Legatus, der General oberſte Leutenandt. 3. Supremus rei armamentariæ præfectus, der oberſte Zeug oder Artollereymeiſter. 4. Supremus excubiarum præfectus, der ober-Wachtmeiſter. 5. Supremus metator atque men-

mensor, der oberste Quartiermeister. 6. Supremus quæstor, der oberste Pfenningsmeister. 7. Supremus annonæ præfectus, der oberste Proviandmeister. 8. Supremus rerum capit. præfectus, der oberste Feldprofoß / quibus adduntur. Capellanus, Medicus, Secretarius, scriba, fecialis, custodes, lictores.

31. Officiarii respectu alicujus cohortis, vel regiminis sunt rursum generales, vel speciales.

32. Generales respectu regiminis equitum sunt: Magister Equitum der Feldmarschalck / & illius vicarius Leutenand.

33. Speciali officio in hoc Equitum regimine funguntur. 1. Præfecti Equitum, Befelchshaber über die Reuterey. 2. Equestris metator & mensor, der Reysigen Quartiermeister. 3. Præfectus excubiarum, Wachtmeister. 4. Prætor, der Reuter Profoß / &c. quibus junguntur: Capellanus, Medicus, Scriba Tubicines.

34. Generales regiminis peditum sunt: Magister peditum Befelchshaber über das Fußvolck. Et vicarius illius, sein Leutenand.

35. Speciales in regimine peditum sunt. 1. Tribuni peditum, die Zunfftmeister. 2. Decuriones, die Rottmeister. 3. Judex generalis peditum, der Regiment Schultheiß. 4. Præfectus vigilum, der Wachtmeister. 5. Pedestris annonæ instructor, Proviantmeister. 6. Metator pedestris, Quartiermeister. 7. Executor rerum capitalium, Profoß. 8. Lixarum atque calonum ductor

ductor, über den verlornen Hauffen/ Huren-Webel : quibus adde Capellanum; Medicum, Viatorem, Custodes carceris, lictores.

36. Ad armamentarium pertinent. 1. Quæstor armamentarius, Zahlmeister. 2. Aggeribus struendis præpositus, der Schantzmeister. 3. Quæstor rei armamentariæ, der Artolorey-Profoß. 4. Custos rei armamentariæ, der Zeugwarter. 5. Aurigarum præpositus, der Geschirrmeister. 6. Vehiculorum præfectus, der Wagenmeister. 7. Pontium Magister der Brückenmeister. 8. Fossorum & cuniculariorum præpositus, der Schantzbauren Hauptman. 9. Der Büchsenmeister. 10. Pulveris custos, &c.

37. Causa conservans militum est partim liberalis solutio stipendiorum; quæ apud veteres certa erant: Hodiè verò non fixum habent milites stipendium, sed pro personarum qualitate, nunc augetur, nunc minuitur: partim est severa legum militarium executio, secundam normam justitiæ, quæ bonis præmia, malis pœnam decernit.

38. Præmia militum quod attinet, sunt variæ. Et spectant vel solùm eorum honorem & decus, ut laudatio, Nobilitas, Coronæ, statuæ, &c. vel ad utilitatem, ut sunt prædæ, torques, phaleræ, amicitiæ, hastæ, &c. Vel in jure consistunt, & sic concernunt, vel actus inter vivos, vel eorum ultimas voluntates.

39. Quæ ad privilegia inter vivos referuntur, sunt

sunt hæc præcipua 1. Si quid damni milites patiuntur, dum absunt, restitutionem habent, *l. 2. & 3. t. C. de restit. milit. & l. 15. C. ad L. Jul. de adult.* 2. Res militates feriatis etiam diebus in judicio peragi possunt, *l. 9 ff. de fer. l. 12. de pub. jud.* 3. Non coguntur inviti testimonium dare, *l. 8. de testibus.* quod verum, si evocati testimonium ferre debent, non verò, si ad eos mittatur, tunc enim recusare non possunt. 4. Milites ob omissas professiones, in pœnam commissi non incidunt, si postea portorium solvant, *l. 3. C. de vectigal. 5.* Milites, quæ focariis vel concubinis suis donarunt, revocare possunt, *l. 2. C. de donat. inter vir. & uxor.* 6. Hæreditatem adituris solennitates & subtilitates circa inventarii confectionem remissæ sunt, *l. ult. C. de jur. del.* 7. Eos excusat juris ignorantia, *l. 1. ff. de jur. & fact. ignorant.* 8. Non amplius, quam facere possunt, solvere coguntur, *l. 6. in pr. & ibid. Dd. comm. l. 18. de re judic.* 9. Arma militum pignoris causâ adimi & alienari nequeunt *l. 3. §. 13. & l. 14. §. 1. de re milit.* 10. Milites filiifamil. in castrensi peculio sui juris habentur *l. ult. in fin. C. ad SCtum Macedon.* 11. Milites eorumque liberi tormentis non subjiciuntur, *l. 8. C. de quæst. & l. 5. de pœn. & l. 4. C. Ad L. Jul. majest.* 12. Sunt immunes à muneribus, *l. 3. §. 1. ff. de mun. & l. 10. §. 2. ff. de vacat. mun. l. 2. C. de re mil.* 13. Conventi tam in civilibus, quàm criminalibus non alibi, quàm coram suis ducibus conveniuntur, *l. fin. C. de re milit.*

40. Pri-

40. Privilegia circa ultimas voluntates sunt hæc, 1. Milites liberam testandi factionem habent, hoc est, quomodo velint, testari possunt, *l.15.§.1.& l.24.& l.28.& l.34. cum l.seqq. & l.40. in pr. de test.milit.& l.13.14.15. C. & t.t. Inst.eod.* 2. Militari jure & surdus & mutus testamentum facere potest, *l.4.C. de milit.test.* 3. Si quid in vagina & clypeo literis sanguine suo rutilantibus annotaverit, aut in pulvere gladio suo inscripserit, sub isto tempore, quo in prælio vitæ sortem dereliquit, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet, *l.15.C.h.t.* 3. Et licet ad tempus hæredem scripserit, vel alium post tempus, vel ex conditione hæredem fecerit, attamen ejus elogium est servandum, *l.15.§.4.& l.19.§.ult.h.t.& l.8.C. eod.*

41. Pœnarum severitas in bello semper major fuit, quàm in pace. Sic Tiberius ob Pavonem, attestante Sueton. *in Tib.* & Car. Burg. Dux ob gallinæ, aviculæ subtractionem, furca necari milites jussit, ne videl. eos, quos defendere deberent, ipsi spoliarent.

42. Pœna delinquentium militum varia est. Quædam cum paganis communes, utpote, quæ oriuntur, ex stupro, adulterio, furto, &c. Quædam sunt propriæ militum, quæ ex militari delicto quod quidam ut miles & aliter, quàm disciplina militaris exigit, admisit, imponi solent. Et sunt vel leviores, ut mulctæ pecuniariæ, vel alioquin modicæ corporis castigationes;

vel

vel graviores, tam capitales, quam infamia & exautoratio.

43. Judicium militare quadruplex solet constitui. 1. Ordinarium: secundo in hastâ criminali, das Spießgerichte. tertio Judicium statarium, das Standtgerichte. 4. Camerale, ein Cammergericht.

44. Ad judicium ordinarium, requiritur Schultetus, qui præstito juramento, duodecim ut plurimum seligit adsessores, item judicii scribam & viatorem. Gerichtschreiber und Webel/ die statuto judicio punctim ad horam octavam sub dio peragitur: & conceditur tam actori quàm reo, ut quendam ex his duodecim, si velit, nominet, qui causæ suæ patrocinetur, & ne cuiquam defensio, quæ naturalis est, adimatur, nec inauditus morte condemnetur, ter idem repetitur judicium.

45. In hastato criminali: Si quis contra unum vel alterum militarem articulum peccat, die juridico universus convocatur exercitus. Und wird der Verbrecher dargestelt / und endlich auff vorhergehendes Vrtheil und Recht durch die Spiesse gejagt/ da unterdessen all Fendrich/ so gegenwertig/ ihre Fahnen-Spitzen in die Erden stecken / biß das Vrtheil ergangen.

46. Judicium statarium das Standrecht in causis notoriis locum habet. Et sicut duo priora tribus diebus, ita hoc uno tantùm instituitur & peragitur. In diesem wird keinem Vbelthäter

thäter Auffschub geben/ als wie in den andern gestattet / sondern wo der Articuls-Brieff gebrochen / wird er ohn alle Gnade an einen Baum gehenckt/und die Vrsach seines Todts auff ein Zettel geschrieben und auff die Brust gegen das Hertz geheffter.

47. Quòd si causa capitalis non sit, judicium Camerale locum habet. Obrecht. *de re Milit.* Et Andreas Reuter/ in seiner Kriegs Ordnung.

48. Ad belli formam referimus. 1. Magistratus bellum susceperturus ardentibus precibus Deum invocet, ut ipsi felicem successum & eventum prosperum largiri velit 2. Instituat maturam deliberationem cum viris prudentibus & rei militaris peritis, de mediis ad bellum necessariis, de viribus & copiâ hostium, de auxiliis, quæ hinc & inde haberi possunt, de casibus & eventibus dubiis, ut quantum fieri potest, omnem fortunam adversam declinare & evitare possit. 3. Fiat belli denunciatio, quæ clarigatio seu indictio dicitur & adeò necessaria est, ut sine ea, neq; aperto Marti locus sit, Bocer. *l.* 1. *c.* 6.

49. Ritus indicendi belli apud antiquos varii fuerunt, Carthaginenses Romanos petituri bello, hastam Romanam mittebant, Cæl. *lib.* 21. *antiq. lect. c.* 16. Quam etiam Romanos priscis Latinis indicturos misisse, testatur Liv. *l.* 1. Halyc. *l.* 2. Hodiè plerumque duobus modis clarigatio fieri solet: vel per fecialem, qui est minister publi-

publicus & præco, quem mittit magistratus ad bellum hosti denunciandum, qui jure legatorum fruitur & violari nequit, dicitur etiam pater patratus & Germanis ein Heroldt/ vel per literas clarigationis, quæ per puerum mitti solent, & dicuntur germ. Feind- oder Absag-Brieff.

50. Exigit autem jus feciale duo, ut pote. Denunciationem & diffidationem. Denunciatio. Ut per fecialem adhuc semel denunciet, ut præstet, quod debet. Diffidatio. Si denunciatio facta, præstare nolit adversarius, bellum ipsi indicatur.

51. Atque ut bellum sic legitimè indictum optimè exequatur, respiciendum est, & ad castrorum metationem & ad perfectam exercitus gubernationem, *de quibus vide* Robert. Flud. *l. 3. de Exercit. ord. in* Camp. Daniel Speckelius, *in Architect.* Barthol. Pitiscus *problemat. architectonicorum, &c.*

52. Finis belli est victoria, eamque subsequitur pax aurea, Victoria Deo est adscribenda, non verò superbius & incautius mentes humanæ efferendæ. Eâ ergo cautè & leniter ac moderatè utendum & cogitandum, rerum humanarum circulum esse quendam, qui non sinat eosdem semper esse felices, fortunamque vitream & mutabilem.

53. Inter effectus belli, numerantur vastationes, incendia, rapinæ, captivitas, &c.

54. Dividitur Bellum à causis impellentibus in defensivum & offensivum. Reliquas belli species,

cies, quia nec generi consentaneæ sunt neque inter se dissentaneæ, hic rejicimus.

Et tantum de Præceptis.

QVÆST. I.

Vtrum duellum judiciale sit licitum?

Rectissimè olim duellum in judiciale & extrajudiciale dividebatur, Et quidem judiciale duellum illud erat, quod auctoritate judicis, vel in causis maximè controversis vel deficientibus plenis probationibus, litigatores ad indagandam veritatem iniêrunt, ut qui cedat vel succumbat, ejus causa inferior sit. Cujusmodi duellum sub Othone primo prope Trevirim nepos cum patruo, de legitimarum hæreditatum jure habuit, uti notat Cuj. *in cap. un. tit. de succeff. feud. in usib. feud.* Hott. *libr. quæst. illustr. q.* 3. Tiraq. *de jur. primog. q.* 40.

Verùm quamvis hoc usu receptum fuit in aliquib. locis: Hodiè tamen omni jure rectissimè est prohibitum: Jure divino. 1. Quia per tale duellum tentatur Deus, quæritur enim in hoc, ut Deus, eâ pugnâ manifestum reddat per victoriam, utra pars justam foveat causam, 22. C. 2. *q.* 5. *& c. ult. ext. de purgat. vulg.* 2. Quia est inventum Diaboli, *cap consuluisti. 2. q.* 5. 3. Sæpè damnatur sic innocens, *cap. quæritur. 22. q.* 2. *& c.* 2. *extr. de purgat. vulg.* 4. Quia homicidū est prohibitum jure divino, Ergo & medium tale, quo homicidium perpetratur, 5. Quia à charitate proximi omnino alienum, tendit enim duellans ad

hoc ut necet. De jure Canonico est etiam res veriſſima, uti idipſum ratis apparet ex ſupra allegatis capitulis. Prætereà & jure gentium prohibitum eſſe non eſt difficile oſtendere. Repugnat enim naturali æquitati, ſuper qua jus gentium eſt fundatum. Siquidem æquitas id unicè vult, ut puniantur facinoroſi & abſolvantur innocentes, quod tamen non ſemper fit in duello, ſed contra evenit, ut vincat is, qui malem fovet cauſam præterea jure civili omninò ſunt prohibita iſtiusmodi duella, *l. un. C. de gladiat. & l. un. C. ut arm. uſ. inſc. princ. ſit interd.* In criminalibus jus civile probationes requirit luce meridiana clariores, *l. ult. C. de probat.* Deinde actore non probante reus abſolvitur, *l. 4. C. de edend.* Plura *vide apud* Boc. *libr. 2. de Duello c. 2.*

QVÆST. II.

Vtrum duella, quæ directè ob bonum publicum committuntur ſint conceſſa?

Extra judiciale duellum eſt, quod citra judicis auctoritatem ipſæ partes capeſſunt. Rurſum 2. aut ob bonum publicum, patriæ & Eccleſiæ ſalutem; aut citra boni publici finem ſuſcipitur. De illo hoc loco quæritur, ſi videlicet Princeps, Comes, Baro, Nobilis, pro tutela ſui Principatus, Comitatus, Baronatus, Domini, &c. cum alio Principe, Comite, Barone, &c. à quo bello petitur, ſuſcipit, ita, ut duelli pugna ipſi ſoli certantes, exercitu ſemoto contentionem & controverſiam finiant. Cujuſmodi duellum fuit inter

Davi-

David.& Goliath.1.Sam.17.Item inter Carolum Andagevensem,& Petrum Tarraconensem, qui cum de Insula Siciliæ diu bellum gessissent, tandem armis concurrere pacti sunt,& Jurejurando sanxerunt,uter victus esset, Insulâ decederet, nec amplius ea de re controversiam faceret : Simile exemplum est illud duorum fratrum Hungariæ, quæ inferior Pannonia est, Bocer. *de Duell.c.3.* Et quamvis istiusmodi duellum de jure concessum sit,ut probat. *Vasq.l.1.controv. illustr.c.49. per tot.cap.fortitudo,ib.domi,&c. & cap.ab Imperatorib.23.q.3.* Cagnold.*l.148.n.17. de R.I.&* Alciat.*lib.de Singulari certamine.cap.3.* Interim tamen non semper conducit.Nam cùm plerumque in tali certamine vincat exercitatior & robustior,& salis Reipublicæ in periculum maximum inducatur, memini viro verti potest, quod provocanti non compareat. Et idcircò magis est laudandus Carolus V. quod Francisco Galliarum Regi non comparuit,Schleid.l.6.p.12.

QVÆST. III.

Vtrum duellum, quo aliquis torneamentis, hastiludiis & pugilationibus se exercet & ad militias se præparat,sit licitum:

Istiusmodi duellum, quo quis se ad corporis & animi sui vires torneamentis, hastiludiis vel pugilationibus ad militias , vel ad sui ipsius futurorum defensionem , exercendo se suscipit , quia ob consequens bonum publicum suscipitur, non tantum est concessum,

§.4.ff.ad L. Aq. & l. 15. C. de re milit. Verùm et. præmio dignum, l.5 C. Quæ res pign. obl. & l. 40.ff.de re jud. & l 6 9.13.ff.de excuſ.tut. & l.un. C. de athletis, idque adeò verum, ut ſi quis alium ſic interfecerit, aut vulnerârit, non puniatur, niſi id ex odio, dolo vel culpâ fecerit, l.7 §.4.ff.ad L. Aquil. Cùm verò ex odio, dolo vel culpâ id factum eſſe non præſumatur, contrarium probari debet, Boc. d.l. c.4. & 5.

QVÆST. IV.

Vtrum defendendi honoris ergo, ipſum injuriantem ad duellum quiſpiam provocare poſſit, & & contumelioſis verbis provocatus comparere teneatur?

Pro quæſtionis affirmativâ pugnant Baldus ad tit. de pace tenenda in pr. n.16. inuſib. feud. Jul. Clar. lib. quinto ſententiarum, §. homicidium, n. 26. Franciſc. Curt. Jun. n.4.5. & 6. conſ. 102. ſub tom. 2. conſilior. crimin. opera Joh. Bapt. collect. Cephal. conſ. 57. n. 5. 6. Et moventur hoc fundamento: Quòd crudelis ſit & dicatur, qui famam ſuam negligit, cap. nolo 12. q. 1. Et non minor ſit infamiæ timor, quam mortis, l. 8. penult. ff. quod metus cauſa: Atqui fama & vita paribus paſſibus ambulant, l. 9. ubi gl. ff. de manumiſſ. vindicta. Ergo ſicuti vitam armis defendere licet contra vim, ita & armis licet defendere honorem contra illatam injuriam.

Verùm contraria ſententia eſt verior. Nam idcir-

idcircò judiciorum jurisq; publici tutela in medio est constituta, ne quisquam sibiipsi permittere valeat ultionem. *l.* 14. C. *de Judæis.* Et quod Magistratus sua componere jurisdictione, eos ad arma & rixam procedere pati non debet, *l.* 13. §. 13. *ff. de usufr. & quemadmodum quis ut fr.* Si quis ergo injuriam ab aliquo accepit, sive in rebus sive in persona, is ignorare non debet, latas esse leges huic rei consulentes & constitutos esse Magistratus, quorum auxilio injuria illata vindicanda. Nunquam enim, vel rarò quieta & tranquilla esset Respublica, si quoties, quis injuriâ oneratur, integrum illi fuerit, provocare injuriantem ad arma & cum eo in arenam descendere. Cùm autem eò spectent leges, & jura nostra hoc velint, ut Respublica hominumque vita sit quieta atque tranquilla, nullo modo permittitur ei, qui verbali injuria affectus est, ut injuriantem ad arma provocet. Proinde pro quæstionis decisione & conciliatione utriusque partis distinguendum est, quòd pro diverso respectu istiusmodi duella sint licita & illicita. Licita sunt, si copia judicis non est, vel non suppetit facultas habendi injuriantem judicio, veluti si vocatus non veniat in judicium & judex eum cogere non possit, tunc enim affectus injuriâ, ipsum injuriantem provocare potest. Azo *gl. in l. 14. in verb. ultionem, C. de Judæis, l.* 54. *C. de decurion. l.* 10. §. 16. *ff. Qua in fraudem credit, & l.* 12. *& ib. gloss. in verb.*

verb. judicantium. C. *de Epiſc. & Cleric.* Covar. *in cap. peccatum, de R. I. in 6. Item* Alciat. *in lib. de ſingulari certam. cap. 3.* ubi enim deficit jus, ibi ſupplet enſis & propria ultio. Et neceſſitatis facit, quod alias licitum non eſt, Bocer. *lib. 2. de Duello cap. 7.* Illicitum proinde hoc duellum eſt eo caſu, quo judicis copia haberi, calumniatores per legitimos tramites puniri poſſunt. Ad argumentum idcircò pro contraria ſententia oppoſitum, Reſp. Quòd famam ſuam non negligat, cui convitiatorum iniquitates & calumnias per Magiſtratum expellit. Et quamvis non minor ſit infamiæ timor, quam mortis; interim tamen inferendum non eſt; ſicuti pro tuenda vita noſtra poſſumus inſultantem vulnerare aut necidare, *l. 3. ff. de I. & l. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Ita quoque pro tuendo honor, licitum eſt injuriantem jugulare. Nam ſicuti illata nobis vi, repercutere jura non ſinunt, ſiquidem tantùm ad avertendam percuſſionem, non verò ad vindictam privatam conceſſa eſt defenſio; ita multò minùs concedunt jura acceptam injuriam verbalem armis vindicare, quippe cum ea jam ita nobis impoſita ſit, ut armis deponi haud queat, ſed opus ſit vindicta publica. Quod ergo dicitur, vitam & famam paribus paſſibus ambulare, ad hoc impertinenter allegatur. Nam vita ab adverſario noſtro ſemel ſublata, reparari amplius non poteſt, fama verò poteſt. Neque eſt, quod quiſpiam putet famam vel exiſtimationem noſtram

noſtram lædi ex ignominioſa petulantis alicujus conviciatoris provocatione, ſiquidem id veriſſimum, quod infamia non aliunde, quàm ex propria turpitudine & delicto oriatur, *t.t.ff. de his, qui notant. infam.* Cùm igitur id tantum facere poſſimus, quod lex & Magiſtratus à nobis poſtulant: ſequitur, tali caſu, quo judex haberi poſſit, neque injuriantem provocare, neque provocanti comparere poſſe.

QVÆST. V.

Vtrum Chriſtianis bellum gerere liceat?

Negant Anabaptiſtæ & cum iis Tertull. *tr. de Idololat.* & Lactant. *lib. 5. Inſt. c. 22. & 29.* Quorũ argumenta præcipua hæ ſunt. 1. Quòd Chriſtianorum mores potiùs ad lenitatem, quàm ad truculentiam debeant eſſe compoſiti. 2. Quòd bellum varias peccandi illecebras ſuppeditet, dum omnia rapinis, cædibus, ſtupris, commiſceantur, & laxatis pudoris & reverentiæ vinculis & ſanctitas morum & caſtitas profligentur & quæ ſunt alia plurima, de quibus fuſius, Timpl. *in Pol. l. 4. c. 10. q. 2.* & Jun. *quæſt. Pol. part. 2. q. 67. p. 139.*

Verùm nihil illa officiunt, quæ pro quæſt. negativa hinc inde adducuntur, ſi videl. Magiſtratus juſtam belli cauſam habeat & aliter Reipub. conſulere non poſſit, tunc ipſius Dei mandatis ſobtemperaverit, & ſanctorum virorum veſtigiis inſtiterit, *Moyſen, Joſuam, Gedeonem, Davidem, Joſiam, &c.* imitatus fuerit, nullam poteſt eſſe dubium, quin Chriſtianus Magiſtratus

salva conscientia bella gerere possit, Gocl. *in qq. Eth. 53. p. 338.*

QVÆST. VI.

Vtrũ ex populo planè infideli Princeps Christianus milites conscribere possit?

Hac de quæstione olim acriter inter *Carolum V. & Franciscum I.* Galliæ Regem fuit disputatum, cùm enim hic auxiliaribus Turcarum uteretur copiis, quæsitum fuit, num sine peccato possit. Et quamvis sint, utpote Frid. Schenck. à Tautenberck. *Item* Jacob. Typotius *orat. 2. Turcica*, qui idipsum in totum negant. Nos tamen exemplo Abrahami, *Genes. 14. 24.* Maccabæorum, 1. *Maccab. 8.* Contrarium affirmamus, præsertim si de horum fide & constantia in promissis & factis constet. Quod enim quis ob tutelam corporis sui facit, idipsum jure feciisse videtur, *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. & l. 3. ff. de I. & I.* Et ignoscendum ei est, qui qualitercunque sanguinem suum redemtum cupit, *l. 1. de bon. eor. qui ante sentent.*

QVÆST. VII.

Vtrum Dux belli prælio interesse debeat?

Cùm omninò impossibile sit, ut victoria sperari possit, nisi omnia rectè curentur & administrentur: Et experientia testetur, sine Ducis præsentiâ nunquam rectè curari singula: Is enim masculâ voce militem debet animare, incitare, cohibere, & circumspicere, ne aciei

aciei ordo perturbetur, ne à tergo & fronte simul oppugnetur atque adeò, ne cingatur & circumveniatur ab hoste, & quæ alia plurima: affirmativam quæstionis necessariò amplectendam esse dicimus. Et hanc opinionem nostram omnium fermè populorum suffragiis, & moribus stabiliri est verissimum. Inde etiam haud inconcinnè Guevara *in Hor. P. l.1. c.3.* inquit: *Nihil esse Reipublicæ damnosius, nihil homini turpius, quam si exercitus illius fidei credatur, qui imperando primas in bello sibi vendicat, ubi verò ad manus ventum est, post principia sibi cavet loco.* Interim tn,. quamvis nihil sit, quod exercitui plus consilii & virium addere possit, quàm præsentia ducis, non id extendendum puto ad Ducem belli summum seu Principem Reipublicæ, sed ad Principem, subordinatum & exercitui præpositum. Illum enim non nisi necessitate (à subditorum moribus & ingeniis, aliavè ratione ortâ) summâ postulante prælio interesse, sed potiùs aliquo intervallo à prælio separato manere debere, consultum esse dicimus. Ut & subordinatus & exercitui præpositus, summè cavere debet, ne in pericula sese temerè conjiciat, Keck. *c.31. l.1. Syst.*

QVÆST. VIII.

Vtrum Stratagematibus in bello uti liceat?

Stratagemata à plerisque tanquam bonæ fidei è diametro contraria rejiciuntur, quorum argumenta passim invenies, Schönb. *l.6. Polit. c.27.* Timpl. *in Pol. l.4. c.10. q.24.* Sed nostro judicio nō

rectè. Nam stratagemata absque perfidia excogitata, licita esse & permissa satis apparet ex eo, quòd Deus ipse iis uti mandavit Josuæ, *Jos. 8. v. 2.* Item Davidi, *2. Sam. 5. v. 23.* Et naturalis ratio suadet, ut iis, non tanquam malo; sed tanquam medio utamur. Nam astu & calliditate hostes superare longè esse tutiùs, quis non animadvertit & intelligit, siquidem id longè meliùs, quàm multorum hominum sanguinem profundere, civitates & regiones vastare, incendiis absumere, & quæ sunt alia ejus generis plurima mala, quæ bellum apertum sequuntur: Nec ad justitiam interest, cùm justum bellum susceperis, utrum aperta pugna, an insidiis viceris, *cap. Dominus, 23. q. 2. Quo etiam facit, l. 26. ff. de captiv. & l. ff. de I. & I.*

QVÆST. IX.

Vtrum etiamnum milites nostri temporis militum privilegiis gaudeant?

Affirmativam quæstionis tuemur his fundamentis. 1. Quòd permissa intelligantur durare, donec revocentur expressè, *l. item eorum, §. quod si actos, ff. Quod cujusque univers. & l. sancimus, C. de testament.* Atqui hisce privilegiis nulla contraria constitutione est derogatum. Ergò, &c. 2. Quia eædem prorsus sunt rationes in militibus nostris, quæ in antiquis fuerunt, ob quas talia privilegia dare Impp. commoti sunt, nempe periculum vitæ & imperita literarum. §. 1. *Inst. de mil. test.* Atqui & nostri milites pro Republica dimicant, gravis-

graviſſima pericula ſuſtinent, idem etiam publici belli manſit finis, propulſatio ſcilicet hoſtium & recuperatio rerum ab hoſte ablatarum. Quin imò noſtri milites, non tantùm pro patria vindicanda, proque laribus & ſepulchris avitis, uti olim Romani, verùm etiam pro ſanctiſſima religione ſanguinem & animum profundunt. Interim cùm iſtiusmodi privilegia illis tantùm militibus conceſſa, qui actu militant & in ordinem ſunt relati ad equites D. Michaëlis & alios ejus generis non pertinent, uti neque advagantes ſunt extendenda.

QVÆST. X.

Vtrum verba minantia diffidationem importent?

Verba minantia vel privatum duntaxat concernunt, ut ſi quis alicui minetur vel pugnam vel gladium: vel totam concernunt communitatem, ut ſi quis alicui minetur ignem vel incendium. Priore caſu, ſi verba non dubia, ſed perſpicua & clara, niſi quis poſt minas emiſſas ædibus ſuis excedat & ad loca ſuſpecta ſe conferat, iisque ſe conjungat, à quibus & ope & auxilio juvari poteſt, tanquam diffidator & pacis publicæ violator capite mulctari non poteſt, P. H. D. *art.* 128. Interim tn. judex ipſi cautionē de non offendendo rectè imponit, nec ante eum è carcere, quam cautionem fidejuſſoriam præſtitit dimittit. Altero verò caſu, ſi minæ totam communitatem concernant, ut diffidator & pacis publicæ viola-

violator rectè punitur. Quòd si verò verba minitantia essent dubia, utpote: Ich will mich an dir rächen/ich will das eyffern! oder ich will das gedencken/ judicis arbitrio relinquendum esse censemus, ut pro personarum, verborum & circumstantiarum qualitate judicet.

QVÆST. XII.

Vtrum diffidator, qui alicui vel literis vel verbis absagt/ *in pœnam fractæ pacis incidat?*

Quamvis constitutio fractæ pacis vim armatam & manifestam violentiam requirat, quæ in diffidatione non est, interim tamen, quia diffidator & necem intentat, & molitur, & sic præsentissimum terrorem incutit, non secus de ipso, ac de perturbatore pacis publicæ statuendum esse censemus, *arg. l. 3. § 5 ff. de vi & vi arm. & l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar.* Mind. *l. de proces. extrah. c. 25. num 3. seq.* Arum. *disc. ad Aur. Bull. c. 17. Jure Sax. pœnâ fustigationis punitur Const. Elect. 14. p. 4. & 16 part 4.*

DISPVTATIO XV.

DE SUBDITIS, EORUNDEMQVE ORDINIBUS, NEC NON VIRTUTIBUS, & ONERIBUS, TAM Personalibus, quàm Realibus.

Resp. *Johanne Reinhardo Siegfried/ Babenhusano Hanovio.*

ΠΡΟ-

ΠΡΟΟΙ'ΜΙΟΝ.

Duas esse Reipublicæ partes, ex præcedentibus constat, utpote: Magistratum & subditos. Cùm verò de primâ Reipublicæ parte, nempe de Magistratu satis fusè & copiosè hactenus actũ; temporis & ordinis ratio postulat, ut de subditis quædam adjiciamus.

Thesis I.

Subditus rectè & propriè ille dicitur, qui in alicujus territorio domicilium constituit. Nam Domicilii ea est vis ac potestas, ut subditum fori ac legibus istius loci obliget, & privilegiorum & immunitatum participem faciat. Hinc subditus propriè non est, qui bona in aliquo loco possidet, sive sint feudalia, sive allodialia. Unde etiam Vasallus sola feudi recognitione seu ratione juramenti fidelitatis, ordinariæ jurisdictioni Domini investientis non subjicitur. Habet enim Vasallus ordinarium Judicem, Dominum videl. sui territorii, & non feudi, nisi in causis feudum tangentibus, & nisi id ex spontanea subjectione vel etiam præscriptione fiat. Differunt proinde juramentum subjectionis & fidelitatis: quod illud fortiùs stringat & obliget, quàm hoc. Nam non tantùm rerum, verùm etiam personæ subjectionem respicit, (Formulam istius juramenti, *vide in cap. Qualiter Vasallus & Tibi Domino, dist. 63.* Gehorsam und getreu wie einem auffrichtigen Unterthanen gebühret/ &c.) hoc verò oc-

rò occasione & contemplatione rerum in feudum concessarum tantùm præstatur: Et jurat Vasallus inter cætera, getreu und gegenwärtig oder dienstbafftig zu seyn/wie einen auffrichtigen Lehenman gebühret und geziemet/ *cap. 1. fin. per quos fiat invest.*

2. Distinguuntur etiam subditi ab officiariis, qui ratione officii Domino suo (in cujus familiâ esse dicuntur; sive cum Domino habitant sive non) juramentum officii præstare tenentur.

3. Sunt a. subditi, alii eminentioris, & alii inferioris conditionis.

4. Ad classem eminentiorem referimus tres ordines. 1. Ordinem Nobilium. 2. Ordinem Literatorum. 3. Ordinem Militum.

5. Nobilium ordo est duplex: Generalis & Specialis. Generalis rursum distinctos habet gradus & quidem pro diversitate Rerumpub. diversos. In Repub. Rom. primum gradum constituit collegium septemvirorum, secundum obtinent Archiepiscopi. 3. Episcopi. 4. Principes. 5. Prælati. 6. Comites & Barones. 7. Civitates Imperiales, de quibus antea satis copiosè in disp. IX. Collegii nostr. Polit. ex variis auctoribus ibidem adscriptis, est tractatum.

6. Ordo Nobilium Specialis, continet nobiles in Specie sic dictos. 1. Et sunt rursum duplices: vel sunt Imperii liberi: vel sunt provinciales, de quibus *disp. 10.* actum.

7. Porrò ad eminentiorem classem retulimus lite-

literatos, qui rursum in suos distinctos gradus secundum prærogativam facultatum distribuuntur. Primum gradum occupant Theologiæ Doctores, secundum JCti seu legum humanarum antistites. Tertium Medici. Quartũ Philosophi.

8. Post literatos milites sequuntur, qui victum suum ex ministeriis bellicis quærunt.

9. Inferioris conditionis subditi rursũ in certos distinguuntur ordines. Primũ ordinẽ meritò sibi vendicant illi, qui annuis reditibus privatim vivunt, & qui ex mercimoniis victitant.

10. Secundum ordinem occupant artifices, qui cùm rursum quidam sint liberaliores, & quidam sordidiores distinguimus artifices in superiores & inferiores.

11. Ad superiores referimus. 1. *Typographos.* 2. *Pharmacopæos.* 3. *Pictores.* 4. *Aurifabros.* 5. *Architectos*, Statuarios, Marmorarios, Sculptores, & omnis generis, Fusores, Scandularios, qui ædes scandulis tegunt. 6. *Athletas.* 7. *Chirurgos.* &c.

12. Ad inferiores referimus illos, qui viliioribus & crassioribus opificiis sunt præditi, & vel sunt ad victum, vel ad amictum, vel ad omnis generis utensilia comparanda occupati, ut sunt: *Pistores*, *Lanii*, *Venatores*, *Piscatores*, *Coqui.* Item *Sartores*, *Plumarii*, *Textores*, *Pannifices*, *Pelliones*, *Sutores*, *&c.* Item *Fabri*, *Arcularii*, *&c.*

13. Ad tertium ordinem referimus, *Agricolas*, *Pastores.*

14. Ad

14. Ad quartum ordinem pertinent illi, qui ex eo vivunt, quòd alios vel vehant, ut sunt aurigæ & nautæ, vel quid portent, vel manibus laborent, ut sunt mercenarii, operarii, bajuli, &c.

15. Ad infimum subditorum ordinem referuntur, *Histriones, Ludiones, Tibicines, Apparitores, Lictores, Carnifices, &c.* Plura de his ap. Tholos. *l. 4. de Rep. c. 9.* Althus. *c.* 11. *Polit.* Hœn. *disp. 2. Polit.* Schonb. *l. 3. c. 34. & seqq.* & passim apud Politicos invenies.

16. Porrò annotandum hic venit, subditos non tantùm distingui ratione ordinis, uti jam dictum, verùm etiam ratione obligationis. Nam constat, quod alii liberiores sint aliis, & alii contrà majori servituti adstricti, utpote plerumque sunt rustici, qui quodammodo servis, uti id satis ex *Disputat. nostr. III. Pol.* apparet, comparantur.

17. Distingui etiam solent subditi in tria, hoc est, *Collegia, Corpora & Sodalitates*, sed quia de his in præcedentibus actum, non est operæ pretium hic eadem repetere, progredimur ergò ad subditorum virtutes & officia.

18. Virtutes subditorum quod attinet, sunt in triplici differentiâ. Referuntur enim eorundem virtutes, vel ad *Deum*, vel ad *Magistratum*, vel ad *Semetipsos*.

19. Ad *Deum*, quæ refertur, est pietas. Hæc enim est, quæ subditos ad veram religionem incitat, & ad vitam Deo gratam hortatur & admonet.

20. Ad

20. Ad *Magistratum*, quæ referuntur, tres sunt: *Amor*, *Honor* & *Obedientia*. *Amor*, quo subditi Magistratum suum tenentur complecti, debet esse verus & constans & filialis. Ejus enim adfectûs compulsu preces pro salute Magistratus fundunt subditi, ejusque vitam & fortunam defendunt & ab omni proditione, conventiculis, conspirationibus, verbis injuriosis seu convitiis abhorrent. Peccant proinde graviter, qui calumniis Magistratum infectantur & qui omnia illius facta rimantur & ad deteriora flectunt. Et pœnas suæ curiositatis & vaniloquentiæ non effugient.

21. *Honor* consistit in recognitione superioritatis, ut subditi Magistratum suum venerentur, illumque debito honoris cultu prosequantur juxta illud: *Time Deum & honora Regem*, 1. *Pet. 2. v. 17.*

22. *Obedientia*, consistit in executione mandatorum. Et incumbit subditis, politicis in rebus; omnimoda: in rebus spiritualibus in quantum non est contra Dei mandatum. Oportet enim Deo magis obedire, quàm hominibus, *Act. 5. v. 29.* Keck. *Pol. ult. pag. 526. & seqq.*

23. Quæ ad semetipsos referuntur, vel spectant universos & sic totam patriam concernunt, vel spectant singulos. Ad Patriam referuntur amor & cura procurandi cuncta, quæ ad commoditatem & utilitatem patriæ promovendam & incommoditates avertendas pertinent. Erga singulos,

gulos, si sint superiores, vel dignitatis, vel patrimonii, vel ætatis, vel doctrinæ ratione, tunc honorem & reverentiam illis præstent. Si v. pares: tunc humanos, comes ac affabiles se exhibebunt. Si inferiores: auxilium & consilium suum accõmodabunt. Sum̃a, ita instituat vitam subditus, ut cum omnibus suis vicinis in tranquillitate & cõcordiâ vivat. *Vide plura apud* Hœn. *disp.* 2. *Pol.*

24. Officia subditorum consistunt potissimùm in duob. 1. In accurata ll. latarum receptione & observatione. 2. In munerum à Magistratu impositorum susceptione & gestione.

25. Munera subditorum sunt. 2. Personalia & realia. Mixta n. quod attinet, de quibus in *l. ff. de mun.* abolita sunt.

26. Personalia sunt, quæ præstantur vel ministeria corporis vel industriâ & labore humano. Quæ delata necessariò sunt obeunda, nisi aliquis immunis à personalibus muneribus exemptus sit. Causas immunitatis recensetplurimis, *Althus. c.* 12. *Pol.* & Hœn. *disp.* 2. & 18.

27. Realia sunt, quæ erogatione pecuniæ vel earum rerum, quæ pecuniæ vim & valorem tenent, præstantur.

28. Sunt rursum duplicia. Ordinaria & extraordinaria Ordinaria; sunt duplicia: Tributum & vectigalia. Ad extraordinaria collectas referimus.

29. Tributum quod attinet, nõ tantùm origine est vetustissimnm (siquidem cùm imperiis simul

simul emersisse dicitur) verùm est necessarium administrationis Reipublicæ munimentum. Nã ideò impenditur, ut & tesseram quandam subjectionem & ornamenta pacis belliq́ue subsidia Magistratus habeat & subditi utroque tempore quietè & tranquillè & in tuto sub Magistratu vivere possint. Hinc ipse Christus tributum illud sacrum solvit pro se & Petro. Hinc omnes nulla privilegiorum ratione habita, tributum solvunt, *l.1. C. de Indict. & l.1. C. de Immunit. nem. conced.*

30. Definitur tributum, Reale onus rebus impositum, quod quispiam ratione patrimonii suo Magistratui in cujus territorio patrimonium possidet, præstare tenetur. Germanicè appellatur: Beth/Schoß/Schatzung.

31. Olim quidem, tempore Tarquinii superbi personale etiam tributum erat, & non occasione rerum, sed personarum occasione exigebatur, dicebaturq; capitatio: verùm abrogata est in Imp. Rom. à Constant. Imp. *l.un. C. de Cap. civ. censs. exim.* Turcis autem etiamnum familiaris esse dicitur, Schonborn. *l.4. c.19. in fin.*

32. Tenetur autem unusquisque secundùm patrimonii sui vires, Hinc auctis & diminutis possessionibus, & augetur & diminuitur tributum.

33. Et quia tributum, uti dictum reale onus est à possessoribus semper exigitur. Hinc præteriti temporis tributa, novi possessores sol-

vere coguntur, *l. 30. ff. de jur. fisc. & l. 5. §. fin. ff. de censibus.*

34. Collationis tributorum partes tres rectè constituuntur. Utpote 1. Est professio seu indicatio patrimonii nostri. 2. Adæratio seu æstimatio pro ratâ bonorum. 3. Descriptio in librum censualem, qui vel æstimarium vel catastrum vulgò Salbuch appellatur.

35. Vectigal propriè dicitur id, quod pro avectione & invectione mercium debetur, Sixt. *de Reg. c. 8. n. 1.* Wes. *in par. de public. & vestig. n. 2.*

36. Potestas & auctoritas instituendi vectigalia vel telonia, publica est & ad solum Imperatorem spectat, *l. 10. ff. de publ. & vectig. l. 2. & 3. C. vectig. nov. instit. non poss.* Quamvis hodiè Imp. absque Electorum consensu nova vectigalia erigere vix possit.

37. Nullus proinde Imperii Rom. status propriâ auctoritate, vel nova vectigalia erigere, vel vetera augere potest, Sixt. *d. l.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 44.* Warem. ad Erenb. *de subsid. reg. & oner. sub. c. 5. n. 29.* R. A. *Ratisbon. sub Maximil. II. de An. 1576. §.* Weiters seyn wir/ *ibi:* den Zoll steigern / gehöret zu Keyserlichen besonderen Hochheiten und Reservaten/ &c. Unde ii, qui propriâ auctoritate vectigalia nova instituunt, L. Julia de ambitu & vi publicâ coërcentur *l. un. §. 2. ff. ad L. Jul. de ambit. & l. ult. ff. ad* L. *Jul. de vi publ.* Quocirca etiam mandata pœnalia, etiam sine clausula adversus eos, etiamsi Electores sunt, obti-

obtineri posse, atque ea ratione ab executione rectè inchoari testantur decisiones & præjudicia Cameræ, Gylman. *in symph. supplic. t. 2. p. 3. cap. 7. suppl. 4.* Sixtin. *de Reg. l. 2. c. 6.*

38. Quòd si ergò utilitas Reipubl. & necessitas aliqua singularis hoc requirat, ut vel nova instituantur, vel vetera augeantur, concessio Imperatoria est efflagitanda, *l. 1. & 3. C. vectig. nov. inst. non poss.*

39. Causa verò constituendi vectigalia sit planè rationalis, ubi vel ad utilitatem publicam, quòd aliter planum & securum iter præstare nequeat, vel ad sublevandam tenuitatem patriæ, est respiciendum, quin, ut quantitas justa & æqua constituatur, omninò est attendendum.

40. Omnes verò res huic oneri subjiciuntur, & obnoxiæ sunt, *l. 6. & l. 7. C. de vectig.* Nisi quæ expressè excipiuntur, utpote sunt: 1. Quæ in proprium alicujus usum vehuntur, *lib. 5. C. d. t. l. 4. de publ. & vect. & l. 203. de V. S.* consuetudine tamen, quæ in vectigalium exactione spectanda est, *l. 4. §. ult. ff. de publ.* inductum esse videmus, ut solvantur hodiè tam pro persona, quàm pro rebus, licet non venalibus. Deinde excipiuntur etiam res exercitui paratæ, *l. 9. §. C. de publ.* Item quæ exercendi ruris causâ vehuntur, *l. 5. C. de vectig.*

41. Omnes proinde personæ, quæ privatam degunt vitam, & negotiationis seu transferendarum mercium curam habent, ad vectigalis so-

lutionem tenentur, *d.l.6. & l.7. C. de vectig.* Excipiuntur tamen 1. Fiscus *l.9. §. fin. de p.* 2. Naviculari quia annonæ urbis serviunt, *l.5. ff. de jur. immunit.* Sixt. *n.67. & seqq.* 3. Legati, *l.8. C. de vectig.* 4. Personæ Eccles. in reb. propriis, in quib. nulla exercetur negotiatio, *c. quanquam, de censib. in 6. Clement. in fin. eod.* Sixt. *d.l. n.71.* 5. Studiosi in rebus propriis, quas studiorum gratia habent, *auth. habita, C. ne fil. pro patre, & ibi Dd. communi.*

42. Qui vectigal præstare tenentur, nec præstant, eorum res, quas vehunt cadunt in commissum. Unde etiam commissæ res dicuntur, *l.14. & l.16. §.3. de publ.*

43. Fraudatio autem vectigalium merces in commissum cadere facit, quæ plerunque contingit, cùm mercatores & aurigæ cum mercib. suis quas vehunt, à regia solitaque via deflectendo, & alia transeundo loca, telonia declinant, ne passagiũ transeant, *l.4. §.5. de off. pro cons. l. cùm proponas 3. ubi* Bl. Castr. & Salic. *C. de naut. fœn. l.7. C. de navicul.* Franc. Lucan. *in tr. de fisc. & ejus privileg.* Coler. *p.1. c.3. n.79. quem omninò vide.* Nisi fortè transiens per viam inusitatam, hoc faceret ex justa aliqua & legitima causa, puta, si communis strata ab aquis esset, inundata *l.2. §.8. si quis caut.* vel à latronibus occupata. Alias enim vectores nunquam debent egredi viam rectam absque bulleta, Col. *d.l. num.3.* Item contingit fraudatio.

tio. Si quis scienter passagium transiret, & telonia non solveret, da einer wissentlich den Zoll überführe/ (*consult. Sax. tom. 2. par. 4. quæst. 65. fol.* 170. Quod si verò per imprudentiam & errorē passagium transiisset, omnimoda quidem excusatio non patet, pœna tamen mitior est, duplicatio scilicet vectigalis, *Consult. Sax. tom. 1. par. 4. quæst. 42.* Item in commissum merces cadunt, ob non factam professionem, vel fraudulenter factam, wann einer nicht anzeiget/ was er führe/ oder die Wahren betrüglich verleugnet. Nec imputari debet publicano, quod transgredientem non instruxerit, sed illud custodiendum, ne publicanus decipiat profiteri volentes. *l. ult. §. 6. ff. de publ.*

44. Committuntur autem merces ex causâ fraudati vectigalis ipso jure, ita ut statim desinant ejus esse, qui crimen contraxit, dominiumque rei vectigali adquiritur, ita tamen ut ob contradictionem partis sententia requiratur declaratoria, per quam possessori auffertur possessio, Coler. *d. p. 1. c. 3. n. 79.* Gail. 2. *obs. 51. n. 15.* idque per rationem, quòd possessio in acquirendo, plus habeat facti, quam juris, *l. 19. ff. ex quib. caus. maj. l. 3. §. 6. & l. 23. ff. de acquir. poss.* Jure Saxon. quadruplicem subeunt pœnam, qui vectigal non solvunt. Landrecht/ *lib. 2. art. 27. Coler. d. pag. 1. cap. 3. num. 74.*

45. Illud etiam apud omnes ferè indubitatum est, quòd non solventes vectigalia, ab iis, qui

citra controversiam jus exigendi habent, pignorari vel arrestari, atque sic persona cum rebus detinere possit, Coler. *d.p.1.c.3.n.74.* Becht. *tract. de securit. th.64.*

46. Item commissi pœnam quoque incurrit, si quis illicitas merces vel vendiderit, vel vexerit, Mindan. *l.1. de mand. jud. c.43.n.11.*

47. Sunt tamen aliqui casus, in quibus res ob non solutum vectigal in commissum non cadit, utpote si publicanus remiserit solutionem vectigalis, *l.16.§.12. ff. de publ.* Item si quis ob necessitatẽ & adversæ tempestatis onus, merces exposuisset, *d.l.16.§.8.* Itẽ si vectigal illicitè institutũ.

48. Sic & certis quibusdam personis succurritur, utpote *pupillis*, modò intra diem trigesimũ vectigal solvant, *l.7.§.1. de publ.* Subvenitur etiam *minoribus* per restitutionem in integrum, si res ipsorũ in comissum inciderint, nec dolus ipsorũ intervenerit, *d.l.16.§.9. & l.9.§.5. ff. de minor.* Itẽ *militibus* etiam subvenitur, *l.3. C. de vectig.*

49. Et tantùm de ordinariis oneribus, sequitur extraordinarium, quod ordinariis reditibus non sufficientibus ad expedienda Reipubl. negotia & necessitate ingruente indicitur. Quò referri diximus collectas, quæ subditis pro rebus imponuntur, de quibus paucis etiam hoc loco agemus.

50. Sunt autem *collectæ* duplicis generis, utpote: *Imperiales & provinciales*, vulgò Reichs- und Land-Steuer.

51. Im-

51. *Imperiales* collectæ sunt generales & ad omnes Imperio Romano subjectos spectant. Eas autem Imperator hodiè non solus, sed cum assensu & applausu procerum Imperii indicit. Unde clausula in Imperii recessibus frequens: Darüber wir uns mit ihnen / und sie hinwiederum mit uns vergleichen / &c.

52. Exiguuntur autem hæ collectæ Imperiales non tantùm ab omnibus Imp. Rom. statibus, & immediatè Imperio subjectis, verùm etiam ab omnibus provincialibus nullâ habitâ vel sexus, vel dignitatis, vel privilegii ratione, adeò, ut nec privilegiatus, nec investitus sub clausula: Frey / gerühiglich / ohn Steuer: à contributionibus ob Turcicam expeditionem indictis immunis sit, R. A. *de Anno* 1391. zu Wormbs / von Königlicher Satzung / *in pr. Anno* 1500. *passim*, *An.* 1542. §. Und nemlich sollen / &c. & §. Es sollen auch die Churf. *An.* 1544. §. Und nemlich sollen alle / &c. *An.* 1576. §. und nach diesem / *Anno* 1582. und demnach sollen die Unterthanen / *Ann.* 1594. §. Demnach sollen / *Anno* 1598. §. Dieweil dann / *& seq.* 603. §. Nach dem. Ubi disertè notandum, derogari omnibus conventionibus & exemptionibus in contrarium facientibus, Modest. Pistor. *cons.* 4. *in pr. n.* 6. *& seq. vol.* 1. Schonb. *l.* 4. *c.* 24.

53. A provincialibus verò plurimi regulariter exempti sunt, utpote: 1. Forenses. Nam cum impositio collectæ jurisdictionem, & jurisdictio sub-

subjectionem necessariò præsupponat, consequens est, collectis non nisi subditos gravari posse, *l. 6. §. fin. ubi Bart. & l. 18. §. 21. ff. de mun. Burs. 1. cons. 16. 31. ubi innumeros congessit.* Quibus adde *Natt. Cravet. Rol. Rimin. &c.* 2. Clericos *argum. l. 17. C. de Epis. & Cler.* 3. Graduatos, *l. 6.* Medicos, *ubi Bart. &* Jud. *C. de Profess. & Medicis*, quamvis non actu legant, *Mynsing. resp. 1. n. 37. ubi plures convehit.* 4. Habentes 12. liberos, *l. 24. C. de Dec.* 5. Pauperes *l. 4. §. 2. ff. de muner. & l. fin. C. quin. l. R. A. de An.* 1582. §. Vnd nach dem/*in fin. & passim.* Unde Germanis tritum, Da nichts ist/hat der Keyser sein Recht verlohren / Plura de exemptis vide *apud* Modest. Pist. *cons. 4. in pr. n. 5. & seq. vol. 1.* Wintzler. *de collect. & contribut.* Klocken *de contrib. & alios plures.*

54. Causæ collectandi sunt duplices *Generales & speciales. Generales*, sunt: ipsa necessitas & publica Reipubl. utilitas, *Speciales*, quod attinet, variæ sunt, ubi magis respiciendum ad id, quid consuetudine introductum, *arg. l. 4. § fin. de publ.*

55. Ad tria autem in collectis maximè est respiciendum. 1. Ut impositio collectarum sit rata. 2. Ut quantitas sit mediocris. 3. Ut exactio fiat cum modestia.

56. Prius, quod attinet, meminisse Magistratus debet, raram collectarum indictionem, tutissimum esse subditos in officio retinendi remedium.

dium. Nam nonnunquam, non dicam invidiam & execrationes, sed totalem defectionem crebras extorsiones subsecutas esse, apertè constat. Nulla enim alia causa fuit defectionis tribuum Israëlis à Rege Roboam, quàm crebra onerum impositio, & populi oppressio, 1. *Reg.12.* & 2. *Paralip.10.* Multa exempla, utpote, de Matthia Corvino, quem Ungari destituerunt, de Ludovico XI. Galliarum Rege, adversus quem Galli ob gravissimas & crebras actiones bellum moverunt, de Belgis, quos exactio decimarum omnium rerum à Duce Albano facta, ab Hispanis separavit. De Helvetiis, &c. lubens hic prætereo. Vide Chytr. *in Chron. Saxon. lib. 26.* & *Arnis. lib. 2. de Republ. c. 3. sect. 6. n. 51.*

57. Ad alterum membrum, quod attinet, meminisse debet Magistratus illius responsi quod Tiberius Nero, Præsidibus Provinciarum nova tributa suadentibus rescripsit; boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere: Cuspin *in vitâ ejus*, & illius dicti, quod *Prov. 30. v. ult.* extat: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Nam tyrannorum est, scribit *Tacit. 4. histor. novos subinde sinus, & varia prædandi vocabula exquirere.* Et similiter Arist. *lib. 5. pol. c. 11. immanem tributorum exactionem veram esse tyrannidis notam*, scriptum reliquit, Et hinc inter causas conservandæ tyrannidis ponit, ut cives ad inopiam redigantur, Quod accidisse scribit Siracusis, quos Dionysius tyrannus quinquen-

quenij tributo fortunis & facultatibus omnibus spoliavit & exhausit.

58. In exactionem, jubet Schonborn. *lib. 4. polit. c. 23. & c. 22.* Censitores duos evitare scopulos: Violentiam & impostu̇ram. Constituantur ergo censitores, non qui Gryphis, corvis vel felib. sunt rapaciores, sed homines probi & fide dignissimi, qui in exactione Thesei illud æquitatis filum rectè observare didicerunt. Animadvertere etiam Magistratus debet sedulò, nè per bonam gratiam divites subleventur, & contra pauperiores per malam gratiam premantur. Fiat justa & uniformis secundùm alicujus patrimonii vires distributio: Et quod exactum est ad provinciæ thesauros referant censitores, aut si quid retinuerunt, & in suos usus converterunt, id vel juxta civilis juris præscriptum duplicatum restituant, *l. 7. §. quod si ad nos, C. de exact. tribut.* vel arbitrariam pœnam pro rerum & personarum qualitate sustineant, Schonborn. *4. Polit. 22.* Et quia censitores eam pecuniam semper debent habere & servare paratam, lucrari cum ea omninò prohibent. Quòd si verò lucrentur, totum lucrum cedit Reipubl. *l. un. C. de aur. publ. persec.* Et tantum hâc vice de subditorum oneribus ratione instituti nostri dixisse sufficiat.

QVÆST. I.

Vtrum subditi Magistratui contra legem Dei præcipienti obedire, an verò armatâ manu resistere possint?

Supra

Sup. quæst. 6. ult. disp. planum fecimus, præstabilius esse, in rebus Politicis, & privatam nostrâ utilitatem concernentibus, Magistratui obedire, quam recusando talia, ansam & occasionem rebellandi præbere, hinc ergò hoc loco, ubi de subditis in specie agimus, non immeritò quæritur, utrum eo casu, quo Magistratus subditos suos ad hæreses, & impietatem compellere velit, & Ecclesiam Dei deformare cupiat, sit obediendum, an verò resistendum? ad quam quæst. cùm sit bimembris, distinctè respondendum esse diximus. Et, quod attinet, prius membrum, quamvis non desint, qui impuriſſimas Cleonis Alexandri adulatoris voces assumant, Deum quasi ex communi dividundo, Regibus & Principibus, ut & aliis Magistratibus, terram agendam terendamque pro libitu tradidisse, & se superioritate & majestate sua in populum suum exuisse: Cœlum duntaxat sibi retinuisse: atque sic Magistratus cum Jove divisum habere imperium: Crassissimè tamen errant, & ob id, quòd Magistratui sint causa ad præcipitium & ruinam, gravissimè puniendi. Nam, quòd istiusmodi assentatorum aulicorum opinio sit pernitiosissima & blasphema, exinde patet, quòd Deus ex nihilo creârit cœlum & terram, & proinde cœli & terræ Dominus & proprietarius existimandus, & qui eandem inhabitant ejusdem Domini coloni & emphyteutæ existimandi. Deinde Magistratus non per se, sed singulari Dei beneficio, & propter Dei popu-

populum gubernandum sunt constituti. Quamobrem etiam Dei intuitu & constitutionis contemplatione à subditis honorandi sunt. Cùm enim Imperator, quando Regem aliquem creat, salvo semper imperio & superioritate id faciat: Quantò veriùs Deus in omnes Reges & Principes tanquam in ministros suos & vasallos, eam sibi auctoritatem retinet, à quibus & rationem eum reposciturum, & pœnas de iis, qui suo officio malè functi sunt, sumpturum multoties in Sacra Scriprura legimus. Huc pertinent expressa Scripturæ testimonia, utpote *Ose. 5. v. 10. Et Ps. 24. 1. & Esa. 66. v. 1. Prov. 8. v. 15.* Cùm igitur Deus sua potentia se nunquam exuerit, & sceptrum in manu teneat, quo frementes Reges compescet, & contumaces conterat, nullo modo patientur pii Magistratus ab istiusmodi adulatoribus aulicis in ruinam, & præcipitium abduci. Et cùm sola unius Dei voluntas perpetuò justa sit, cæterorum verò Magistratuum subinde injusta esse possit, & secundùm Apostolorum responsum, Deo magis obediendum sit, quàm hominibus: qui ambigeret, Deo O. M. absque ulla exceptione, Magistratui verò cum aliquâ exceptione, nisi contra Dei mandata præceperit, parendum esse. *Ad secundum quæstionis membrum*, quod attinet, quamvis, ut dictum est, mandatis illis impiis obedientiam nullam præstare divina jubeamur voce, longè tamen diversa sunt, Magistratui impia præcipiendi obedientiam non præstare, & vim suo Magistratui intentare, illiq; armata

mata manu resistere. Illud enim fas est, hoc verò nefas est facere. Est enim regula hæc perpetua, ordinationi Dei ne resistas. Licuit Asinæ Bilheami, (quæ populi typus) Domino suo dicere: Quid feci. Offenderis, si tuo meoque Domino discedo, & morem potiùs gero, quam tibi? *Num.* 22. 28. Non autem violenter aliquid contra Bilheamum tentare. Rectiùs igitur tali casu, subditi à suo Magistratu humilimè petent, ut ipsorum conscientiis parcere velit, & promittent sanctè, se alioquin ei ad omnia civilia obsequia & officia fore promptissimos, & ad preces & lachrymas confugient. Ascendat deprecatio; & descendet commiseratio. Hæc enim sunt fidelium arma, quibus mundi furores expugnant. Quòd si verò incassum laborent, & à proposito Magistratus non deflectat, è ditione ejus potiùs discedent, & sedes juxta Salvatoris nostri consilium mutabunt, *Matth.* 10. 14. quam ut ei violenta manu resistant. Vel etiam si crudelibus supplicis institerit Magistratus, Ordines & Imperii Status subditi adire, & eorum auxilium implorare, poterunt. *Vide Autorem de jure princip. th.* 36. *& seqq* Dan. *5. polit.* 7. Keck. 1. *pol. ult.* Steph. Jun. Brut. *tract vindic. contra tyrannos, q.* 1. 2.

QVÆST. II.

Vtrum propter bona in alio territorio sita juramentum subjectionis aut fidelitatis præstandum?

Tres esse juramenti species in præceptis dictũ est, sc. 1. juramentũ subjectionis & obediẽtiæ aliâs

alias homagium dicitur, vulgo die Erb- und Landhuldigung/ 2. juramentum fidelitatis, die Lehenpflicht/ & 3. familiaritatis seu domèsticitatis, Dienstpflicht/ *vid. Consil. Marp. 35. n. 28. vol. 3.* de juramento subjectionis hoc loco, quæritur, utrũ ille, qui bona immobilia in alio territorio, habet illud præstare teneatur. In qua quæstione, ut nostram aperiamus sententiam, pro quæst. decisione distinguimns inter bona allodialia & feudalia. Bona allodialia, quod attinet, certum est, quod sola possessio bonorum subditum non faciat. *vid. Consil. Marp. 19. n. 151.* Unde consequens, juramẽtum subjectionis ab eo, qui bona in territorio alicujus Domini possidet, ipse v. domicilium in isto territorio non habet, exigi non posse, Quod si v. quia bona feudalia in alio territorio possideret, ad juramentum fidelitatis, cogi potest. Verùm subditus inde nõ efficitur; nam in juramẽto fidelitatis à vasallo præstito subjectionis verbum gehorsam zu seyn/ omittitur. Quamobrem vasallus ratione bonorum feudalium subditus non efficitur. Non e. fidelitatis juramentum personã principaliter stringit, sed libera manet. Hinc videmus plurimos in R. Imp. qui ratione personæ omnino liberi sunt, & nemini præterquã Cæsari subjecti, quamvis ratione rerum aliis Statib. Imp. R. devincti sint. Hinc fit, ut subjectionis juramẽtum præstetur à subdito personaliter: fidelitatis verò à vasallo per procuratorem præstari potest, *vide* Gail. *de arrest. Imp. c. 7. n. 11.*

QUÆST.

QVÆST. III.

Vtrum vasallus sit ex subditorum numero?

Præcedenti quæstione id negavimꝰ: cùm verò ansam dubitandi nobis præbeat. 1. Quòd utrorumque literæ, tam subditorum, quàm vasallorum pari stylo inscribantur hoc modo: Dilecto & fideli nostro, Vnsern lieben Getreuen. 2. Quod vasallus æquè forum sortiatur, ut subditus. Verùm communis est omnium Doctorum constans sententia: Vasallum quâ vasallus, subditum non esse, in qua sententia & nos persistimus, neque contrariis movemur argumentis. Nam quod prius attinet, resp. illud ideò fieri, quòd uterque juramentum fidelitatis præstiterit, licèt diverso respecto id factum. Deinde ad alterum argumentum, quod attinet. Rx. illud procedere à disparibus. Nam quamvis vasallus forum sortiatur subditorum, inde non sequitur, vasallum plenariè & omninò subditum esse, Sunt enim disparia forum sortiri, & subditum esse. Nam forum sortitur non tantùm subditus, verùm etiam alius aliis modis, utpote ratione delicti & contractus sortiri forum quis dicitur. Præterea verbum subjectionis non uno modo intelligitur, sed semper secundùm dominium intelligendum: interdum enim dominium pro præeminentia ac dignitate, interdum pro directo, interdum pro utili, interdum pro Dominio protectionis, &c. accipitur. Inde etiam sequitur, tot modis subjectionem intelligi.

QVÆST. IV.

Vtrum collectarum solutio sit vera subjectionis tessera?

Variis modis subjectionis qualitas probatur, utpote: 1. Pactis & stipulationibus, *arg. §. 4. I. de de servit.* Quòd enim valeat pactum, ut quis alteri serviat, & ei obedientiam præstet, constat ex *l. 3. ff. de usu & usufr. legat.* Spec. *tit. de feud. homag. & fidelitatis.* Quicunque igitur castra, dominia & possessiones sub alio statu Imperii sita, cum onere subjectionis emit, stare omninò debet conventioni, *l. 1. ff. de pact. & l. 48. ff. eod.* Præsertim ubi generalis consuetudo, ut bona non aliter acquiri & comparari possint quàm cum onere subjectionis. 2. Præstatione juramenti obedientiæ seu homagii, die Erb- und Landshuldigung. 3. Sæpius quietè repetitis actibus jurisdictionalibus & subjectionis, veluti si quis ad provincialia comitia indicta vocatus comparuit, mandatis domini territorii paruit, & indictiones & collectas solvit. &c. Gail. *de arrestis Imp. cap. 7. per tot.* Aliis autem subjectionis tesseris prætermissis, tantùm hic quæritur de solutione collectarum, utrum sit vera subjectionis tessera? Ad quam quæstionem, ut distinctè respondeamus, repetimus distinctionem collectarum, qua divisimus collectas in Provinciales & Imperiales, easque rursum, quatenus imponuntur, vel omnibus tàm Magistratibus, quàm subditis, hoc est, omnibus omninò Imperii subditis ac civibus, nemine

mine excepto, uti factum est mit dem gemeinen Pfenning/ tempore Maxim. I. Rom. Imp. *de Anno* 1495. *& An.* 1550. vel Statibus Imperii tantùm, & quia hujusmodi collectam de propriis reditibus sustinere non possunt, R.A. *de Anno* 1512. §. Nach dem Churf. *& de An.* 66. §. Dieweil/ &c. *& de An.* 76. *&* 82. permissum est statibus sub expressa forma subditos subcollectandi, R.A. *Anno* 66. 76. 82. 603. Quantum jam ad Provinciales attinet, nullum est dubium, quin collectarum solutio verissima subjectionis tessera sit & dicatur: Et quamvis de utroque genere Imperialium collectarum inferri possit. 1. Quòd Status imperii non suo, sed Cæsaris nomine, ac ne quidem unum obulũ ampliùs uti dictũ est, postulare à subditis possint. 2. Quòd non tantùm illi, qui jurisdictioni Princip. & Statuũ Imp. subsunt, verùm et exempti à jurisdictione Dominorũ territorii, qui tamen revera subditi non sunt, subcollectari possint. Ex recessibus tamen Imperii contrarium patet, qua de re vide R.A. *de An.* 1548. §. Vnd als erstlich/ &c. *Item* R.A. *de Anno* 1594. §. Demnach sollen die Vnterthanen. Et paulo post: deßgleichen Stände/ &c. Hinc pro quæstionis determinatione distinguendum putamus, inter subditum plenarium, & ex aliqua parte. Nam quamvis civitates quædam provinciales, item Nobiles, Barones, & Comites quidam in alterius Principis territorio domicilium habentes subditi plenariè non sint, cùm plerumq; jurisdictione Domini territorii exemti sint;

interim tamen, cùm in territorio Principis alicujus habitent, juramentum adsecurationis, die Erb- und Lands-Huldigung / detrectare non possunt, sed coguntur Dominum territorii pro suo Domino agnoscere, & illi als einem Lands-Fürsten und Erb-Herrn obedire, & hinc est, quòd tam subditis, quàm Landsassiis scribant: Unsern lieben getreuen: aliis verò: Unsern lieben besondern / Gail. *d. l. cons. Marp. 35. n. 25. & seqq.* Bruning *de variis Universit. specieb. th. 36.*

QVÆST. V.

Utrum forenses pro rebus seu bonis in terris collectantium sitis collectari possint?

Ad onera ordinaria ut est tributum, non tantùm subditos, & incolas vel municipes, verùm etiam extraneos & forenses cogi posse, antea in præceptis dictum est. De extraordinariis autem hoc loco quæritur, utrum forenses, qui, quantum ad jurisdictionem attinet, pro extraneis habentur, ratione bonorum in terris collectantium sitorum, in collectis provincialibus sint immunes? In qua quæstione quamvis inferri possit, Dominuum territorii in loco fundatam habere suam jurisdictionem, & proinde collectari prædia posse: de jure tamen communi Negativam regulariter tenendam esse dicimus. Rationes nostræ assertionis hæ sunt. 1. Quia, si ad naturam collectarum respiciamus, certum est, easdem formaliter considerando magis esse personalia onera, quàm realia; siquidem in locum antiqua-

rum

rum indictionum succeſſiſſe videntur, *l.1. C. de indict.* perſonis principaliter imponuntur, unde etiam obligatio in perſonam dirigitur, & vinculum ſolvendi perſonam reſpicit, *Vide* Klock *tr. de contrib. th.5.* Proinde cum ratione jurisdictionis collectæ imponantur, *l.6 §. fin ff. de munerib. & honor.* & collectantes jurisdictionem in forenſem non habeant *l.17. §.5. ad municip. & ibi* Bart. *& l. 4. & ibi* Bart. *C. de incol. & l.11. C. de ſacroſ. Eccl.* ſequitur forenſem ratione bonorum in jurisdictione collectantis ſitorum de jure communi regulariter collectari non poſſe. Deinde huc facit, quod collectæ ſint onera extraordinaria. Atqui extraordinariis ſoli ſubditi onerantur, *Vide* Gail. 2. *obſerv. 52. n. 13.* Prætereà huc etiam pertinet, quod alienatio immobilium in forenſes, ſtatutis paſſim prohiberi ſoleat, ut hac ratione bona apud ſubditos ſub jurisdictione ſtatuentium, remaneant, Klock *d. l. th. 27.* Interim tamen non diffitemur aliquando collectarum ſolutionē forenſes vix declinare poſſe, & maximè ſi conſuetudo, vel privilegium, vel commodum, & defenſio publica ab ipſo requirat, de quibus modis vide Gail. 2. *obſ. 52. n. 17.* Quibus caſibus, ſi forenſes collectas detrectant, fructus rei detineri poſſunt, cùm in ipſos non habeat Princeps jurisdictionem, Gail. *d. l. n. 22.* Et quamvis conſuetudo regulariter non ſtringat forenſes, id tamen locum non habet, ſi talis conſuetudo circa res ſubjectas vigeat.

QVÆST. VI.

Vtrum subditi collectas à Magistratu impositas, pro rebus extra territorium & jurisdictionem Magistratus sitis, exsolvere teneantur?

Rationes dubitandi hæ sunt: 1. Quod subditi bona, ubicunque etiam sita pro uno tantùm patrimonio habeantur, *l. 30. §. 1. de administr. tutor.* Cùm autem de toto patrimonio collecta solvi debeat, necessum est, ut patrimonium in alio loco possessum cum matrimonio domicilii conjungatur. Consequentia inde patet, quòd una & eadem res non debeat diverso jure censeri, *l. 23. de usurp.* item quòd accessorium sequi debeat ipsam rem principalem, *cap. 32. de reg. jur. in 6. 2.* Quia collectæ sunt onera personalia, quæ personas ipsas afficiunt, Bart. *in l. 3. §. 6. de mun. & honor.* Verùm hisce minime obstantibus ad propositam quæstionem Negativè respondendum esse dicimus. Nam extra territorium jurisdictionem suam exercendi jus nemini est concessum, *l. fin. de jurisdict. omn. jud. & cap fin. extr. de constit.* Proinde cùm jurisdictio radix sit impositionis collectarum, & ea in alio territorio deficiat, sequitur exactionem collectarum deficere. Nam limitata causa semper producit limitatum effectum, *l. 22. de adopt.* Et quamvis unius & ejusdem hominis unum tantùm & idem patrimonium sit, diver-

diverso tamen jure omninò æstimari potest, maximè si diversa ratio contrarium suadeat, & locorum diversitate patrimonia sint divisa. Proinde neque obstat, quod collectæ sint onera magis personalia. Nam nihilominus respectu rerum indicuntur, & hominibus imponuntur. Quamobrem in collectis provincialibus omninò negativæ standum opinioni. *Vide* Cothman. *Resp. jur. vol. 1. resp. 11. per tot.* De Imperialibus verò collectis contrarium est verius, *qua de re vide* Gail. *lib. 2. observ. 53. per tot.*

QVÆST. VII.

Vtrum pro solo transitu per vias publicas, territorium Domini pedagium rectè exigant?

Quæstio hæc pro & contrà disputari potest. Rationes pro affirmativa hæ sunt: 1. Quod Principes hodiè in suis territoriis sint Domini viarum publicarum & possint, *arg. l. 4. §. 5. ff. si serv. vind. & l. 21. C. mand.* extraneis subditis prohibere, ne aliter quàm ipsi velint, sua loca ingrediantur, *l. 16. ff. de S. P. R. l. 3. §. 1. ff. de A. R. D.* 2. Per text. *in l. 21. ff. de donat. int. vir. & uxor.* 3. Quia hoc jus Dominis territorii per longissimum tempus est quæsitum. 4. Quia necessitate solvendorum pedagiorum vulgò das Weg Gelt/ eximuntur clerici, *cap. 4. de cens. in 6. Clem. ult. eod. ubi ex verb. non negociandi causâ patet, pedagia nõ dici pro vectigalibus, quæ penduntur de mercib. sed*

dicuntur ea, quæ dantur à transeuntibus in locis constitutis à Principe. Cæteri ergo non exempti, remanent sub illa necessitate, *arg. tradit ad Everh. in loc. ad except. ad reg. & l. 5. ibi: ea verò, quæ extra prædictas causas, C. de vectig.* Rationes pro Negativa hæ sunt: 1. Quia solutio pedagiorum pro solo transitu, pugnant cum liberrimo jure gentium omnibus concesso viarum publicarum usu, *l. 14. §. fin. ff. quemadm. serv. amit. l. 24. in pr. ff. de damn. in ff. l. 2. §. 21. in fin. ff. ne quid in loco publ.* 2. Quòd vectigalium solutio sit onus non mercatorum, sed mercium, *l. ult. §. 7. de publ. & l. 5. C. de vectig.* 3. Quòd actus commeandi per vias publicas sit facultatis publicæ, & præscriptionem excludat, *l. 2. ff. ne quid in loco publ. & l. 2. ff. de via publ. & it. 4.* Per text. *in l. 11. C. de servit. & aqua*, ubi per alienum agrum, qui servitutem non debet, ire vel agere non licet, uti autem via publica nemo rectè prohibetur. 5. Quòd Domini territorii, quibus jus exigendorum vectigalium de mercibus, ab Imperatoria majestate communicatum est, concessionis hujus legem excedere, & ultra exigere non debeant, *per l. 1. in fin. ff. de locis publ. fru. & passim t. t. ff. de publ. & l. 5. C. de vectigal. & est text. in spec. Suev. lib. 1. c. 12. §. 3. his verbis*: Wir verbieten allen denen/ die in unserm Reich sind / daß sie keinen Zoll nehmen ohn unser Vrlaub/ und wer es darüber thut / der hat unser Huld nicht / Reichs Abscheid/ *de Anno 1576.* §. Weiters sind/ ꝛc. Præjudi-

judicia, quod sic quidam Domini territorii in pœnam condemnati sint, *vide ap.* Gylm. *Symph. tom.1.p.2. t.6.suppl.2.p.36.& 37.& tom.3. in verb. vectigal.pag.350.* 6. Quòd pedagia pro solo transitu omninò prohibita, *c.4. de cens. in 6. & passim.t t.ff. de publ.& vectig.7.* Huc facit text. *in jure Sax.l.2.art.27.ibi:* Ein jeglicher Mann soll auch Zoll frey seyn/er fahre/ reite/ oder gehe/ꝛc. Denique huc facit, quod in dubio pro libertate, *l.antep.ff.de manumiss.& l.38. pr.ff.de re jud.& l. 20.de reg. jur.* & pro libertatione potiùs pronunciandum.

Verùm quid in hâc controversia statuendum, cui parti adhærendum, & quomodo ad argumenta alterius opinionis respondendum, in ipso disputationis actu, quærenti aperiemus.

QVÆST. VIII.

An subditus absq; licentiâ Domicilium transferre, & alibi civitatem acquirere liceat?

Ansam dubitandi præbet, quod *in Aur. Bull. à Carol.IV. tit.16.* de *Pfalburgeris* contrarium expressè decisum, ne quis jugum originariæ subjectionis abjicere, & ausu temerario in aliam civitatem migrare possit. Unde sic argumentamur: Quòd si cives vel subditi alicujus, quamdiu in ejus territorio remanent in alterius civitatis cives se recipi procurare non possunt, quantò minùs subditis civibus vel civitatibus licebit, planè alterius jurisdictioni sese subjicere. 2. Quòd regulariter subditi protectioni alterius, quam ordinarii

narii se neque submittere, neque alii status eos in protectionem recipere possint, *Aur. Bull. c. 15. & 16.* Reichs-Abscheid/ *de An. 1229. §.* Wie auch Churfürsten/ &c. Idem repetitum est in R. A. *de Anno 1548. in princ. & de Anno 1555. §.* Es soll auch kein Stand/ *& facit huc l. 2. C. ut nemo ad suum patroc. suscip. rust.*

Verùm de jure communi contrarium omninò est verissimum, per text. *in l. 5. §. fin. & l. 12. in pr. ff. de capt. & l. 31. ad municip.* Hinc Cic. *pro Corn. Balb.* inquit: *Hæc sunt fundamenta firmissima nostræ libertatis, sui quemque juris & retinendi, & dimittendi dominum esse*, vide Frid. Pruck. *in §. soluta potestas, c. 4. memb. 2. affect. 6. n. 131.* Bodin. *l. 1. c. 6. n. 58.* P. Anton. de Petra, *de potestat. Prin. cap. 13. n. 13.* Henr. Bruning. *in disp. de jur. univers. concl. 36. & 39.* Gail. *2. observ. 36. n. 7.* Huc facit consuetudo in Germania recepta, *Gail. d. l.* Sic & in Hispaniâ liberum est, cuique aliò migrare, & alienæ civitati adscribi, dummodò id fiat testatò apud Principem, *Bodin. d. l.* Non tamen inficiamur, Principes vel civitates huic derogare, & statuto, ne subditi emigrent, prohibere posse, quemadmodum id prohibitum videmus in Daniâ, Scotiâ, Angliâ, &c. Ad argumenta in contrarium opposita quod attinet, distinguendum primò putamus inter liberos homines, & inter rusticos & glebæ adscriptos. De liberis hominibus vera est nostra sententia per rationes supra allatas, modò Domino id, quod pro jure emigrationis

nis

nis solvi solet, vulgò die Abfahrt oder Nachsteuer/*R.I. de Anno* 1555. §. Wo aber unsere/ &c. præstent. Ast servi sive rustici & glebæ adscripti, revocari possunt, *per l.1. & l.2. C. de serv. fugit. ubi Cyn. B. & Bl.* Proinde quod *tit.* 15. *&* 16. *Aur. Bull.* attinet, non vetat translationem domicilii, & in fraudem sui superioris, ut defensione aliorum gauderet, si in aliam civitatem adscribi procuravit, taxat. Proinde non valet argumentatio à Pfalburgeriis ad illos, qui reverâ domicilium in aliam civitatem reipsa transferunt. Ad eundem modum rejicitur etiam argumentum secundo loco adductum. Nam tantùm loquitur de illo casu, ubi prætextu parentelæ, & quidem in fraudem sui Domini subditus patrocinium quærit, Arum. *in Aur. Bull. ad c. 16.* Buxt. *ad Aur. Bull. c. 16.*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0741
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0743
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0746
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0747
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0748
DFG

judicia, quod sic quidam Do
pœnam condemnati sint, *vide*
tom.1.p.2.t.6.suppl.2.p.36.& 37
vectigal.pag.350. 6. Quòd peda
situ omninò prohibita, *c.4. de*
sim.t t.ff. de publ.& vectig.7.
jure Sax.l.2.art.27.ibi: Ein jeg
auch Zoll frey seyn/er fahre/ r
Denique huc facit, quod in dui
l.antep.ff.de manumiss.& l.38.
20.de reg. jur. & pro libertat
nunciandum.

Verùm quid in hâc controv
cui parti adhærendum, & qu
menta alterius opinionis respo
disputationis actu, quærenti ap

QVÆST. V

An subditis absq; licentiâ Do
ferre, & alibi civitatem ac

Ansam dubitandi præbet, qu
à Carol.IV. tit.16. de Pfalburge
prælsè decisum, ne quis jugum
ctionis abjicere, & ausu temer
tatem migrare possit. Unde si
Quòd si cives vel subditi alicuju
jus territorio remanent in alte
se recipi procurare non possunt
subditis civibus vel civitatibus
terius jurisdictioni sese subjicer
lariter subditi protectioni alter

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn768663202/phys_0749
DFG